UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

urn:nbn:de:hbz:466:1-66433

Visual Library

Th 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A QUODAM ANONYMO CONTINUATA,
ATQUE A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
PROVINCIÆ BAVARICÆ, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
LATINE REDDITA, NOTISQUE CASTIGATA.

CONTINUATORIS
TOMUS OCTAVUS,
SEU IN ORDINE
TOMUS XXXII.

Collegii S. J. Paderb
1769

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513.



AUGUSTÆ VINDELICORUM & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIX.
Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆFATIO.

Inter cetera, quæ universa generis humani propago, post primi hominis lapsum deplorat mala, vix aliud acerbius enumerari posse censemus, quam quod adeo corrupta permanserit humanæ naturæ indoles, ut non modo nativo quodam pondere in id, quod deterius, propendeat; sed etiam ea bona, quæ agnoscit, admiratur, & extollit, improbo tamen usu in malum plerumque convertat, sibique ex medicina ad proprium interitum non raro venenum præparet; hæc autem naturæ perversitas ortum traxit ex prohibito usu, quem Proto-Parentes nostri de arbore *scientiæ bo-*

ni & mali fecerant, unica hac Serpentis venenati voce decepti: *Eritis ſcientes bonum & malum*; quippe hæc ipſa bonum, malumque ſciendi aviditas ordinatam bonum præ malo eligendi felicitatem imminuit, ac funeſta prorſus neceſſitate propenſionem ad malum ad ipſos etiam poſteros transmiſit; unde fatali experientia edocemur, quod iis etiam rebus, quæ ſuapte natura non modo bona, ſed & optima ſunt, non raro tamen abutamur, atque ipſos hosce abuſus etiamnum ementito Zeli vel pietatis obtentu honeſtare conemur.

Quid ſane melius, jucundius juxta ac utilius eſt, quam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cognitio, lectio atque ſtudium; exinde enim, inquit Conradus Brunus Jurisconſultus (a) *tanquam ex vitæ Magiſtra certas actionum humanarum formas & exempla, & varia conſilia depromimus, quibus inſtructi, & quæ honeſta, & utilia ſunt, ſequi, & quæ turpia, & noxia, devitare poſſumus. Hiſtoria ſiquidem exempla nobis exhibet, & velut ob oculos ponit honeſtorum & pravorum conſiliorum, tam quæ ex pravis mala, & quæ*

(a) De ratione ſcribendi Hiſtor.

quæ ex honeſtis conſiliis bona fuerint conſecuta, demonſtrat, ut demum ex variis retroactorum temporum caſibus de præſentibus judicare, imo etiam ea, quæ eventura ſunt, conjicere & prædicere valeamus. Siquidem qui prudens eſt, is ex præteritorum præſentiumque conjecturis facile, quid eventurum ſit, proſpicere poteſt. Prudentiam autem omnium maxime ex Hiſtoriarum cognitione comparamus. Etenim Hiſtoria nos docet, præterita præſentibus connectere, & ex his conjecturas ſumere, & quid futurum ſit, proſpicere. Hæc prorſus egregie de recto Hiſtoriæ præprimis Eccleſiaſticæ uſu diſſeruit celeberrimus hic Jurisconſultus.

Si vero ſemper ſanus ejusmodi uſus in Orbe Catholico invaluiſſet, non temere affirmare poſſemus, quod hæreſes poſterioribus noſtris temporibus vel nunquam exortæ, vel ſaltem ſtatim in incunabulis extinctæ fuiſſent; quippe Reipublicæ tam ſacræ quam profanæ Principes ad primum cujusdam novitatis rumorem ex præteritorum temporum notitia pro præſenti rerum viciſſitudine nil conſultius eſſe intuliſſent, quam *novis ejusmodi diſſidiis in tempore ſtatimque reſiſtere,*

sistere, & vulpeculas capere, dum adhuc parvæ sunt, antequam invalescant, & seditionibus auctæ sine magna clade aut calamitate capi haud possint (b). Abs dubio ejusmodi Principes in tali nascentis hæresis casu se præteritis sæculis vivere credentes prospexissent, quod semper errandi libido aucta atque corroborata fuerit, quando unicuique promiscua libertas credendi, quod libet, indulta fuerat; hujus enim rei exemplum suppeditant Jovianus Imperator etsi Catholicus, & Valens hæreticus; ille enim hujus libertatis consilio cum magno fidei dispendio usus est, eo fine, ut hoc pacto blanditiis, ac verborum lenitate dissidentium contentiones præscinderet, hic vero, ut pace inter litigantes utcunque reddita, ipse interim Arianorum hæresin potentius firmaret. Itaque ex mediis, quæ olim ad extirpandas hæreses cum prospero vel sinistro successu fuere adhibita, facile prudens piusque cujusdam Reipublicæ Rector historica cognitione imbutus cognoscere posset, quod in eodem vel simili Religionis dissidio ea consilia, quæ tum prospere successerunt, adhibere

&

(b) *Cochlæus in Præfat. ad acta Lutheri.*

& imitari, illa vero, quæ minus apta, vel parum efficacia, aut omnino nociva fuere deprehenſa, repudiare oporteat.

Aſt ſi tam proficuus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ uſus: unde ergo noſtris præcipue temporibus tanta invaleſcere potuit opinandi libertas, morumque licentia, ut plane Waldenſium, Huſſitarum, necnon Lutheri & Calvini tempora redire, imo hæreſis eo magis periculoſa enaſci videatur, quo magis occulte ſeſe hominum cordibus inſinuat, & abjecta prorſus omni Religione ſolam ſentiendi libertatem, ac rationem mere humanam pro ſuo Duce ac Magiſtro habet? Ut paucis, quod mihi hac in re videtur, ediſſeram, præcipuam hujus mali cauſſam exiſtimo ipſius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ abuſum. Sicut enim recentioribus Eccleſiæ temporibus vix ulla inſurrexerat hæreſis, quæ non ſub vario prætextu in ſummum Pontificem, ejusque auctoritatem tumultuabatur, ita etiam veræ fidei hoſtes noſtro ævo Chriſti fideles a ſupremi Paſtoris obſequio avertere omnibus viribus adlaborant, nec tamen ad proſperum moliminis ſucceſſum ſacris li-

teris, aut sanctorum Patrum testimoniis ultra, ut olim, utuntur, seu ut melius dicam, abutuntur, sed ad Historiæ Ecclesiasticæ monumenta recurrunt, palamque gloriantur, quod in illorum usu, lectione atque instructione armamentarium optime instructum adversus Ecclesiam invenerint; quinimo passim plenis buccis jactabunde declarant, se tandem ex primitivis Ecclesiæ, ac Conciliorum gestis, disciplina, usu ac doctrina manifeste deprehendisse, quod jam a pluribus sæculis Ecclesia innumeris, iisque densissimis tenebris fuerit involuta, atque a primævo suo splendore ac puritate plurimum recesserit, necnon superstitionum maculis, & humanarum traditionum rugis enormiter deformis evaserit. Præterea non desunt, qui ut pernicioſa ejusmodi commenta quadam auctoritate fulcirent, Ecclesiasticas Historias in lucem ediderunt, in quas abominanda quæque contra ipsos summos Pontifices, Ecclesiasticos & Monachos ex sola calumniandi libidine intruserunt, falsasque historias ex putidis lacunis haustas, aut non raro ab ipsis etiam Pseudo-Catholicis ex vindictæ, iræ ac invidiæ studio

con-

conſcriptas enarrarunt, ea autem, quæ vera ſunt, ac jurisdictionem ſummo Pontifici a Chriſto Domino conceſſam, vel etiam ſubjectionem eidem omni ævo exhibitam comprobant, veluti deliria, atque abuſus tempore ignorantiæ, ac ſtupidis illis ſæculis introductos exſibilant; hanc ſcribendi methodum poſtea tam frequenter, tamque immote ſequebantur omnes alii Hiſtorici a fide vera alieni, ut non pauci etiam ex Catholicis, cum hosce Scriptores tam unanimi voce adverſum Dominum, & adverſus Chriſtum ejus in unum convenire cernerent, ejusmodi commentis ac calumniis utpote tot Hiſtoricorum teſtimonio confirmatis incautius fidem adhibere inciperent. Inde vero progreſſu temporis paſſim ex infectis iſtis fontibus libellos conſcribendi libertas nata eſt, cumque hi ipſi Auctores fabulas ſuas deſcriptionum, orationum, reflexionum, & facetiarum phaleris, aut etiam nitidioris ſtyli ac purioris Germanici ſermonis cultu ſtudioſe ornarent, ejusmodi lenociniis avidos Lectorum ſuorum oculos & animos ad ſe rapiebant, qui arte Critica deſtituti, aut ex ignorantia, aut ex ignavia, aut etiam ex

animo jamjam præoccupato vera a falsis discernendi laborem omnino nullum adhibebant, ac proin latens venenum caute tamen tectum pleno ore sugebant; cum enim ejusmodi libellorum Auctores fidei Orthodoxæ dogmata aperte non impugnarent, quinimo non raro se Catholicos, ac nonnisi ex puro veritatis amore ad scriptitandum stimulatos mentirentur, eorumque partus vernacula plerumque linqua ederent, hinc semi-docti æque ac rudes promiscue, ac quidem sine conscientiæ scrupulo etiam cum summo applausu ejusmodi dicteria ac calumnias perlegerunt, præcipue eo ex capite, quod horum lectionem nec a sacro, nec profano Magistratu prohiberi cernerent, imo ab iisdem, quibus ejusmodi licentiis & abusibus obicem ponere incumberet, tales libros avide conquiri, perlegi, commendari, ac divulgari audirent. Hisce armis ad fidem Catholicam e fidelium cordibus omni vi eripiendam utebantur illi omnes, qui sibi ad disseminandam sectam suam viam sternere parabant, qui etiam præfixum sibi finem consecuti sunt in iis locis, ubi Magistratuum vigilantia subdolos ejusmodi ausus non prohibuit;

nec

nec tum amittendæ fidei periculum adeo imminens & proximum credebatur, donec tandem ruptis cuniculis firmiores Ecclesiæ muri eversi ruerent, & latentes scintillæ in apertum incendium erumperent, omnisque conditionis homines jam prius falsis ejusmodi principiis imbuti palam grassanti hæresi nomen darent, atque ex castris Israel ad horum Philistæorum vexilla transirent.

Id vero vel maxime deplorandum, quod nostris potissimum temporibus non modo manifesti veræ fidei hostes ejusmodi tela ex spuriis Historiæ monumentis fabricata in Christi Ecclesiam vibrent, sed etiam Catholicorum non pauci non ad sobrietatem sapientes, vel saltem de solo Catholici nomine gloriantes ita armati incedere non erubescant, atque in publicis, privatisque colloquiis cum summo contemptu de Religione, Ecclesiæ ritibus, ac legibus, necnon de summo Pontifice, aliisque rebus sacris coram rudiori etiam plebe discurrere præsumant, atque editis passim libellis jactanter in vulgus spargant, quod illuminatissimum hoc sæculum tandem ex Historiæ Ecclesiasticæ

sticæ testimoniis plurimos, qui in Dei Ecclesiam ex ignorantia, vel fraude irrepserunt, abusus, illusiones, & Monachorum nugas ac deliria detexerit, idque iidem tam asseveranter jactitare soleant, ut a simplicioribus ejusmodi querelæ tanquam minime dubia veritatis Historicæ oracula recipiantur; *cum igitur*, ut inquit Vincentius Lirinensis (c), *semper in Ecclesia viguerit mos iste, ut quo quisque foret Religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.* Hinc summopere optandum, ut in nostris quoque temporibus Viri veræ Religionis fervore animati tam Ecclesiastici quam sæculares exurgerent, qui ea Historiæ monumenta, quæ ab hisce Sciolis recens natis in convitii subsidium allegantur, cum genuinis Scriptorum probatorum testimoniis conferrent, atque juxta sanioris Critices Regulas vera a falsis discernerent, cunctaque sedulo ponderantes, ad ipsos puriores Historiæ fontes recurrerent. Ex tam utili labore abs dubio inter uberrimos fructus præcipue sperari posset, quod in primo statim limine manifeste deprehenderetur, qua ratio-

(c) In Common. adversus hæreses. cap. 8.

ratione tam Acatholici, quam Pseudo-Politici ac Semi-Catholici petulantia minime toleranda ipsam Historiæ Ecclesiasticæ veritatem circa fidei dogmata, summi Pontificis ac Conciliorum auctoritatem, necnon Ecclesiæ, morumque disciplinam depravarint, atque iniquissimo ausu retroactæ antiquitatis testimoniis perperam abusi sint. Huic labori tantopere proficuo jamjam Anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo primo præluxit quidam Gallicus Scriptor, qui libellum sub titulo *de usu Historiæ* publici juris fecit, cum vero eo tempore inter Catholicos perversa divulgandi, calumniandi ac scriptitandi libertas nondum adeo impune grassaretur, proin necdum adeo frequentes, tamque periculosi essent Historiæ Ecclesiasticæ abusus, ideo præfatus Auctor plura intacta reliquit argumenta, quæ hodierno tempore non sine magno Ecclesiæ, Religionis ac Fidelium emulumento pertractanda forent.

Non equidem, ingenue fateor, talis tantusque sum, ut Historias legentibus, vel scribentibus præcepta dictare ausim,

ausim, nec id instituti mei ratio a me exigit, nec temporis angustiæ aut ingenii tenuitas permittit; e re tamen fore existimo, si saltem ad tanti operis elucubrationem illorum calami excitentur, quibus ingenii felicitas, atque eruditionis ubertas ad magna secundo conatu perficienda vires animumque copiose suppeditavit. Nec a suscipiendo hoc labore absterreantur a quibusdam, qui forte ejusmodi conatus eo ex capite carpere voluerint, quod crambe jam sæpius cocta recoqui videatur; si enim ad singula capita pro ratione perversi hujus temporis descendatur, plurima de hoc argumento dicenda supersunt, quæ hucusque intacta permansere, ac insuper *necessarium*, inquit D. Prosper (d): *Imo & utile est, quæ scripta sunt scribere, ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur*, seu ut inquit D. Augustinus (e): *Utile est plures libros a pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat ad alios sic, ad alios autem sic.* Minus vero ejusmodi Scriptores fidei ac veri-

(d) Epist. ad Augustinum.

(e) Lib. 1. de Trinit. cap. 3.

veritatis ſtudio accenſi vereantur illos, qui cuncta niſi ſint ad corrupti hujus ſæculi genium ſcripta, livido dente corrodere ſolent; horum enim cenſuræ non calamo, ſed contemptu refellendæ, floccique habendæ ſunt; eoquod nemo illis ad ſaporem cibum coxerit, a quo non abhorrent, niſi illum pariter bille ac convitiis, quibus ipſi hodie totum Eccleſiæ Statum laceſſunt, conditum reperiant.

Haud me latet, non paucis perſuaſum eſſe, quod inanes ſint futuræ hæreſis timores, tantique mali periculum valde adhuc remotum ſit. Attamen ſi ex ipſis recentioribus Hiſtoriæ monumentis ea perpendantur molimina, fraudes, conſilia, & principia, quibus olim Hæreſiarchæ ad diſſeminandos errores ſuos utebantur, ſique præteritæ ætatis facta conferantur cum iis, quæ hodierno ævo paſſim fieri cernuntur, profecto malum, quod timetur, ex temporum ſimilitudine proximius inſtare deprehendi poterit. Ea propter haud abs re fore cenſemus, ſi præcipue ea ennarremus geſta, quæ præſens Hiſtoriæ continuatæ volumen ordine trigeſimum ſecundum nobis ſuppedi-

peditat; ex illis enim haud obscure detegi possunt occulti cuniculi, quibus ea ætate aut hæresum Architecti, vel eorum Præcursores, nimirum homines ab omni Religione aversi immotam Ecclesiæ Petram subruere moliebantur, sibique ad innumeras pene Sectas impune divulgandas viam sternebant. Non equidem illi statim aperta vi, erectisque palam cornibus per semetipsos fidem, Ecclesiamque evertere aggrediebantur, sed veluti in quadam specu latentes attento oculo aliquamdiu liberiores Pseudo-Politicorum ausus contemplabantur, quos, cum impune perpetrari, imo etiam non sine applausu celebrari, & Potentum auctoritate firmari cernerent, tandem & ipsi ea, quæ ab aliis ejusmodi hominibus sub pietatis velamine adhuc timido animo præludebantur, in publico proscenio exhibere haud amplius dubitabant.

Omnium Hæreticorum usitatus mos erat, ut suos præmitterent Emissarios, qui omni tempore pro varietate hæresum varii etiam ac diversi erant. Plane enim observatu dignum est, quod Hæretici, qui adversus Sedem Apostolicam

ac ſupremi Capitis Sacerdotium auctoritatemque ſua tela vibrabant, plerumque pro ſuis Præcurſoribus Sacerdotes, Virosque Eccleſiaſticos ſelegerint: ex adverſo autem illi Hæreſiarchæ, qui intacta Pontificis poteſtate errores potiſſimum contra SS. Trinitatem, Chriſti Divinitatem, reſurrectionem, aliosque fidei Catholicæ articulos ſpargere moliebantur, quasdam mulierculas præmiſerint, earumque miniſterio ad ſeducendos Viros uſi fuerint; cum enim falſa horum dogmata nil niſi errores in intellectu continerent, nec ex ſe ipſis vitæ licentiam, aut carnis, vel libertatis, voluptatumque illecebras propinarent, ægre fidelium voluntates lenociniis ſuis ad aſſenſum allicere valebant, eapropter horum errorum Architecti ad divulgandas ejusmodi ſectas mulierum opem adhibendam cenſebant, ut ipſæ venenato ſuo ſibilo eo facilius Virorum conſtantiam everterent, & ſemel deceptæ ſenſim alios & alios ſecum in eandem naſſam pertraherent, *fœminarum enim*, inquit Hieronymus, *proprium eſt, ut decipiantur, & deceptæ alios decipiant.* Hinc

(f) Hinc Simon Magus, primogenitus ille Sathanæ filius, ut eum vocat S. Ignatius, ad propagandam ſuam hæreſin Helenæ Meretricis opera utebatur, *Marcion quoque*, ut idem Bethleemiticus Doctor teſtatur, *Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet, Apelles Philumenam ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus multas Eccleſias per Priſcam, & Maximillam nobiles & opulentas fœminas primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit.* Paulus etiam Samoſatenus ſub Zenobiæ alis latuit. *Arius quoque, ut Orbem deciperet, Sororem Principis* (Conſtantini Magni) *antea decepit, Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus polluëret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt.* Priſcillianus præprimis unice intentus erat, ut fœminas miro verborum lenocinio ad ſe ſuaque dogmata alliceret, Nicolaus denique Antiochenus eodem artificio integros mulierum greges ſibi adjunxit, quibus mox juvenes haud minori numero acceſſerunt.

Hanc fallendi artem veteres illi Hæretici

(f) Epiſt. ad Cteſiphontem.

retici abs dubio a primi hominis lapsu dicerunt; meminerant enim, quam feliciter unius fœminæ auxilio in terrestri illo Paradiso Proto-Parens noster fuerit seductus: nec etiam ignorabant, quod fœminis Sexus vitio & teneris & nimium credulis facile error etiam quicunque persuaderi, ac facilius adhuc per earum blanditias ad viros propagari queat, eoquod illæ omni vento doctrinæ facillime circumferantur, semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis perveniant, atque aliunde, cum doctrinam jactitandi, aliosque edocendi pruritu mire agitentur, ipsis etiam Viris magis operosæ, habilesque credebantur, ut doctrinas recens natas fidelium animis instillarent.

Postquam vero posterioribus sæculis Hæretici erronea dogmata adversus Pontificis auctoritatem spargere cæperant, ad disseminandas ejusmodi sectas præprimis opera utebantur quorumdam Ecclesiasticorum, qui vel odio vel invidia in summos Pontifices concepta eorum auctoritatem sub ementito Zeli vel reformationis necessariæ obtentu, ac sparsis ubique libellis prius labefactare niteban-

tebantur, poſtmodum vero ipſimet Novatores hoc præludio feliciter peracto nova prorſus arma ad expugnanda fidelium corda adhibebant; haud enim ultra mulierum miniſterio egebant, cum talia ſpargerent dogmata, quæ ex ſeipſis, neſcio quam decipiendi facilitatem præſeferebant; maxime ubi aliunde novitatum amor miram ſemper in juvenum, incautorumque hominum animis vim exercere ſolet.

Ut autem ad magis vicina accedam tempora, neminem ſane latet, quod Lutherus per ſuos emiſſarios omni hominum conditioni ejusmodi illecebras, quæ aut carnem, aut libertatem, aliosque animi affectus vehementer titillant, propoſuerit; ut enim Principibus Laicis blandiretur, Jurisdictionem Eccleſiaſticam prorſus abolere, ac jura Sacrorum in Laicam Poteſtatem transferre moliebatur, atque ea ex cauſſa nec Epiſcopis, nec ipſi etiam ſummo Pontifici amplius obtemperandum affirmabat, eoquod hi ipſimet poteſtati Laicorum Principum ac Magiſtratuum ſubjecti eſſent. Hoc itaque hamo capti Principum non pauci avitam Religionem abjiciebant: alii ex adver-

adverso cum Paschali II. Papa huic insistebant principio, *Non volumus aut pro Principum potentia Ecclesiasticam minui dignitatem, aut pro Ecclesiastica dignitate Principum potentiam mutilari* (g). Alte enim horum animis ea insederat Catholicæ fidei veritas, quod primus Ecclesiæ Pastor ac futurorum bonorum Pontifex Christus Dominus in solum Petrum, & Apostolos, indeque in ejus Successores & Episcopos Ecclesiasticam potestatem transmigrare voluerit (h). Notum quoque erat omnibus, quanta intra limites suos reverentia, submissio atque obedientia ab ipso etiam Sacerdotio Principibus debeatur, quibus a Deo data est potestas, ut *secundum ejus incommutabiles Regulas, quid sit pro tempore jubendum, vitandumque, discernant.* (i) Politica enim potestas in genere accepta, ut Scholæ loquuntur, in ipso jure naturæ fundatur, id vero cum juris æterno-divini quædam veluti sit emanatio, politicam etiam potestatem a jure

(g) Ep. 29 ad Basil. Hieros.

(h) Joan. c. 12. v. 2. Ephes. c. 1. v. 20. ad Phil. 11. v. 9. Hebr. 2. v. 8. 1. Petr. 3. v. 22.

(i) S. Aug. lib. de vera Relig. c. 3.

divino promanare haud dubium est; unde hæc potestas ab ipsomet Deo Authore naturæ toti hominum collectioni primum ingenita, ab eadem mox in unum, unde Monarchia, mox in plures atque præcipuos, unde Aristocratia, mox in plures generis promiscui, unde Democratia originem duxit, translata fuit. Verum Novatores isti pro sua vel erga Pontifices ἀποτροπὴ vel erga Principes κολακεὶα Laicæ potestati primas in Ecclesiæ regimine partes tribuebant, hoc ipso autem dogmate suo susque deque divina humanaque vertebant, profana sacris, cœlumque terramque miscebant, imo non solum Sacerdotii, sed ipsius etiam Imperii jura confundebant, atque evertere nitebantur; *Non enim Respublica bene instructa absque Religione stare potest* (k), quapropter hac Regiminis inversione atque immutatione hi Sectatores aliud hæresis genus, atque exinde innumeras pene turbas & scandala, tam in sacrum quam in Politicum Statum invexerunt; *Nunquam enim odia magis acerba,*

(k) Hanc in rem S. Anselmus Lugdunensis egregium conscripsit Apologeticum *contra eos, qui dicunt Regali Potestati Christi Ecclesiam subjacere.*

acerba, magisque inveterata existere solent, quam inter eos, qui in fide & Religione prius conjunctissimi fuere, postea vero inter se dissidere incipiunt, eoquod nihil magis, magisque conjungat, & disjungat mentes hominum, quam vel similis vel dispar Religio (1).

Cum autem hisce Principibus translata ejusmodi jurisdictio Ecclesiastica nimis jejuna, parumque proficua videretur, mox novi hi Evangelistæ libellos conscripsere, in quibus summa cura Potentum avaritiæ inservire studebant, ipsamque Religionem profligare non erubescentes adulandi studio abrepti, iisdem Ecclesiarum quoque proventus adjudicabant, ac laicæ cupiditati Episcopatus, Cœnobia, Ecclesias, atque bona Ecclesiastica in prædam dabant. Hujus spolii, aurique splendor adeo potens erat in quorumdam Magnatum animis illecebra, ut bona Ecclesiastica occupandi aviditate excæcati veræ fidei lumen ultra intueri haud sustinerent, ac nullatenus de propositæ sectæ veritate persuasi, sed divitiarum hamo inescati essent.

(1) Camererius Med. hist. p. 1. c. 92.

Id quoque ipſemet Bucerus ingenue fatetur, dum ait: *Nec pauci eorum, qui Papatum deſeruerunt, quamcunque Evanlii prædicationem recipiebant, ut in opes Eccleſiaſticas invaderent* (m), clarius adhuc ea de re differit Muſculus *nihil noſtris* inquit ipſe, *cordi eſt quam capere, quam rapere. Proceres & Magnates a bonis Eccleſiaſticis incæperunt, non tamen bene ea collocant, ſed in privatam utilitatem convertunt* (n). Hanc etiam rapacitatem vituperant, ac deplorant ex ipſis Proteſtantibus non pauci, quos inter Joannes Schuppius Secta Lutheranus, atque Hamburgenſis Præco præcipue in hæc prorumpit verba (o), quot opima ſunt cœnobia, *ubi prius par Virginum intenta precibus in ſimplicitate cordis ſui ſedebat, nunc earum loco audiuntur latratus canum, hinnitus equorum & tumultus per venatoria cornua: atque hoc dicitur reformare!* Huic conſonat Godefridus Arnoldus itidem Lutheri aſſecla ac Theologus, qui hunc in modum diſ-

ſerit.

(m) L. 1. de Regno Chriſti cap. 4.

(n) De die noviſſimo.

(o) In dem Salomon oder Regentenſpiegel. cap. 7.

ſerit (p). *Multos ad Religionem Proteſtanticam attraxerat novitas, ut avitæ fidei valedicerent: Magnates ut plurimum allexit bonorum Eccleſiaſticorum opima præda ..... potiſſima pars privatis commodis invitabatur, reformationis titulo & veritatis amore pallium commodante.*

Sed quid hanc in rem Diſcipulorum teſtimonia profero, dum ipſemet illorum Magiſter Lutherus hujus novitatis Auctor, atque opum Eccleſiaſticarum Diſpenſator, liberalitatis ſuæ pœnitentia ductus, in ipſis prætenſæ reformationis ſuæ auſpiciis jamjam inconſultam ſuam agendi rationem his verbis deplorat (q). *Noſtri Principes emendationem Eccleſiarum inſtituunt, ſed eo prætextu ſpoliant, rapiunt, expilant Eccleſias, adipemque Monaſteriorum & Collegiorum diripiunt ipſi*, & rurſum: *Noſtri Principes compilant omnia, quæ inveniunt in Monaſteriis & Parochiis, pauciſſimi conferunt aliquid ad conſervationem Miniſterii aut*

(p) In der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie. Part. 2. l. 14. c. 6. §. 8.

(q) Tom. 6. lat. Wit. c. 45. comm. in Gen.

saltem ad unum Scholasticum sustentandum (r). Item: *habent Principes a nobis libertatem a tyrannide Papæ, præterea exteriora bona* (Ecclesiastica) *nunc autem nos fame enectos cuperent* (s). Ad propositum nostrum mire etiam conducunt, quæ idem Lutherus in Symposiacis pag 193. in tritum hoc Germanorum proverbium **Pfaffenguet, Raffenguet** commentatur, *Experientia*, inquit, *testatum facit bonis Ecclesiasticis potitos denique ad mendicitatem redigi. Burchardo Hundio Joannis Elect. Sax. Consiliario familiare fuit hoc testimonium: Nos Nobiles bona monasteriorum equestribus nostris bonis adjunximus: Jam vero Monasteriorum bona devorarunt nostra equestria & ita consumpserunt, ut nec illa, nec hæc amplius habeamus.* His dictis Lutherus inducit apologum de aquila, quæ ex victima Jovi immolata suffurata est partem carnis assæ, cui adhærebat ardens carbo, ex cuius igne ipsa simul cum carne & nidum & pullos suos concremavit. Hæc sibi notent Pseudo-Politici, qui nostris etiam temporibus nihil de

(r) Ibid. cap. 47.

(s) Tom. 9. Germ. Witt.

de sacro Statu gratum acceptumque habent præter temporalia Ecclesiasticorum bona, atque eorum direptionem veluti maximum publici ærarii emolumentum, re tamen ipsa novæ defectionis irritamentum propinant, suadent, & jactitant.

Postquam igitur novi Evangelii Præcursores multos Principes hisce Ecclesiasticorum spoliis feliciter ad partes suas pertraxerunt, unice eo intenti erant, ut omnes Viros Ecclesiasticos bonis suis jam exutos, necnon Monachos per famosos libellos etiam fama, auctoritate ac honore spoliarent, eosque populis exosos redderent, idque ad sectæ suæ propagationem omnium maxime necessarium censebant; ab istis enim potissimum de erroribus suis convinci poterant, atque in officium redigi timebant; hinc famosos ubique libellos in omnem Ecclesiasticum Ordinem, Statumque divulgabant, ac sexcentis calumniis, convitiis, jocisque acerbissimis proscindebant: Hos inter haud postremus esse voluit Martinus Lutherus, qui in suo libello *de captivitate Babilonica*, necnon in suo tractatu *adversus Papatum Romæ a Sathana fundi-*

tum,

tum, ac denique in aliis ſuis ſchediasmatibus Papam, Epiſcopos, Prælatos, Eccleſiaſticos omnes, ac Monachos convitiis prorſus indignis, putidisque mendaciis in invidiam trahere omnibus viribus nitebatur. Ad hujus exemplum ejusdem Emiſſarii ſimilibus quoque ſalibus, ac Monachorum vilipenſionibus ſuam ſectam in Galliis inducere ſtudebant; *Non eo erant contenti*, inquit Floremundus Ræmundus (t), *quod paſſim per totum Franciæ Regnum libellos ſuos Latina & Gallica linqua ſcriptos diſſeminaſſent, etiam in ſecretius Regis conclave pueri cujusdam, qui myropolæ Regio, Ferreto nomine, inſerviebat, ad id opera abuſi, compluſculas ſchedulas & chartas intulerunt, imo in ipſo cœnaculo ſparſerunt. Quin eo progreſſa eſt ipſorum inſolentia, perpetua hæreſeos comes, ut cubiculi Regii januæ neſcio, quæ Edicta effixerint, quibus Regi, niſi novo Evangelio locum daret, divina ira denunciabatur. Quotidie cernere erat Fontis-bellaquei, vel Lupariæ portis, itemque in compitis paſſim & triviis urbis Pariſienſis libellos ejusmodi*

(t) Hiſtoria de ortu & Progreſſu hæres. lib. 7. cap. 5.

modi tam ſcriptos, quam typis expreſſos, magno numero affixos, adeo ut annus ejus temporis inde nomen acceperit, vulgo l'année des Placarts: *Id eſt Annus libellorum ſive Paſquillorum dictus. In his tota Eccleſia, omnisque ejus ordo & Politia lacerabatur, in SS. Miſſæ Sacrificium præcipue horrendæ effundebantur blasphemiæ, hoc tandem addito Epilogo: Omnes Epiſcopos, & Sacerdotes eſſe Pſeudo-prophetas, damnabiles, ſeductores, Apoſtatas, Lupos, mercenarios, idololatras, impoſtores, mendaces, proditores, fures, blasphematores, exſecrabiles animarum homicidas, Jeſu Chriſti abnegatores, divini honoris prædones, ipſis diabolis deterriores. Hæc ſunt elogia, quæ in famoſo libello Novi-caſtri apud Helvetios impreſſo Ordini ſacro tribuuntur, quæ itidem ſecundo libro Hæreticorum Martyrologii inſerta leguntur.*

Cum vero hi Pſeudo-Apoſtoli verentur, ne forte rudes populi, qui nequidem legere didicerunt, conceptam de Eccleſiaſticis, Monchisque æſtimationem conſervarent, hinc eadem convitia, quæ aliis legenda proponebant, in publicis ſpectaculis audienda ac conſpicien-

da

da exhibebant. *Hiſtriones*, inquit idem Scriptor (u), *in omni fere loco Eccleſiaſticum Ordinem falſo aliquo dicto aut convitio inceſſabant. Nulla Comœdia peragebatur, in qua non Monachus aliquis, aut Eccleſiaſtici Ordinis homo introduceretur, qui pro Mimo eſſet, adeo ut nulla oblectatio capi poſſe videretur; quin Deus ejusque Miniſtri offenderentur. At riſus hic poſtea in fletum fuit converſus. Galliarum Rex non minus facilis quam Regina, has Tragico-comœdias non lubens tantum ſpectavit, verum etiam Conciones hæreticorum in conclavi ſuo haberi paſſus eſt, verba faciente excucullato Tarbenſi Monacho. In his pleno ore tam contra Papam, quam univerſum Sacerdotum Ordinem convitia profundebantur, tanta cum licentia, ut plerumque ipſos etiam Auditores ſuppuderet.*

Verum Luthero, apertisque ejus Sectatoribus jam Anno Domini 1511. præcinebant illius Emiſſarii, qui exorta contentione Reuchlinum inter & Theologos Colonienſes per Eccleſiaſticorum, & Monachorum contemptum, odium-

que

(u) Loc. cit. cap. 2.

que prætenſæ reformationi viam ſternebant, eoquod illi, cum mores horum Theologorum ac Monachorum carpere nec poſſent, nec auderent, ex ambitione, invidia & æmulatione in illis Theologiam Scholaſticam, quam ignorabant, contempſerunt, & ſeſe *bonarum literarum Cultores atque Inſtauratores* appellarunt, ceteros vero omnes velut rudes & ignaros convitiis & cachinis onerarunt, paulo poſt autem, ut ipſemet Erasmus Rotterodamus, & Pufendorfius fatentur, egregii hi literarum Cultores Lutheri partibus adhæſerunt, ſuaque defectione clare demonſtrarunt, quod contemptus & odium in Clerum, atque Ordinem Eccleſiaſticum ſit certum quaſi præſagium futuræ hæreſis, necnon opportuniſſimum eandem propagandi medium.

Hinc ea jamjam ætate occulti hi Novatores tam ſtudioſe famoſos libellos contra Clericos & Monachos in linqua vernacula per plebem circumferebant, ut teſtatur Laurentius Surius his verbis (w): *Quia multa erant vitia in Clero, quem ille Lutherus apud Laicos in odium*

(w) in Comment.

odium & invidiam adducere omnibus modis conabatur, ea ſumma animi acerbitate propalare, mire exaggerare, & impudenter multa fingendo in vulgus ſpargere ſtuduit, & certe brevi ille multis id effecit locis, ut Clerus omnis non alio quam Luporum loco apud Laicos paſſim habitus ſit, adeo ut paſſim in ſuis domibus Pontifices, Sacerdotes, Monachos, Luporum forma & ſpecie depingi curarint, & incredibili odio atque contemptu proſecuti ſint. Ejusmodi artes, quibus hi Pſeudo Evangeliſtæ utrinque Clero invidiam populi accerſere ſatagebant, plures alii paſſim Auctores deſcribunt: jam vero percipiamus etiam, qua ratione ejusmodi odium ad hæreſin diſſeminandam conducere potuerit. Id nobis hisce verbis declarat Auguſtinus Stenchius (x): *Principes, & Magiſtratus Germaniæ, quorum intererat impietatem extinquere, libenter audiebant, quicquid adverſus Eccleſiam diceretur; tantum erat inimicitiarum in eorum animis contra Pontifices, & Eccleſiaſticos omnes conflatum.* His addit Odoricus Raynaldus (y): *Juriſconſulti, & Magiſtratus, cum inter literarum Pro-*

(x) Lib. 2. (y) Ad ann. 1519. num. 55.

Professores, Sacerdotes & Monachos tot motus viderent excitatos, solverunt ora in cacchinos . . . Ex his manifeste apparet, quod Lutherana hæresis initium sumpserit ab odio & contemptu Clericorum & Monachorum, media vero, quorum ope eadem secta fuit sensim introducta, fuerit incuria Magistratuum, qui non modo famosos libellos contra Ecclesiasticum Ordinem sparsos impune divulgari permisere, sed etiam impias ejusmodi declamationes patulis auribus exceperunt; quem vero exitum denique habuerint protervi ejusmodi sales, eorumque impunitas, describit Joannes Faber (z) testis oculatus, *in summo*, inquit, *principio ridentes, hanc in solos Sacerdotes, spiritualesque fabam cudi putabant. Sed res aliter cecidit.* Quippe, Verba sunt Raynaldi (a) *ex superioribus disputationibus inter Germaniæ Theologos, necnon ex sparsis libellis mortifera plaga imbecillibus animis inflicta est: siquidem rudes argutiis hæresiarcharum irretiti, delectatique irrisionibus, facetiis, ironiis, salibus, & scommatibus in Eccle-*

(z) Lib. de interces. Sanct. contra Oecolamp.
(a) l. cit. n. 54.

Ecclesiasticos Viros avide Lutherana venena hausere. Egregie hanc in rem disseruit Augustissimus juxta ac Christianissimus Imperator Maximilianus I, qui in epistola ad Leonem X. die 15. Augusti anno 1518. data hæc habet: *Cum id, quod Pontificum auctoritas jussit, negligitur, & de quo dubitatum, imo quod improbatum est, id solum recipitur, necesse est interdum hallucinari, somniare & cæcutire Magistros istos, quibus id unum debetur, quod non solum hactenus Doctores ab Ecclesia recepti solidiores non lecti, sed plerique depravati sunt, atque mutili redditi. Taceamus his auctoribus pullulasse longe plures, quam unquam damnatas fuisse hæreses: Taceamus Reuchlinianam infamationem, & nunc præsentem & periculosissimam de Indulgentiis, & censuris Apostolicis disceptationem his perniciosis auctoribus emanasse. Quibus si conniventibus oculis campus apertus atque liber dimittatur, futurum est, ut, quod omnium maxime in votis habent, pro optimis & sanctissimis Doctoribus istorum nænias pro oculis habere cogatur totus Mundus. Hæc pro singulari nostra in Sedem Apostolicam reverentia Beatitudini vestræ signifi-*

gnificavimus, ut ſinceritas Chriſtiana hujusmodi temerariis diſputationibus & captioſis argumentis non lædatur & ſcandalizetur. Hæc piiſſimus Imperator. Cum autem reapſe ludicram hanc Mimorum ſcænam ſeu Cataſtaſin ſecuta ſit Cataſtrophe univerſæ Religioni, & animarum ſaluti adeo funeſta, *merito inde*, ait Joannes Faber mox allegatus, *exemplum ſumendum & proſpiciendum diligenter, ne in poſterum eadem, quæ paſſi ſumus, poſtliminio omnia redeant. Sæpe enim Dominos a ſervis primum perſequi, & contemni cæptum eſſe conſtat.*

Nec tamen hic ſtetere Novatorum artes; poſtquam enim publicis ejusmodi vilipenſionibus ac calumniis Virorum Eccleſiaſticorum auctoritatem enervabant, ac Monachorum, qui veræ fidei zelo accenſi erant, arma hebetabant, unice in id intenti erant, ut ex utroque Clero Viros ad ſua quoque vexilla allicerent; cum autem illo tempore Clericorum plurimi dignitatem ſtatus ſui crebris criminibus dehoneſtarent, haud magni moliminis res erat, illos ad Lutheri partes attrahere; hi enim, cum aliunde ad quævis vitia proclives Eccleſiaſticæ diſcipli-

næ impatientes essent, avidis omnino auribus doctrinam eorum excipiebant, qui Ecclesiasticos cœlibatus lege, Regulares vero Sacris Ordinis sui votis solutos declarabant; quapropter Clericorum non pauci ipso Luthero Paranympho ad sacrilegos atque incæstos Hymenæos provolarunt, relictisque claustris ad sæculum, omnesque carnis illecebras redierunt; cum autem ejusmodi scelera impune perpetrare haud potuissent, nisi etiam Sectam illorum, qui talia flagitia esse licita promulgarunt, palam profiterentur, hinc nullatenus veritatis vi expugnati, sed carnis voluptatumque desiderio ac pondere abrepti suave Christi, ac Ecclesiæ jugum ruptis omnibus modestiæ ac pietatis repagulis publice excusserunt, suorum Magistrorum exempla imitantes.

Verum, me hercle! egregii hi sunt Ecclesiæ restauratores, atque eximii veteris disciplinæ zelatores, qui ad augendum suorum Sectariorum numerum Viris Ecclesiasticis, Monachis, ac Virginibus Deo in perpetuum sacratis promiscue nubendi licentiam concessere, cum tamen mille trecentis ferme annis ante novi

hujus Evangeliſtæ Lutheri tempora ejusmodi Votorum tranſgreſſores capitali etiam ſupplicio plecti juberentur, eaque legum ſeveritas ipſis etiam Acatholicorum Jurisperitis haud incognita eſſe poteſt. Quis enim ignorat jamjam circa annum Domini trecenteſimum ſexageſimum tertium a Chriſtianiſſimo Cæſare Joviano adverſus ſacrilegas ejusmodi nuptias auſusque ſequentem legem fuiſſe ſtatutam: *Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantummodo jungendi cauſſa Matrimonii ſacratiſſimas Virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur.* (b) Ne autem hoc ſtatutum vetuſtate ſua abolitum videatur, illud circa Annum Chriſti quingenteſimum vigeſimum ſeptimum a Juſtiniano Cæſare innovatum legimus. Hic enim in Conſtitutione centeſima vigeſima tertia §. *ſi quis* hanc ſententiam in continentiæ Deo promiſſæ tranſgreſſores tulit: *Si quis Aſceteriam aut Diaconiſſam aut Monaſteriam, aut aliam mulierem, quæ ſanctimonialem vitam colit, habitumque geſtat, rapuerit, aut ſollicitaverit, aut conſtupraverit &c. qui talia deliquerunt, aut ſceleris cum ipſis ſocietatem habuerunt,*

 peri-

(b) Cod. de Ep. & Cler.

periculum, quod ex lege irrogatur, ſuſtineant: poſtea autem ipſam legem idem Imperator adducit his verbis: *Raptores Virginum, vel Viduarum, quæ Deo fuerint dedicatæ NB. peſſima crimina peccantes capitis ſupplicio plectendos eſſe decernimus, eoquod non ſolum ad injuriam hominum, ſed ad ipſius omnipotentis Dei irreverentiam committitur* (c). Ex pœnæ ſeveritate facile colligi poterit criminis atrocitas, quæ tamen a novis hiſce Reformatoribus tanquam præcipuum Religionis ſuæ caput approbatur, ſuadetur, ac præcipitur, unice eo ex capite, ut hiſce illiciis ad ſectæ ſuæ augmentum Proſelytos ſibi conciliarent, in hoc tamen propriæ ſuæ doctrinæ repugnantes; cum una ex parte ejusmodi crimina, licet a Cæſareis legibus prohibita ſint, tanquam licita declarent, altera vero cunctis Principibus Laicis plenam regiminis poteſtatem in Eccleſiaſticos attribuant, legem tamen ab eis in hoſce ſtatutam minime obſervandam tradant, eoquod eorum libidini adverſetur, & ipſimet ſententiam in ſe ipſos pronuntiare cogerentur; hinc merito celebris ille Doctor Paulus Windek

(c) l. *Raptores* loc. cit.

dek in ſua Theologia Juridica ad Juſtiniani legem *Ne cui* (d) ita exclamabat: *Parce, Parce Juſtiniane, Lutheraniſmi, & Calviniſmi Præconibus.*

Ne vero rudi populo ſua, qua ad novam ſectam alliceretur, illecebra deeſſet, omni hominum generi ac conditioni ſolutis legum Eccleſiaſticarum repagulis plenam vitæ licentiam indulgebant, omnemque gehennæ metum ex fidelium cordibus eliminabant. *Ad hoc*, inquit Pallavicinus (e) *aliquid fere conferebat ſolutio a legibus Eccleſiaſticis, non tamen ſatis erat, dum naturales & divinæ perſtarent, idcirco Lutherus eas etiam perfringere conatus eſt, docuitque præceptorum obſervantiam haud eſſe poſſibilem: opera eſſe ad ſalutem inutilia, ſolamque fidem ſufficere. Quoniam autem homo libenter extollitur ad fiduciam temerariam, fidemque tribuit facienti ſpem certam boni, hinc omiſſis verbis, quibus D. Paulus redigit in memoriam metum, quem quisque de ſuo ſtatu coram oculis Dei debet concipere, pronuntiavit: Nobis firmitate fidei credendum eſſe, divinam gratiam nobis inhærere.*

(d) ff. de adult.
(e) Hiſt. Conc. Trid. l. 1. c. 8. num. 9.

Hanc in rem proferre liceat invictissimum testimonium Augustissimi Cæsaris Caroli V. qui ex unanimi statuum consensu in Wormatiensi Edicto disertis verbis hæc de Luthero enuntiavit: *Quemadmodum permittit ceteris habenas laxare omnibus animi cupiditatibus, & dissolute effractis legum repagulis pecudumque more vivere, sic ipse homo perfracti & effrænati ingenii omnia veterum instituta, legesque repudiat, conculcat, & opprimit,* denique idem Augustissimus Imperator in Recessu Augustano Anno 1530. totam Lutheri doctrinam nil nisi pessimam morum corruptionem in populos induxisse, his verbis testatur: *Ex his omnibus nihil secutum boni, sed contemptus Disciplinæ Ecclesiasticæ, honestatis declamatoria insectatio, variæque petulantiæ subortæ; eadem doctrina rejecta damnataque ulterius serpente, excitati in plebe varii errores, per quos omnis extincta fuit vera devotio, tandemque eo deventum, ut omnis Christianæ vitæ Decor, Disciplina, virtus, lex, Dei timor, honestas, boni mores & vita, unacum vera Christiana charitate penitus interiret.*

Hanc in rem haud incongrue proferre valeo testimonia Virorum, quorum fides

des certe fidei noſtræ hoſtibus ſuſpecta, aut partium ſtudio corrupta minime videri poterit. Hos inter primus itidem Bucerus (f) ita eloquitur. *Maxima noſtrorum pars viſa eſt id tantum in Evangelio* (ſcilicet ſpurio) *petiiſſe, ut jugum qualiscunque diſciplinæ, pœnitentiæ & Religionis univerſæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abjicerent: Tum non ingratum fuit iis audire, juſtificari nos fide, non bonis operibus, quorum nullo ſtudio tenebantur.* Conſentit etiam Arnoldus, dum ait: (g) *Plebem ad Religionem Proteſtanticam attraxerat excuſſio jugi in tortura exomologetica, aliisque oneribus.* Quinimo ipſemet Lutherus, ſi vel unquam, maxime hanc in rem ingenue fatetur, quod Ruſtici fiant deteriores, & absque timore inferni ac Purgatorii inſoleſcant, dicentes: *Credo, ergo ſalvus ero.* Rurſus alibi (h) hæc habet: *Nihil ex noſtra doctrina enatum boni; nam ſtatim, poſtquam Evangelium noſtrum inſonuit, ſecuta eſt ſeditio horribilis Agricolarum, orta ſunt diſſidia Eccleſiæ & Sectæ, diſſoluta diſci-*

 plina,

(f) loc. cit.

(g) l. ſupra cit.

(h) tom. 3. Witt. lat. in Pſalm. 2.

plina, ac quasi effractis legum repagulis, sumpta licentia omnes cœperunt uti: sicut profecto verum est; major enim licentia omnium vitiorum nunc est, quam fuit superioribus temporibus (egregia sane reformatio!) *cum metu vulgus coerceretur, quod nunc tanquam effrænis equus pro libidine agit omnia: nam Ecclesiastica vincula contemnit, quibus prius sub Papatu tenebatur, & abutitur quoque civilis Magistratus negligentia. Hæc incommoda omnia, quæ neutiquam levia sunt, adversarii nostræ doctrinæ seu Evangelio imputant.* Hæc sane verba eo magis notatu digna sunt, quo apertius ipsemet Lutherus tanquam doctrinæ suæ fructum adstruit grassantem morum licentiam, & contemptum Ecclesiasticorum vinculorum, de quibus tamen ab ipso Leibnitio vel ab invito veritas hoc testimonium extorsit (i). *Fatendum, profuisse interdum Pontificum Romanorum curam pro Canonibus & Christiana disciplina, dum illi opportune, importune instantes sive auctoritate muneris, sive metu censurarum Ecclesiasticarum multis malis obicem ponebant. Et nihil fuit frequentius, quam*

ut

(i) In præfat. Cod. Jur. Gent. diplom.

ut se Reges in fœderibus censuræ & correctioni Papæ submitterent.

Cum vero non aliunde, ut inquit S. Cyprianus (k) *ortæ sint hæreses, aut natæ sint schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, neque unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, ad tempus Judex vice Christi cogitetur*, eapropter omnes ferme Novatores posterioribus præcipue sæculis Romanum Pontificem tanquam supremum Judicem, ac scelerum vindicem aspernari, ac in ejus opprobrium famosos libellos edere, ejusque auctoritatem contemnere, sensimque proscribere attentabant. Fateor equidem, ipsum Lutherum non statim ad tantam proterviam fuisse prolapsum, imo forte is nunquam eo audaciæ deveniſſet, nisi ad id ab ipsis etiam Pseudo-Catholicis, & quidem a nonnullis quoque Cardinalibus ac Prælatis pravo exemplo, atque non audita antehac temeritate viam sibi fuisse stratam conspexisset. Quem enim latet, quod primum a tempore Constantiensis ac Basileensis Synodi invecta sit nupera opinio de Pontificis potestate Concilio subjecta? quis ignorat, hanc esse epocham,

(k) epist. 55.

cham, a qua ſummi Pontificis auctoritas usque ad præſens ævum labefactari, imminui, & vilipendi cæperit? nonne Baſileenſium petulantia Conſtantienſi Decreto ſuffulta legitimum ac minime dubium Pontificem Eugenium IV. exauctorare præſumpſit? nonne ex eodem fonte promanavit Sanctio, quæ a Bituricenſi Conventu Baſileenſibus ipſis inſtantibus recepta, atque acceptata fuit (1), & *quamvis ea omnia*, ut inquit Leo X. *poſt translationem ejusdem Baſileenſis Concilii per Eugenium Papam factam a Baſileenſi Conciliabulo ſeu Conventiculo, quod præſertim poſt dictam translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta exiſtant, ac propterea nullum robur habere potuerint*, nihilominus tamen ejusmodi exempla poſtmodum quosdam rebelles Cardinales ac Præſules ad tantam perduxere audaciam, ut rurſus inſcio legitimo Pontifice ex uſurpata auctoritate, atque ex leviſſima cauſſa & nonniſi ex obtentu cunctis hæreticis poſtea ſolemni, nimirum ex prætenſo Eccleſiæ in Capite & membris reformandæ

(1) In Conſt. *Paſtor æternus* Seſſ II. Conc. Lat. ann. 1516. edita.

dæ ſtudio Conciliabulum Piſis adverſus ſupremum, ac legitimum Eccleſiæ Paſtorem indicere, illumque ad hanc Synagogam citare, ac demum etiam jurisdictione Pontificia privare attentarent, non alio ex capite, quam quod is auctoritatis ſibi a Chriſto conceſſæ proditor eſſe renuerit. Quis denique neſciat, quod ex ejusmodi auſibus tunc primum introducta ſit promiſcua libertas a Pontificum ſententia ad fictitium Concilium appellandi, imo etiam adverſus Pontifices Concilia indicendi, unice ex eo fine, ut illis moleſtia inferatur, ac timore incuſſo illi adquævis concedenda adigantur? quando vel unquam magis libere jus appellandi a Synodis ad Apoſtolicam Sedem denegabatur? quando magis impune non ſine ludibrio eludebantur ſummorum Pontificum cenſuræ? quando liberiori calamo Pſeudo-Politici ſupremi capitis auctoritatem Conciliorum etiam Provincialium canonibus coarctare, ac intra cancellos juris etiam profani conſtringere, imo etiam poteſtatis laicæ limitibus circumſcribere præſumebant, atque adempta omni Jurisdictione Papam nonniſi tanquam ſimplicem Speculatorem

seu Monitorem depingere audebant? Nonne fidei nostræ hostes ex ipsismet hujusmodi exemplis totam Ecclesiæ potestatem civili auctoritati subjectam fuisse hodiedum gloriantur; nonne ex his præcipue Henricus, & Samuel Coccejus (m) palam tradere haud formidabant, quod Pontificia auctoritas Civili non modo sit subjecta, sed etiam jamjam subjugata fuerit *in Concilio Turonensi* anno 813. nec non *in Pisana Synodo* hanc in rem a Ludovico XII. adversus Julium II. indicta?

Minime igitur dubium est, quod jam dudum temeraria ejusmodi molimina hostibus nostris arma suppeditarint, quibus Ecclesiæ fidem, supremi Pastoris auctoritatem, totumque Hierarchicum Ordinem impune evertere aggressi sunt; quapropter haud mirum, quod Lutherus & Calvinus, aliique Sectatores post funesta adeo præludia tam impotentibus furiis in Sedem Apostolicam inveherentur, atque integra Regna a Pontificis obsequio avellere ausi fuerint; postquam enim tam supremi Judicis auctoritatem, quam

(m) in Comm. & addit. ad Grot. l. 1. de jure B. & P. cap. 3. §. 5. & 6.

quam hæresis, criminumque vindicem potestatem non modo sententiis utrique prærogativæ injuriosis, sed etiam crebris vilipensionibus, dicteriis ac calumniis passim proscindi cernebant, tunc demum libere hæreses suas in vulgus spargere cæperunt, nec ipsorum etiam Conciliorum auctoritatem amplius reveriti, eoquod quasdam ejusmodi Synodos ab iis, qui tanquam Orthodoxi Præsules adhucdum haberi gestiebant, celebratas scirent, in quorum decretis Romano Pontifici obedientia levibus ex causis denegganda statuebatur: cum tamen priscis temporibus Orientales etiam Synodi nil antiquius habuissent, quam cum Romana Ecclesia sacram semper conjunctionem arcte retinere, quinimo apud hosce Orientis Ecclesias hæc lex de unione cum Romano Pontifice cultu adeo Religioso observaretur, ut homines, qui sive hæresis sive schismatis labe aut suspicione laborabant, non ante audirentur, quin prius Romano Pontifici fide ac obedientia sese integre subjecissent.

Appositе ad rem nostram Pallavicinus demonstrat (n) quod Lutherus nunquam

(n) Hist. Conc. Trid. l. 1. cap. 8. n. 7.

quam Sectam ſuam divulgare ac propagare potuiſſet, niſi prius juxta quorumdam rebellium vel Pſeudo-Catholicorum exempla ſtabilitum inveniſſet dogma, quo Romani Pontificis tanquam ſupremi Judicis ac Legislatoris poteſtas atque auctoritas imminuta, ac fracta fuiſſet, poſtea *Lutherus*, inquit ille, *conſentaneo ſuæ doctrinæ, ſuique propoſiti conſilio cæpit concutere omnem auctoritatem Legum Canonicarum, & jurisdictionis Eccleſiaſticæ . . . hujusmodi doctrina ſecum trahebat eam ſententiam, quod Romano Pontifici ea jurisdictio ſit deneganda, quam in Eccleſiam univerſalem tanquam Chriſti Vicarius exerit, eoquod illam nonnulli Principes ſibi moleſtam cenſerent, atque per illam tantumdem ipſorum poteſtati detrahi exiſtimarent*, non conſiderantes, quod juxta Lutheri principia idem ſit ſeſe a Romani Pontificis obedientia ſubducere, ac ſubditis exemplum præbere, ut & ipſi pariter ſeſe a Principum obedientia ſubtrahant; quod etiam poſtea iidem Principes funeſta prorſus experientia didicerant; quippe Lutherus adeo ſeditioſa ſpargebat dogmata, ut per ea ſubditos quam plurimos in ſuos Principes conci-

concitaverit, ad publicos tumultus, eosque tam sævos atque cruentos, ut Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto intra trimeſtre in ſola Germania plusquam centum millia hominum fuerint trucidata.

Quæ vero alia mala exinde fuerint exorta, adeo luculenter in hodiernam usque diem in omnium oculis verſantur, ut ea prolixiori calamo referre ſupervacaneum foret; ſummopere tamen pro præſenti temporis, rerumque viciſſitudine proficuum eſt, ut ortus, progreſſus, atque exitus funeſti hujus ſchiſmatis ac prætenſæ Reformationis ex coævis ac genuinis Scriptoribus attento oculo, & provida mente perlegatur, ac præcipue illi, quorum intereſt, ex tali lectione ea ſibi decerpant conſilia, quibus olim hæreſes extinqui potuiſſent, nec non ea perpendant, quibus tum auctæ atque corroboratæ fuerunt, delectuque facto hæc repudient atque averſentur, illa vero amplectantur. Cum itaque in primo ſtatim limine prudens Lector animadvertere poterit, quod fatali eo tempore prima perverſionis ſemina per famoſos libellos impune ſparſos fuerint jacta, exinde facile

colligere poterit maximam eosdem ſtatim a principio ſupprimendi neceſſitatem; nihil enim ad hæreſes in ſuis incunabulis ſuffocandas efficacius conducit, quam promiſcuam ſcriptitandi & opinandi libertatem in tempore cohibere; ea enim invaleſcente ſero nimis adhibetur remedium juxta illud Ovidii

Principiis obſta, ſero medicina paratur
Dum mala per longas invaluere moras.

Legat, cui vacat, illa, ut vocabant, *Aviſamenta*, quæ nonnulli Proceres Maximilianum Cæſarem concitantes eidem in libello *gravaminum Nationis Germanicæ* propoſuerunt, & non ſine ſtupore videbit, quod hi jamjam peſſimis principiis imbuti eo usque proceſſerint, ut Cæſareæ ſuæ Majeſtati leges præſcribere auſi fuerint (o). Eapropter Carolus V. in ſuo reſcripto ad Ordines Imperii die 19. Aprilis anno 1521. dato de Luthero hæc enuntiat: *Mentem ego vobis meam aperio, pœnitere me, quod tamdiu diſtulerim contra hominem illum, ejusque falſam doctrinam procedere, nec me poſthac audire illum velle, quicquid etiam allaturus ſit* (p) cum vero

(o) Palatius in vita Max. I. fol. mihi 229.
(p) apud eundem in vita Caroli V. fol. 363.

vero hoc malum vel maxime ex divulgatis perverſæ doctrinæ libellis propagari cerneret, in edicto Wormatienſi diſertis verbis ejusmodi ſchediaſmata imprimi ac diſſeminari prohibuit: *Quia*, inquit glorioſiſſimus Imperator, *non ſine magna animi noſtri offenſa, multos quotidie videmus, & audivimus, cum alibi, tum maxime in Germania, componi & imprimi libros, plurimis malis traditionibus & exemplis refertos: & ne non omni aſtu & dolo, humanæ naturæ hoſtis, Chriſtianis laqueos tendat multos, paſſim divulgari picturas & imagines, non in opprobrium modo privatarum perſonarum, ſed & ipſius ſummi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ contumeliam excogitatas: ex quibus omnibus libris, & picturis, Chriſti fideles in maximos, tam in fide, quam in vita & moribus, prolabuntur errores, & non ſolum privata odia, ſcandala, & ſimultates (prout experientia docet) multis in locis exorta fuerunt: verum etiam ſeditiones, tumultus, rebelliones, ſchiſmata, in Regnis, Provinciis, & populis, atque univerſa Dei Eccleſia (niſi provideatur) jamjam excitanda formidantur: idcirco, ad hanc perniciosiſſimam peſtem extinguendam, & ſupra-*

dictorum Electorum & Statuum concordi animo, & sententia, omnibus & singulis supradictis, tam imperiali quam hæreditario jure nobis subditis, sub jam prædictis omnibus pœnis præcipimus, & mandamus, nequis hujusmodi famosos & pestilentes libros, seu quascunque alias schedas, scripturas, imagines, picturas, contra Orthodoxam fidem, bonos mores, & id quod sancta Romana Ecclesia hactenus observavit: atque etiam invectivas criminationes & ignominias, contra Summum Pontificem, Sedem Apostolicam, Prælatos, Principes, Universitates Studiorum, & eorum facultates honestasque Personas, componere, scribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere; aut imprimi, describi, depingi, vel vendi facere, quavis arte aut dolo audeat, aut attentet. Quinimo sub eisdem pœnis jubemus omnes & singulos supradictos, & præsertim eos, qui justitiæ ministerio præsunt, ut ejusmodi libros quoscunque antehac impressos, vel posthac imprimendos, nec non etiam manu scriptos, cujuscunque sint Auctoris, aut ubicunque locorum per S. Imp., atque etiam nostra hæreditaria Regna, & Provincias inveniantur; similiter etiam picturas hujusmodi

jusmodi & imagines, noſtro juſſu & nomine occupent, diripiant, & publice igne comburant. Et nihilominus hujusmodi deteſtabilium librorum, codicum, ſchedarum, ſcripturarum auctores & inventores, ac etiam poſt præſentis mandati publicationem, Impreſſores, Emptores, & Venditores, qui contra juſſa noſtra facere præſumpſerint (ſi modo id legitime conſtiterit) nec non eorum jura, & bona omnia & ſingula capiant, apprehendant, & detineant, ac jure bono quidquid ſibi licitum fuerit de illis diſponant: ita, quod de hoc nulli hominum, tam in judicio, quam extra, reſpondere ſint obligati.

Atque ut omnis ejusmodi & aliorum errorum occaſio tollatur, & ne talia ſcribentium venena longe lateque diffundantur, ſed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantum, & laudabiles uſus exerceatur: ex certa noſtra ſcientia, animoque deliberato, ac Imperiali Regiaque Auctoritate, de maturo ſupradictorum Electorum, & aliorum S. Rom. Imp. Statuum, conſilio, deliberatione, & unanimi conſenſu, volumus & ſub Banni, & Interdicti Imperialis, ac aliis antedictis pœnis præcipimus & jubemus, tenore præſentis

Edicti, quod vim inviolabilis Legis habere decernimus; nequis de cætero Chalcographus, & librorum Impreſſor, aut alius quivis ubilibet per ſacrum Imperium, atque noſtra prædicta Regna & Dominia conſtitutus, libros ullos, ſeu aliam quamcunque ſcripturam, in quibus de ſacris litteris, aut fide Catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito prius conſenſu & voluntate ordinarii loci, aut ejus ad hoc ſubſtituti & deputati, cum auctoritate etiam facultatis theologicæ alicujus propinquæ Univerſitatis, pro prima videlicet impreſſione: alios vero cujuscunque rei, & facultatis libros, ſchedas, & picturas, de conſenſu ſaltem Ordinarii, aut ejus ad hoc ſubſtituti, ullo pacto imprimere, vel vendere, aut imprimi, vel vendi facere, directe, vel indirecte, quoquomodo præſumat, aut attentet. Ex ejusmodi Hiſtoriæ monumentis fide digniſſimis quisque pro ſtatus ſui ratione cognoſcere poterit, quibus mediis renaſcenti hæreſi, ac promiſcuæ ſentiendi & ſcribendi libertati tempore opportuno obviari queat.

Inter cetera, quæ ſupra allegatus Conradus Brunus profert, conſilia ad prævertendas vel extinquendas haſce Novitates

vitates utilia ex ipso sano Historiæ Ecclesiasticæ usu sequentia depromit: *Magistratus tam Ecclesiastici, quam Sæculares ex Historiis edocti nunquam permittent liberum unicuique, quod libet, credere; nec hæreticis Ecclesias dabunt, nec sacra peragere permittent, sed nec colloquia inter Catholicos & hæreticos instituent. Hæc consilia, etsi pia & Catholica veterum Principum fuerit intentio, minime amplectentur, quia hujusmodi consiliorum infelicem fuisse eventum Historiæ exempla docent. Contra vero seligenda erunt, quæ feliciorem successum & eventum habuerunt: cujusmodi sunt, ut Catholici Magistratus suborientibus hæresibus in tempore occurrant: ut Ecclesiarum Prælati a Romano Pontifice de admonendis, convertendisque hæreticis, & qui ab ipsis decepti fuerint: tum interponendis, fundendisque pro ipsis ad Deum precibus: tum damnandis, & anathemate feriendis his, qui pertinaciter in errore perseveraverint, admoneantur, & Prælati Pontificis mandata fideliter exequantur . . . . hæc & similia consilia, quibus ad vindicandas extirpandasque hæreses, veteres Ecclesiæ Principes, & Magistratus, tam Ecclesiastici, quam sæ-*

culares uſi ſunt, noſtri quoque Principes & Magiſtratus, quoties uſu venit, quisque pro injuncto ſibi officio amplecti debent; quia hæc ipſa felicem olim habuiſſe eventum, ex Hiſtoriis tam ſacris quam profanis edocentur. Hæc ille, quæ haud eo animo adduximus, perinde ac ſi conſilia aliis ſuggerere præſumeremus, ſed unice, ut juxta aliorum veſtigia oſtenderemus, quantum pro cujuslibet temporis ratione rectus Hiſtoriæ uſus utilitatem, quanta vero mala illius abuſus proferat.

CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CXXI.

§. 1. Ditiones Eccleſiaſticæ a Venetis uſurpatæ, atque a Julio II. vindicatæ. pag. 1

§. 2. Fœdus contra Venetos a Julio Galliarum Regi propoſitum, 3

§. 3. Senatus Gallici ſententia de hoc fœdere. ibid.

§. 4. Cæſar, & Arragoniæ Rex hujus fœderis ſocii. 4

§. 5. Quæſitæ hujus Fœderis cauſſæ. 5

§. 6. Articuli ſecreti Fœderis adverſus Venetos. 7

§. 7. Sabaudiæ ac Ferrariæ Duces, necnon Mantuæ Marchio Fœderi accedere rogati. 9

§. 8. Neglectis Piſanorum Studiis Florentini ad ineundum fœdus ſollicitati. 10

§. 9. Cameracenſe Fœdus firmatum. 11

§. 10. Papa Fœderatis nomen dare cunctatus. 13

§. 11. Bellum Luſitanorum contra Mauros in Africa. 14

§. 12. Mauri Arcilla urbe pulſi. 16

§. 13. Caſtellæ Procerum querelæ adverſus Ferdinandum, 17

§. 14. Cauſſa horum Epiſcoporum Commiſſariis a Pontifice delegata. 18
§. 15. Conjuratio a Ferdinando diſſipata. 19
§. 16. Sultani Ægypti conatus in Indiis adverſus Luſitanos. 20
§. 17. Claſſis contra Luſitanos inſtructa; ejus victoria. 21
§. 18. Luſitanæ claſſis Præfectus trucidatus. 23
§. 19. Quorumdam Cardinalium obitus. 24
§. 20. Columnæ Cardinalis extrema. 25
§. 21. Trivultii, Trimolii, & Francioti de Ruvere Cardinalium fata. 26
§. 22. Mors Cardinalis Georgii Coſtæ Ulyſſiponenſis. 27
§. 23. Sixtus Gara de Ruvere Julii Nepos Cardinalis creatus. 29
§. 24. Venetorum conſilia adverſus Cameracenſe fœdus. 31
§. 25. Copiæ a Venetis conſcriptæ. 32
§. 26. Bellum contra Venetos a Galliarum Rege inchoatum. 33
§. 27. Julii II. Pontificis Bulla adverſus Venetos. 34
§. 28. Venetorum appellatio ab hoc edicto ad futurum Concilium. 36
§. 29. Pontificis Conſtitutio adverſus hanc provocationem. 37
§. 30. Trivium a Venetis captum. 39
§. 31. Auſpicia Agniadellani prælii Gallos inter & Venetos. 40

§. 32. Victoria dudum anceps. 41
§. 33. Gallorum victoria. 42
§. 34. Sacellum B. V. ob relatam victoriam a Rege constructum. 44
§. 35. Omnes Mediolanensis Ducatus urbes a Rege occupatæ. 45
§. 36. Pontificii exercitus progressus in Romandiola. ib.
§. 37. Omnes Apuliæ ditiones ab Hispanis recuperatæ. 47
§. 38. Maximiliani Imperatoris exercitus in Italia. 48
§. 39. Justiniani Venetorum Oratoris ad Cæsarem oratio. 49
§. 40. Cæsar ad Venetorum preces inexorabilis. 51
§. 41. Venetorum postulata ſitidem a Pontifice rejecta. 52
§. 42. Pontifex exoratus. 53
§. 43. Veneti Ludovici XII. cunctatione animati. 54
§. 44. Tarvisani Cæsari obluctantes. 55
§. 45. Imperator a Cardinale de Ambasia ad colloquium cum Ludovico XII. invitatus. 56
§. 46. Patavium a Venetis occupatum. 57
§. 47. Aliæ Venetorum victoriæ. 58
§. 48. Ludovicus XII. in Franciam redux. 59
§. 49. Patavium a Cæsare obsessum. 60
§. 50. Pertinax obsessorum defensio. 62

§. 51. Cæsar obsidionem solvere compulsus. 63
§. 52. Vicentia a Venetis recuperata. 65
§. 53. Veneti Ferrariæ obsidionem solvere coacti. 66
§. 54. Marchio Mantuanus a Venetis captus. 68
§. 55. Fœdus, Papiensis Cardinalis ministerio, Papam inter & Galliarum Regem sancitum. 69
§. 56. Dissensio Papam inter & Regem demum sublata. 70
§. 57. Lis de Castella Cæsarem inter & Arragoniæ Regem. 72
§. 58. Galliarum Rex inter ambos Principes controversiæ arbiter. 74
§. 59. Oranum a Cardinale Ximenio suis sumptibus expugnatum. 75
§. 60. Orani expugnatio Petro Navarro Belliduci demandata. 76
§. 61. Exercitus ac Cardinalis Ximenii discessus. 77
§. 62. Exscensio Cardinalis cum exercitu ad Mersalcabirinum portum. 79
§. 63. Prælium Christianos inter & Mauros. 81
§. 64. Maurorum clades; Oranum a Christianis occupatum. 83
§. 65. Oranum vi captum. 84
§. 66. Ximenii Cardinalis ingressus in urbem; ejus possessio capta. 86
§. 67. Ximenius conscensa navi in Hispaniam reversus. 87

§. 68. Ximenii contentio cum quodam Franciscano Oranensem Episcopatum ambiente. 88
§. 69. Maurorum classis a Lusitano Rege profligata. 90
§. 70. Albuquercius Pro-Rex Almeydæ subrogatus. 92
§. 71. Consilia Regis Angliæ de sua filia Carolo Archiduci desponsanda. 92
§. 72. Henricus VII. morti proximus. 93
§. 73. Henrici obitus. 94
§. 74. Henricus VIII. Successor, defuncti filius. 97
§. 75. Ladislai Bohemiæ Regis responsum ad libellum supplicem Bohemorum. 97
§. 76. Apologia Fratrum Bohemorum adversus Augustinum Doctorem. 98
§. 77. Cardinalis S. Georgii obitus. 101
§. 78. Mors Cardinalis Copis. 102
§. 79. Terræ motus Constantinopoli. 103
§. 80. Arsenius a Græco Patriarcha Constantinopolitano excommunicatus. 104
§. 81. Constitutio Pontificis contra Duellantes. 105
§. 82. Pollicitatio Cæsaris Galliarum Regi adversus Venetos facta. 106
§. 83. Veneti in Papæ gratiam redire intenti. 108
§. 84. Ludovicus XII. Venetorum reconciliationem impedire conatus. ibid.

§. 85.

§. 85. Pontificis Venetis reconciliati rationes. 109
§. 86. Veneti a Papa cenſuris liberati. 111
§. 87. Facta reconciliatione exercitus a Venetis conſcriptus. 113
§. 88. Helvetii ad Gallorum partes deſerendas a Papa ſollicitati. 114
§. 89. Angliæ Rex ad defectionem inductus. 117
§. 90. Papa Hiſpaniæ Regem ac Cæſarem a Gallis avertere conatus. 118
§. 91. Comitia a Cæſare Auguſtæ indicta. 119
§. 92. Oratio Ludovici Heliani Franciæ Oratoris in Comitiis Auguſtanis contra Venetos. 120
§. 93. Cæſarei hac oratione expugnati. 126
§. 94. Veneti Veronam recuperare nequidquam moliti. 127
§. 95. Prætenſa Sedis Apoſtolicæ jura a Julio contra Ferrariæ Ducem ſuſcitata. 128
§. 96. Ducis Ferrarienſis vindiciæ adverſus jura Pontificis. 131
§. 97. Papa Duci anathema, bellumque minatur. 133
§. 98. Galliarum Rex cum Cæſare in Papam conſpirat. 134
§. 99. Legationes Cæſaris ad Papam, Regemque Catholicum. 135
§. 100. Vicentia a Germanis, & Gallis obſeſſa captaque. 136

§. 101.

§. 101. Cardinalis de Ambasia obitus. 137
§. 102. Papa relictas Cardinalis pecunias sibi vendicans. 141
§. 103. Novum Fœdus Cæsarem inter & Galliarum Regem. 142
§. 104. Urbs Montis Selicis a Fœderatis obsessa, captaque. 143
§. 105. Pontificis copiæ adversus Ferrariæ Ducem. 145
§. 106. Ferrariæ Dux amissa recuperat. 146
§. 107. Helvetiorum irruptio in Mediolanensem Ducatum. ibid.
§. 108. Helvetii re infecta reversi. 147
§. 109. Verona a Venetis obsessa. 148
§. 110. Iterata, sed frustranea Pontificis molimina adversus Genuenses. 150
§. 111. Papæ ac Venetorum classes re infecta recedentes. 152
§. 112. Regni Neapolitani investitura a Papa Ferdinando concessa. 153
§. 113. Ludovicus Papam ad revocandum diploma compellere molitus. 155
§. 114. Ferrariæ obsidio a Pontifice decreta. 157
§. 115. Venetorum exercitus pedem referre a Ferrarienſi compulsus. 158
§. 116. Comitia Cleri Gallicani jussu Franciæ Regis Turonibus coacta. 159
§. 117. Articuli in Comitiis Turonensibus propositi ac discussi. 160

§. 118. Episcopus Gurcensis Maximiliani Legatus in Francia. 163
§. 119. Censuræ Pontificis contra Franciæ Clerum, & Ambasianum Marescallum. 167
§. 120. Quinque Cardinales relicto Papa Mediolanum profugi. 168
§. 121. Ciamontius Bentivoliorum suasu Bononiam, Papamque capere tentat. 169
§. 122. Pontificis aula Bononiæ timore perculsa. 171
§. 123. Venetorum, atque Arragonum Legati a Papa objurgati. 172
§. 124. Legati ad Ciamontium Marescallum pro concordia ineunda a Papa missi. 173
§. 125. Pacis articuli Papam inter, & Ciamontium Marescallum. 175
§. 126. Ciamontius Fædere a Papa proposito delusus. 176
§. 127. Consilium Papæ de Ferraria rursum obsidenda. 177
§. 128. Mirandula a Pontificiis, Venetisque copiis obsessa. 180
§. 129. Bayardus Eques Papam capere molitus. ibid.
§. 130. Cæsaris ac Galliarum Regis Oratores ad Ferdinandum missi. 182

§. 131.

§. 131. Hiſpaniæ Regis reſponſum ad Legatos. 183
§. 132. Bugia a Petro Navarra expugnata. 185
§. 133. Goa in Indiis ab Albuquercio nomine Regis Luſitani occupata. 187
§. 134. Hiſpanorum clades in Inſula Gelviæ a Mauris illata. 188
§. 135. Juramentum a Ferdinando coram Madriti Ordinibus innovatum. 189
§. 136. Neapolitanorum ſeditio occaſione Inquiſitionis. 190.

LIBER CXXII.

§. 1. Julius Papa in obſidione Mirandulana Belliducem agit. 193
§. 2. Papa in vitæ periculo. 195
§. 3. Papa Mirandula potitus, urbemque ingreſſus. 196
§. 4. Galli Mutinam capere nequidquam tentantes. 197
§. 5. Mutina Cæſari a Papa velut Imperii feudum reſtituta. 199
§. 6. Ciamontii Mareſcalli obitus. ibid.
§. 7. Trivultius in exercitus Imperio ſubrogatus. 201
§. 8. Pontificii, ac Veneti Baſtiæ a Trivultio cæſi. ibid.
§. 9. Ferdinandus Cæſarem a Gallorum ſtudiis avertere conatus. 203

§. 10. Consilium Cæsari probatum, ac Galliarum Regi præscriptum. 204
§. 11. Mantuani conventus convocatio Galliarum Regi varias ob caussas probata. 205
§. 12. Gurcensis Episcopus, Bononiæ Papam accedens. 207
§. 13. Gurcensis Episcopi arrogantia coram Pontifice. ibid.
§. 14. Colloquia inter tres Cardinales, totidemque Proceres Germanos ab Episcopo nominatos. 208
§. 15. Concordiæ articuli Cæsarem inter & Venetos rejecti. 210
§. 16. Mantuæ conventus dissolutus. 212
§. 17. Octo Cardinales a Julio creati. 214
§. 18. Trivultii exercitus in aciem eductus. 216
§. 19. Galliarum Rex contra Hispaniæ Legatum conquestus. 217
§. 20. Trivultius capta Concordia, versus Bononiam movet. 218
§. 21. Bononia occupata; Bentivolii restituti. 219
§. 22. Papiensis Cardinalis Legatus relicta Bononia Ravennam profugus. 220
§. 23. Papæ statua a Bononiensibus diffracta. 221
§. 24. Plures urbes a Ferrariensi captæ, ejusdem Ducis vindicta in Carpiensem Comitem. 223

§. 25.

§. 25. Urbinatis Dux a Papienſi Cardinale de amiſſa Bononia poſtulatus. 223
§. 26. Cardinalis a Duce in publica platea trucidatus. 224
§. 27. Robertus Cardinalis a Papa ad Trivultium pro concilianda pace miſſus. 225
§. 28. Concilium adverſus Julium Piſis convocatum. 227
§. 29. Concilium Piſanum Cardinalium auctoritate convocatum. 230
§. 30. Papa convocationis nuntio turbatus. 231
§. 31. Alia Synodus a Papa Romæ convocata. ibid.
§. 32. Vindiciæ Pontificis in hac Conſtitutione. 233
§. 33. Alia Bulla contra tres illos Cardinales præcipuos Piſani Concilii Auctores. 237
§. 34. Epiſtola Piſanorum Cardinalium ad Romanos. 238
§. 35. Apologia Piſani Concilii ab ejusdem Patribus publicata. 242
§. 36. Convocati Concilii obtentus. 244
§. 37. Inſtrumentum appellationis contra citationem Pontificis a Piſanis Cardinalibus ſubſcriptum. 247
§. 38. Secundi Piſani Concilii initium. 250
§. 39. Piſani Concilii Seſſio I. 253
§. 40. Primæ Seſſionis Decretum. 254
§. 41. Seſſio II. 257
§. 42. Hujus Seſſionis Decreta. 258

§. 43. Seſſio III. 260
§. 44. Piſani Cardinales a Papa excommunicati, atque exauctorati. 262
§. 45. Gravis Papæ ægritudo. 263
§. 46. Julii fœdus cum Ferdinando, & Venetis contra Gallos. 264
§. 47. Fœdus Ferdinandi cum Papa, Venetisque promulgatum. 265
§. 48. Hujus Fœderis Articuli. 266
§. 49. Raymundus Cardona Pro - Rex Neapolitanus fœderatis copiis præfectus. 267
§. 50. Cæſar, atque Angliæ Rex ad hoc fœdus ſollicitati. 269
§. 51. Papa belli initium a Florentina expugnatione duci peroptans. 270
§. 52. Petruccius Florentinorum invaſionem Papæ diſſuadet. 271
§. 53. Florentinorum conſilia adverſus Piſanam Synodum. 273
§. 54. Synodum Piſis Mediolanum transferrendi ratio. 274
§. 55. Cæſar ſuis Prælatis acceſſum ad Synodum concedere cunctatus. 275
§. 56. Piſana Synodus Mediolanum translata. 277
§. 57. Helvetiorum irruptio in Mediolanenſem ſtatum. 278
§. 58. Helvetii haud conſpecto Fœderatorum exercitu ad ſua reverſi. 280

§. 59.

§. 59. Florentini ad Gallorum partes a Rege ſollicitati. 282
§. 60. Florentinorum Deputati ad Franciæ Regem, & Fœderatos. 283
§. 61. Initium Imperii Cheriforum in Africa. 284
§. 62. Joannis Reichlini controverſia de Judæorum libris. 286
§. 63. Reichlinus propter Rabbinorum libros a Colonienſibus Theologis vexatus. 289
§. 64. Plurium Cardinalium obitus. 294
§. 65. Oliverius Caraffa. ibid.
§. 66. Utriusque Borgiæ obitus. 295
§. 67. Petri Iſualiæ mors. 296
§. 68. Gabrielis de Gabriellibus extrema. 297
§. 69. Franciſci Argentini fatum. 298
§. 70. Seſſio IV. Concilii Mediolani habita. 299
§. 71. Decreta hujus Seſſionis. 300
§. 72. Seſſio V. Mediolani celebrata. 304
§. 73. Seſſio VI. Mediolanenſis. 306
§. 74. Seſſionis VI. Decreta. 307
§. 75. Fœderatorum Principum exercitus in caſtris. 314
§. 76. Bononia a Fœderatis obſeſſa. 316
§. 77. Gaſto Fuxus latis ſuppetiis urbem ingreſſus. ibid.
§. 78. Obſidentes de Bonnoniæ obſidione dubii. 318

§. 79. Cardinalis Medicæus de Hiſpanorum cunctatione conqueſtus. 319
§. 80. Aſſultum rupto cuniculo tentandi conſilium. 321
§. 81. Fæderati ſoluta obſidione recedentes. 322
§. 82. Brixia a Venetis capta. 323
§. 83. Fuxenſis Bononia profectus, Brixiam recuperare molitus. 324
§. 84. Venetorum exercitus ſub Duce Balilone cæſus. 325
§. 85. Gaſtonis Breſciam delati apparatus ad prælium ibidem committendum. 326
§. 86. Venetorum clades, Breſcia occupata. 327
§. 87. Henricus VIII. Gallorum hoſtis. 329
§. 88. Pontificis diploma hac ſuper re ad Henricum Angliæ Regem. 331
§. 89. Gallis adverſandi obtentus a Cæſare quæſitus. 332
§. 90. Immodicæ poſtulationes Cæſaris ad Galliarum Regem. 333
§. 91. Ludovicus Helvetios a Papæ obſequio abſtrahere, incaſſum conatus. 334
§. 92. Florentini Fœdus cum Gallis innovare renuentes. 335
§. 93. Fuxenſis Fœderatorum copias aggredi, a Rege juſſus. 336
§. 94. Prælium a Fœderatis declinatum. 338
§. 95. Induciæ Imperatoris cum Venetis. 339
§. 96. Ravenna a Gaſtone obſeſſa. 340
§. 97. Ravenna aſſultu invaſa. 341

§. 98.

§. 98. Gasto Fœderatis pugnam offerre paratus. 342
§. 99. Utriusque exercitus ordo. 344
§. 100. Pertinax utrinque pugna. 346
§. 101. Gallorum agmen a peditibus Hispanis cæsum. 347
§. 102. Gasto Fuxensis Nemorsii Dux prælio occisus. 348
§. 103. Galli parta victoria stationem in acie tenent. 351
§. 104. Ravenna assultu capta atque a Gallis direpta. 352
§. 105. Papa, omnesque Romani hujus victoriæ fama territi. 354
§. 106. Papa a Cardinale de Medicis animo erectus. 355
§. 107. Julianus Mædicæus ad Papam a Legato Cardinale missus. 357
§. 108. Amplæ pacis conditiones a Rege Pontifici oblatæ. 358
§. 109. Ludovicus a Julio delusus. 360
§. 110. Palicio fugiente plurimi a Gallis deficiunt. 361
§. 111. Sessio septima Synodi Pisis Mediolanum translatæ. 364
§. 112. Sessio VIII. Mediolanensis. 366
§. 113. Decretum Pisani Concilii de suspensione Julii II. Papæ. 367
§. 114. Concilii II. Pisani Mediolanum translati exitus. 370

§. 115. Ludovicus Mediolanenſe Concilium regio diplomate edito acceptans. 373
§. 116. Galliæ Regnum a Julio interdicto ſubjectum. 375
§. 117. Ludovicus huic interdicto obluctatus. 376
§. 118. Cajetani liber de auctoritate Papæ & Concilii ad Piſanos Patres miſſus. 377
§. 119. Epiſtola Galliarum Regis hac ſuper re ad Univerſitatem Pariſienſem. 379
§. 120. Analyſis hujus libri. 380
§. 121. Siciliæ Prorex ad reprimendos Neapolitanos in Italiam venire juſſus. 389
§. 122. Julius re comperta ſancitæ pacis pacta honeſto obtentu eludens. 391
§. 123. Anathematis comminatio adverſus Regem Cardinalium rogatu omiſſa ibid.
§. 124. Rex copias ex Italia Anglorum bello revocare compulſus. 392
§. 125. Concilium Lateranenſe a Papa adornatum. 393

LIBER CXXIII.

§. 1. Toletanus ac Hiſpalenſis Archiepiſcopi a Papa ad Synodum invitati. 395
§. 2. Initium Concilii Lateranenſis Romæ ſub Julio II. 396

§. 3.

§. 3. Oratio pro ſolemni initio Concilii Lateranenſis ab Auguſtinianorum Generali habita. 397
§. 4. Seſſio I. Concilii Lateranenſis. 400
§. 5. Miniſtri Concilii. 401
§. 6. Seſſio II. Concilii Lateranenſis. 403
§. 7. Ravenna a Fœderatis recuperata. 404
§. 8. Octodecim Helvetiorum millia in Italia. 405
§. 9. Helvetii junctis Venetis Mediolanum ingreſſi. 407
§. 10. Imperator ſuas copias a Gallorum exercitu revocat. 408
§. 11. Exercitus Fœderati progreſſus. 410
§. 12. Galli Mediolano amiſſo Papiam ad Palicium veniunt. 411
§. 13. Galli Pedemontium profugi. 412
§. 14. Julius II. Bononiam reverſus. 414
§. 15. Mantuæ Marchio pacis conciliator Papam inter & Ferrariæ Ducem. 415
§. 16. Dux Romam venire, a Columnenſibus tandem perſuaſus. 417
§. 17. Papa Ducem Romæ cuſtodiæ dare meditatur. 419
§. 18. Ferrariæ Dux cum Columnenſibus Roma excedens Ferrariam venit. 419
§. 19. Pontificis ultio in Florentinos. 420
§. 20. Maximilianus Sfortia in Mediolani Ducatum repoſitus. 422

§. 21. Papa Medicæis Florentiæ Imperium reſtitui ſollicitus. 423
§. 22. Florentinis repugnantibus Papa bellum nuntiat. ibid.
§. 23. Pratum a Cardonna occupatum. 424
§. 24. Fœdus cum Florentinis a Cardonna initum. 425
§. 25. Medicæi Cardonnam, & Hiſpaniæ Miniſtros ſibi devinciunt. 426
§. 26. Medicæi Florentiam regreſſi urbem occupant. 427
§. 27. Julius Gallos Genua pellere conatur. 429
§. 28. Venetis Crema a Gallis reſtituta. 431
§. 29. Gurcenſis Epiſcopus plena auctoritate a Cæſare inſtructus Romam venit. 432
§. 30. Papa de Hiſpanis apud Gurcenſem Epiſcopum conqueſtus. 433
§. 31. Papæ rationes Mutinam, Regium, Parmam ac Placentiam retinendi. 434
§. 32. De concordia Cæſarem inter & Venetos actum. 436
§. 33. Julius Papa, relictis Venetis, cum Cæſare Fœdus paciſcitur. 437
§. 34. Fœdus Papæ ac Cæſaris contra Venetos. 438
§. 35. Seſſio III. Concilii Lateranenſis. 440
§. 36. Gurcenſis Epiſcopus Roma Mediolanum profectus. 442
§. 37. Seſſio IV. Concilii Lateranenſis. 443

§. 38.

§. 38. Ferdinandi Hiſpaniæ Regis molimina adverſus Navarræ Regnum. 445
§. 39. Exercitus ab Angliæ Rege in Hiſpaniam miſſus. 446
§. 40. Ferdinandi artes ad occupandum Navarræ Regnum. 448
§. 41. Duo Conſiliarii a Ferdinando ad Navarræ Regem deputati. 449
§. 42. Hiſpanorum exercitus Navarræ. 450
§. 43. Pampelona ab Albenſi obſeſſa, & capta. 451
§. 44. Navarræ Rex in Franciam profugus. 453
§. 45. Tota ferme Navarra a Ferdinando expugnata. ibid.
§. 46. Utrum Julius II. Papa Navarræ Regem anathemate perculerit? 454
§. 47. Dorceſtriæ Marchio in Ferdinandum commotus, ac in Angliam redux. 457
§. 48. Exercitus a Ludovico XII. Navarram miſſus. 458
§. 49. Navarræ Rex in ſuo Regno victor. 460
§. 50. Pampelona a Navarro cincta, obſidio ſoluta. 461
§. 51. Inglorius Gallorum reditus in Franciam. 462
§. 52. Tartari a Polonis cæſi. 464
§. 53. Bajazethis II. Turcarum Imperatoris obitus. 465
§. 54. Floridæ inventio. 466

§. 55.

§. 55. Julii II. consilium de bello sacro, atque Hispanis ex Italia propellendis. 467
§. 56. Rex Catholicus de Papæ consiliis certior factus. 469
§. 57. Ferdinandi Oratores cum Ludovico XII. de fœdere acturi. 471
§. 58. Ludovicus Principes Fœderatos alienare conatur. 472
§. 59. Cæsar a Gallo incassum ad concordiam sollicitatus. 473
§. 60. De Fœdere cum Venetis actum. 474
§. 61. Sessio V. Concilii Lateranensis. 476
§. 62. Julii II. Pontificis obitus. 478
§. 63. Parma & Placentia a Cardonna, urbesque a Ferrariensi Duce recuperatæ. 480
§. 64. Cardinales conclave ingressi. 481
§. 65. Julianus Medicæus Cardinalis in Papam electus. 486
§. 66. Medicæus assumpto Leonis X. nomine coronatus. 488
§. 67. Carvaialus & Sanseverinas Cardinales Romam contendunt. 489
§. 68. Dubia Pontificis mens in præsenti rerum vicissitudine. 491
§. 69. Fœdus Gallos inter & Venetos firmatum. 492
§. 70. Fœderis articuli. 493

§. 71.

§. 71. Seſſionis ſextæ prorogatio per conſtitutionem Leonis X. indicta. 494
§. 72. Seſſio ſexta Concilii Lateranenſis. 496
§. 73. Ludovicus XII. Mediolani Ducatum ipſus recuperare ſtatuit. 498
§. 74. Rex a propoſito deterritus, eo Trivultium, & Trimollium decernit. 500
§. 75. Trimollius cum exercitu ſuo in Mediolanenſi Ducatu. ibid.
§. 76. Bartholomæus Livianus Veneti exercitus Dux. 502
§. 77. Liviani victoriæ in Mediolanenſi ſtatu. 503
§. 78. Genua Seditionis ope Gallis tradita. 504
§. 79. Totus Mediolani Ducatus, excepta Navarra & Como, Gallis ſubjectus. 505
§. 80. Papa Gallos a Mediolano arcere nequidquam conatus. 506
§. 81. Prædeceſſoris exemplo novus Papa Gallis adverſatus. 507
§. 82. Legatus a Maximiliano Sfortia ad Papam miſſus. 509
§. 83. Pecuniæ ad conſcribendas copias adverſus Gallos a Papa Helvetiis miſſæ. 510
§. 84. Navarra a Trimollio cincta. 512
§. 85. Obſidio interrupta, Helvetiorum aggreſſio. 513
§. 86. Gallorum caſtra ab Helvetiis impugnata. 514

§. 87.

§. 87. Ingens Gallorum clades & Helvetiorum victoria. 515
§. 88. Gallorum exercitus accepta clade ex Italia redux. 518
§. 89. Galli Genua expulsi: Fregosii restituti. 519
§. 90. Livianus cum copiis suis recedit, ac Lignanum occupat. 520
§. 91. Veronna a Liviano cincta, & soluta obsidio. 521
§. 92. Cardonna Neapolis Prorex in Longobardiam movens. 522
§. 93. Livianus Patavii inclusus Cardonnam urbis obsidionem solvere compellit. 523
§. 94. Venetorum querelæ adversus Papam. 524
§. 95. Sessio VII. Concilii Lateranensis. 526
§. 96. Carvaiali & Sanseverinatis Cardinalium palinodia in Concilio perlecta. 527
§. 97. Papa apud Galliæ Regem innocentiam suam vindicans. 527
§. 98. Ludovici XII. Oratores ad Lateranense Concilium missi. 529
§. 99. Nonnulli Cardinalium reconciliationi obluctantes. 531
§. 100. Carvaialus & Sanseverinas Cardinales in Papæ gratiam recepti. 532
§. 101. Cardinales a Leone X. creati. 534
§. 102. Papa Venetos a Gallis abstractos Cæsari conciliare intentus. 536
§. 103. Conditiones a Venetis rejectæ. 538
§. 104. Venetorum ditio usque ad eorum Metropolim ab Hispano exercitu devastata. 539

§. 105.

§. 105. Livianus ac Balionius ab Hiſpanis cæſi. 541
§. 106. Parta victoria Hiſpanorum progreſſus. 542
§. 107, Fœdus Mechlinienſe Fœderatos inter & Angliæ Regem. 544
§. 108. In navali prælio Anglos inter & Gallos claſſis Architalaſſius occiſus. 545
§. 109. Teruana ab Anglis obſeſſa. 547
§. 110. Imperator in Anglorum exercitu voluntariam militiam profeſſus. 549
§. 111. Sex armatorum millia ab Helvetiis Galliarum Regi denegata. 550
§. 112. Galli Teruanæ urbi ſuppetias veniunt. 551
§. 113. Annona, bellique apparatus urbi illatus. 553
§. 114. Gallorum exercitus ab Anglis, Germanisque cæſus. 553
§. 115. Capta Teruana, Tornacum ab Anglis obſeſſum. 555
§. 116. Margaritæ & Caroli Archiducum ſalutatio Henrico VIII. reddita. 557
§. 117. Novum Fœdus Inſulis ſancitum. ibid.
§. 118. Helvetiorum irruptio in Burgundiam. 559
§. 119. Divio ab Helvetiis obſeſſa. 560
§. 120. Fœdus inſcio Rege cum Helvetiis a Trimollio initum. 561
§. 121. Helvetii ſoluta Divionis obſidione recedentes. 562
§. 122. Bellum Scotiam inter & Angliam. 563
§. 123. Henrici VIII. preces pro obtinenda a Pontifice licentia corpus Scotiæ Regis ad Eccleſiam S. Pauli transferendi. 565

§. 124.

§. 124. Literæ Pontificis Angliæ Regi partam victoriam gratulantis. 567
§. 125. Pax cum Cæsare, & Rege Catholico, & Ludovico Pontifici minus probata. 569
§. 126. Divionense Fœdus cum Helvetiis a Ludovico reprobatum. 570
§. 127. Obsidum mors ab Helvetiis decreta. 572
§. 128. Sessio VIII. Concilii Lateranensis, cui Ludovicus ejurato Pisano cœtu adhæret. 573
§. 129. Libellus supplex Synodo porrectus contra Provinciæ Senatum. 577
§. 130. Decretum Concilii de natura Animæ. 583
§. 131. Decreta pro ordinandis studiis in universitatibus. 584
§. 132. Sententia Pomponacii de immortalitate animæ. 585
§. 133. Constitutiones Pontificiæ in hac Sessione promulgatæ. 586
§. 134. Mors Roberti de Guibe Cardinalis. 588

HISTO-



Ingressus Ximenii Cardinalis in captam a se Maurorum Urbem.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXI.

JULIUS II. PAPA.
MAXIMILIANUS I. OCCIDENT. IMPERATOR.

§. I.

Ditiones Ecclesiasticæ a Venetis possessæ per Julium II. vindicatæ.

Cum Julius II. Ecclesiæ civitates, quæ ab exteris usurpabantur, recuperare omni virium contentione adlaboraret, Bentivolio Bononia depulso, Vene- *Machia. hist. lib. 6.*

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

Sæcul. XVI. A. C. 1508.

tos aggressus est; hi enim jam altero ferme sæculo Cerviam, atque ab Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo primo Ravennam occupabant, ac præter has urbes adhucdum Faventiam, Ariminum, Forum Cornelii, Cesenam aliasque plures minus conspicuas Romandiolæ civitates tenebant, quas illi, dum Valentini Ducis ditiones distrahebantur, vi occupaverant. Has igitur, quas memoravimus, urbes Papa a Venetis vindicare constituit, & primo quidem summa moderatione ipsis postulati sui æquitatem, necnon ultroneæ submissionis gloriam ob oculos poni curavit: iis vero parere renuentibus, arma inferre decrevit. Porro quamvis Julius alias juribus suis tuendis pertinacissime insisteret, ac proin ditionum, quas ad Sedem Apostolicam pertinere arbitrabatur, recuperationem summopere exoptaret, sunt tamen, qui autumant, urbium, quas Veneti usurpabant, repetitionem nonnisi prætextum, genuinam vero belli Venetis indicti caussam eam fuisse, quod illi profugo Bentivolio in suis ditionibus asylum præbuerint, atque excluso Pontificis Nepote, ut supra meminimus, alium in Vicentinam Sedem intruserint. Cum vero solus ferendis belli sumptibus impar esset, dissimulato nonnihil dolore, quo in Maximilianum Imperatorem, Ludovicum

Ferron. lib. 4. Nicol. Basil. in addit. ad Naucler.

Marian. lib. 29. cap. 25.

cum XII. Franciæ, & Ferdinandum Aragoniæ Reges afficiebatur, totus in eo erat, ut cum tribus hiſce Monarchis armorum ſocietatem paciſceretur. Sæcul. XVI. A C. 1508.

§. II.

Fœdus contra Venetos a Julio Galliarum Regi propoſitum.

Præprimis igitur ad Galliarum Regem recurrebat Pontifex, miſſo ad eum Carpienſi Comite, qui hoc negotium perficeret. Proponebat in regio Senatu nova hæc fœderis conſilia Cardinalis Auſcitanus, cui etiam Cardinalis de Ambaſia primus Regis Miniſter, Venetis alias jam infenſiſſimus, ſtrenue ſuffragabatur. Præcipuum fœderis hujus punctum id erat, ut omnes, qui huic armorum ſocietati accederent, pro viribus mutua ſibi ſuppeditarent auxilia, donec cunctæ, quas Veneti uſurpaſſe dicebantur, ditiones vindicatæ eſſent. *Belleſor. lib. 6. cap. 16.*

§. III.

Senatus Gallici ſententia de hoc fœdere.

Prælegebatur itaque hic articulus in Regis Senatu, & omnium propemodum ſuffragiis acceptabatur, ac unus obſiſte-

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

bat Stephanus Poncherus Parisiensis Episcopus, qui hæc consilia evertere conatus est, prætendens, Gallis summe proficuam esse Venetorum amicitiam, ceterorum vero societatem Franciæ omnino exitiosam. Hic Episcopus communem Senatorum consensum nonnisi abjectæ adulationi, qua primo Regis Ministro obsequi certabant, adscribebat; censebat enim, quod servili quodam Regis voluntati inserviendi studio ducti fuissent, cum tamen haud alio ex fine ad Senatorum dignitatem evecti essent, quam ut Regi, quæ justa censent, consilia suggererent, ab iis vero, quæ iniqua sunt, eundem absterrerent. Palam quidem erat, Episcopum hunc recte sensisse, sed prævalebat ceterorum auctoritas, ac ipsemet Ludovicus Rex æque ac ejus Minister in Venetos commotus, eos vexandi occasionem sibi oblatam avide arripiebat.

§. IV.

Cæsar, & Arragoniæ Rex hujus fœderis socii.

Raynald. ann. 1509. num. 1.

Cum vero Cæsarem quoque fœderis hujus socium optarent, idcirco Oratores ad eum decreverunt, atque, ut eó certius illum ad suas partes pertraherent, dextre veterum, quibus olim cum Venetis

tis collidebatur, contentionum necdum plene extinctarum memoriam refricarunt: nec incassum; Maximilianus quippe fœderis articulos sibi prælegi jussit, cum autem eos rebus suis propitios cerneret, lubens illos approbavit. Ast non eadem facilitate Ferdinandus Arragonum Rex societati huic nomen dedit, sed plura eaque gravia, quæ ipsum ab hoc fœdere absterrerent, proponebat obstacula. Ergo ut illa e medio tollerentur, adlaboratum est, & quamvis ipse ex rationum momentis sibi propositis hanc societatem minus æquam cognosceret, nihilominus oblato fœderi subscripsit; intellexerat enim, quod tum Cæsar, tum Galliarum Rex unioni huic faverent, aliunde etiam hujus societatis beneficio spem concipiebat recuperandi ea, quæ Carolo VIII. bellum in Neapolitanos movente, Venetis in Apulia pignoris loco reliquerat. Itaque & ipse ceteris arma sua conjungere pollicebatur, eo tamen consilio, ut a novis hisce fœderatis deficeret, quamprimum commodi sui ratio datæ fidei mutationem suaderet. Sæcul. XVI. A. C. 1508.

§. V.

Quæsitæ hujus Fœderis caussæ.

Igitur utrinque firmabatur nominatissimum hoc fœdus, quod vulgo *Camera-* *Guicc. hist. l. 8.*

Sæcul. XVI A. C. 1508

censis societas, nomine a loco congressus mutuato dicebatur: Ut vero rei gestæ, si fieri posset, suspicio Venetis penitus adimeretur, atque hujus congressus consilia alto admodum silentio premerentur, Fœderati obtendebant, se nulla alia ex caussa convenisse, quam ut dissidia inter Carolum Lucemburgicum Hispaniæ Principem, & Geldriæ Ducem Gallis fœderatum exorta mutuo colloquio componerent. Quinimo, ut hic prætextus ad veritatem propius accedere videretur, concordiæ pacta a Geldriæ Duce oblata hoc anno die decima Decembris signabant ac hujus caussæ cognitionem judicibus committi fingebant, cum tamen eodem die absque fori strepitu, aliisque solemniis mutuæ armorum societati, quæ genuina congressus caussa erat, adversus Venetos subscripsissent. Præpediebantur fœderati Principes hisce comitiis per se ipsos interesse, unde quivis eorum suos eo ablegabat Deputatos, ac Imperatoris quidem nomine aderat Margarita Austriaca Sabaudiæ Ducis Vidua Maximiliani Filia, & Belgii Gubernatrix, quæ rerum gerendarum dexteritate percelebris, animos flectere nata, atque ad concilianda dissidentium studia longe aptissima videbatur. Ludovicus quoque Galliarum Rex Cardinalem de Ambasia primum suum Ministrum, Rex vero Arragoniæ

Seyssel hist Ludov. XII Raynald. ad ann 1509. n. 3. & 4.

goniæ itidem ſuum Oratorem eo decreverant: totum vero negotium præcipue Cardinalem inter, & ſolum Sabaudiæ Ducem concludebatur, ceteris nonniſi, quæ inter ambos diſcuſſa, atque concluſa fuerant, rata habentibus. Sæcul. XVI. A.C 1508.

§. VI.

Articuli ſecreti fœderis adverſus Venetos.

Cum ſupervacaneum exiſtimem concordiæ leges cum Geldriæ Duce initas impræſentiarum recenſere, ſolum memorabo fœdera contra Venetos hunc in modum perſcripta. I. Sit mutua armorum ſocietas inter ſummum Pontificem, Galliarum, & Arragoniæ Reges eo fine, ut ditiones, & loca, quæ Veneti ſingulis eripuerunt, denuo vindicarentur. Reddantur ergo ſummo Pontifici urbes, quas ii in Romandiola adverſus Sedem Apoſtolicam uſurparunt, erant autem Ravenna, Cervia, Faventia, Ariminum, Forum Cornelii, & Ceſena; Imperatori vero reſtituantur Roboretum, Verona, Patavium, Vicentia, Traviſum, & Forum Julium: ad Galliarum Regem redeant Brixia, Crema, Bergomum, Cremona, & Geradada, cum ſingulis locorum territoriis, quæ antiquitus Mediolanenſis Ducatus erant. Pariter Arragoniæ Rex recuperet

Hiſt. de la Ligue de Cambray vol. 2. Paris. 1709. tom 1. lib 1 p. 50. Marian hiſt. Hiſp. lib. 29. n. 65.

Secul. XVI A.C. 1508

Tranum, Brundusium, Otrantum, & Gallipolin cum omnibus portubus, quos Veneti in Neapolis Regno occupaverant. II. Die prima Aprilis anno sequenti Fœderati Principes instructos exercitus suos in aciem educant; cum autem Maximilianus triennales inducias antea cum Venetis inierit, Papa Maximilianum, ut violati pacti causſam habeat, velut Ecclesiæ Romanæ clientem evocet, ut ad recuperandas Ecceleſiastici imperii urbes opem ferat. III. Cum hi tres Principes Venetos profanis armis aggressuri sint, simul Pontifex indicta anathematis pœna ad usurpatorum restitutionem Rempublicam compellat, statumque interdicto subjiciat. IV. Hungariæ, & Angliæ Reges, necnon Sabaudiæ, ac Ferrariæ Duces, unacum Mantuano Marchione, ut & ipsi fœderi accedant, sollicitentur. V. Durante bello nec Cæsar, nec Hispaniæ Princeps ejusdem Nepos ullo pacto Aragonum Regi molestiam inferat ob jura in Castellæ regnum, quod Joannæ Hispaniæ Principis Matri parebat. VI. Maximilianus Ludovico XII. novam Mediolanensis Ducatus inaugurationem concedat, in qua etiam Brixia, Bergomum, ceteræque ejusdem Ducatus urbes a Venetis repetendæ comprehendantur. VII. Si Respublica a Turcis subsidia imploret, Fœderati auctis viribus tanquam sacra

cra expeditione adverſus infideles ſumpta eam perſequantur. VIII. Fœderatorum Principum nullus absque ceterorum aſſenſu pacem, vel inducias cum Venetis paciſcatur. IX. Denique ne contentio, quæ Cæſarem inter, ac Regem Catholicum tunc gliſcebat, fœderis conſilia, atque ſucceſſum everteret, communi utriusque ſuffragio feligantur Commiſſarii, quorum opera, peracto cum Venetis bello, lis amica compoſitione dirimatur. Sæcul. XVI. A C. 1508.

§. VII.

Sabaudiæ ac Ferrariæ Duces, nec non Mantuæ Marchio Fœderi accedere rogati.

Præterea inter eos ſancitum, quod etiam Sabaudiæ Dux, ut fœderi nomen daret, ſollicitetur, hunc vero ut eo facilius inducerent, promiſſi amplitudine apud eum plurimum valitura ſibi concilient, ſpe eidem facta, illum fœderatorum ope regnum Cypri, quod a Venetis occupatum, ſuum eſſe contendebat, facile recuperaturum; igitur Sabaudiæ Dux coronæ, cujus jacturam ægerrime ferebat, fiducia captus, Fœderatorum votis lubens acquievit. Nec difficilius expugnabatur Ferrarienſis, ac Mantuani Ducum conſtantia; cum enim illi plurimas urbes, *Hiſt. de la ligue l. cit. p. 87. & ſuiv. Marian. l. 29 Guicc. lib. 8.*

Sæcul. XVI A C. 1508.

arcesque, quas Veneti usurpaverant, amisissent, propositam armorum societatem velut occasionem non minus gloriosam, quam summe proficuam suspiciebant, unde & ipsi hac opportunitate usuri, se quoque fœderi huic accessuros spondebant.

§. VIII.

Neglectis Pisanorum studiis, Florentini ad ineundum fœdus sollicitati.

Marian. lib. 29. num. 66.

Denique ad augendas Fœderatorum vires etiam Florentini, ut sese illis conjungerent, sollicitabantur: cum vero horum societas absque gravissimo Pisanorum damno confici haud potuerit, illius auctores non levem inde suo nomini maculam inusserunt; quippe ambæ hæ nationes, cum continuis inter se jurgiis colliderentur, litium suarum arbitros selegerunt Galliæ, atque Arragoniæ Reges. Pisanis favebat populus, & quivis eorum causſæ patrocinari videbatur, hinc præstolabantur omnes, ut ambo Reges amica saltem transactione controversiæ finem imponerent. Verum hi Florentinos potius in fœderis sui societatem adducere adlaborabant: Pisanos vero hostium suorum violentiæ relinquebant, utque glaucoma objicerent populo, causſabantur,

bantur, Italiam haud aliter quam ejusmodi fœdere, ad pacem reduci posse. Equidem concepto semel Venetos delendi proposito, nil magis e re utriusque Regis erat, quam ut residuam regni Italici partem nullatenus ad arma concitarent, ne copias suas distrahere cogerentur, sed potius tota belli mole solam Venetorum Rempublicam opprimerent. Ceterum id vitio datum est ambobus Regibus, quod non alio ex fine faviissent Florentinis, quam ut illos ad Cameracense fœdus, atque ad solvenda centum aureorum millia compellerent, quæ Florentini, si eis Pisana urbs redderetur, pro belli Veneti sumptibus polliciti sunt. *Sententia*, inquit Mariana, *pronunciata nulla famæ memoria, sed honesta facto speciem prætensa est, Italiæ pacem aliter constare non posse: Pisanorum libertatem, qui se eorum fidei permiserant, turpi mercatu vendiderunt, magno tantorum Principum dedecore, infamiaque majori Ferdinandi* (quam Ludovici XII.) *dum illius clientelæ & patrocinio se suaque Pisani permiserant.*

Sæcul. XVI. A. C. 1508.

Raynald. ad ann. 1508. num. 5. & 6.

§. IX.

Cameracense Fœdus firmatum.

Postremo etiam Hungariæ Regem, ut fœderatis sese jungeret, induxerunt, spe facta, quod Dalmatiam a Venetis regno

Marian. l. 29 n. 67.

Sæcul. XVI A. C. 1508

gno Hungarico sublatam facile recuperaturus esset. Accitis igitur hisce sociis, die decima Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo octavo fœdus Cameraci concluſum est, subscribentibus Margarita Austriaca, & Cardinale de Ambasia nomine eorum, qui utrique agendi facultatem commiserunt: Nuncius vero Apostolicus fœdus nomine Pontificis signare recusabat, causſatus, se debita ad id auctoritate haud instructum. Ast ejus vices supplevit Cardinalis de Ambasia, solo Pontificii in Galliis Legati titulo fretus, quamvis hæc dignitas nullatenus ei tantam assereret facultatem: Arragonensis autem Legatus nil hæsitans subscripsit, ratus, hoc fœdus Regi Domino suo proficuum fore; cum is saltem usque ad belli exitum Castellæ possessionem certam haberet, haud dubitans, hanc armorum societatem, si forte rebus suis adversa esset, a Ferdinando facili negotio eludendam. Imperator quoque Mechliniæ tertio decimo post die, eodemque ferme tempore Ludovicus Rex assensum suum præbuit, Venetis adhucdum congressus eventum ac fœderis erectionem ignorantibus.

Bonacurs. in Diariis Surita lib. 8. c. 27.

§. X.

Sæcul. XVI.
A.C. 1508.

§. X.

Papa fœderatis nomen dare cunctatus.

Ceterum ſummus Pontifex, quamvis adverſus ſubſcriptionem nomine ſuo a Cardinale de Ambaſia factam aperte non reclamaſſet, nihilominus ſua agendi ratione ſatis luculenter teſtabatur, ſibi minime probari, negotium illud tam præcipiti conſilio maturatum fuiſſe; verebatur enim, ne Imperator vindicato quarumdam urbium imperio, turbas in Italia excitaret. Præterea Ludovico Regi non usque adeo propenſus erat, ut ſuo etiam auxilio ejus potentiam augeret: Cum vero Veneti paulo poſt de fœdere edocti, inde non parum anxii viderentur, nulla mora ſummus Pontifex ex Venetorum Oratore explorabat, num Réspublica urbes, quas Sedi Apoſtolicæ eripuiſſet, præcipue Faventiam, atque Ariminum reſtituere parata eſſet. Verum cum repulſam tuliſſet, Badoerem Oratoris ſocium advocavit, eidemque expoſuit, ingens periculum Reipublicæ imminere, ſi fœderi ultima manus admoveretur, atque unicum, ne omnino firmaretur, ſupereſſe remedium, ſi Faventiam, & Ariminum Eccleſiaſtico redderent dominio. His addebat, facta hac reſtitutione validas

Guicc. l. 8. Petrus de Angl. ep 409 Raynald. hoc anno n. 3.

Secul. XVI. A.C. 1508.

das sibi suppeditari rationes, ex quibus subscriptionem detrectare posset; de cetero Fœderatorum societatem, Pontifice patrocinium suum denegante, mox dissolutum iri ajebat. His perceptis Badoeres totam rei seriem ad Rempublicam perscripsit, cujus Senatores habito conventu, cunctisque, quæ Legato responderent, mature perpensis, unaomnes in Trevisani Procuratoris sententiam abiere, qui eos hortabatur, ne incautius Pontificis fidei sese committerent; fore enim, ut ille, recuperatis Faventia, & Arimino urbibus, firmato fœdere Ravennam quoque atque Cerviam repeteret; Curiæ enim Romanæ nil solemnius esse, quam pactorum fidem frangere ajebat. His Trevisani rationibus permoti Senatores, cum nullatenus concordiam cum Pontifice inire statuissent, Julius Cameracense fœdus acceptavit, ratumque habuit, hanc in rem diplomate seu Bulla die vigesima secunda Martii Anno salutis millesimo quingentesimo nono edita.

§. XI.

Bellum Lusitanorum contra Mauros in Africa.

Marian. l. 29 *n.* 69. *Osorius lib.* 6

Solus ferme Emanuel Lusitaniæ Rex Fœderatorum societati nomen dare recusabat: dum enim interea ceteri atrocia

trocia inter Christi fideles bella pararent, is fidei Christianæ, atque imperii, nominisque sui per totam Asiam atque Africam propagationi studebat. Nec illi deerat occasionis opportunitas; quippe Maurus quidam nomine Zesam Fezzæ Regi Patrueli suo graviter offensus, sponte sua Lusitanos accesserat, eisque, si sese illius fidei committerent, Azamoram nobilissimam urbem ad maris litora sitam prodere pollicebatur. Emanuel tam amplam occasionem haud negligendam existimans, validam classem instruit, eique ductore Joanne de Menezes peditum duo millia, equitesque quadringentos imponit, ac die vigesima sexta Julii e portu Ulyssiponensi solvit. Verum vix classis ad Africæ oram appulsa est, dum perfidia Mauri detecta, ac nimium facile fidem ei fuisse adhibitam constitit; etenim ipse quantocius fuga elapsus, Azamoram repetiit, idcirco Lusitani cum ab Infidelibus ex insidiis opprimi verentur, nulla mora viam relegerunt, relictis quibusdam navibus, quæ unacum triremi sabulo infixæ hæserunt; classis vero, cum Ulyssiponensem portum attingere non posset, ad Fretum Gaditanum procurrere compellebatur, in obvio quovis portu præsidium quæsitura, donec favente aura tuto in Lusitaniam reverti valeret. Verum hæc ipsa adversantis fortunæ

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

Raynald. hoc num 9 *Barros. dec.* 2 *lib.* 3 *c.* 2 3. *&* 4. *Naffe lib.* 3. *&* 4.

Sæcul. XV. A.C. 1508.

fortunæ iniquitas ingentis prosperitatis auspicium erat.

§. XII.

Mauri Arcilla urbe pulsi.

Marian. lib. 29. n. 36. Raynald. ib. n. 12. Surita lib. 5. cap. 23.

Rex enim Fezarum, sive Lusitanorum victorias indignatus, sive gloriæ cupiditate stimulatus, die nona Octobris cum valido exercitu Arcillam urbem cinxit, eamque impetu facto occupavit. Equidem illius Præfectus celeri fuga sese ad arcem receperat, eam tamen Rex quantocius adoriebatur, ac globis continuo emissis quatiebat: quapropter Joannes Menesius, qui ad Tingis portum confugerat, accepto tristi nuncio confestim cum classe sua obsessis in auxilium accurrit, Maurisque aggere, quem occupaverant, depulsis, arcem subsidiis, annona, armorum apparatu, cunctisque rebus, quibus obsessi ad strenuam defensionem opus habebant, opportune instruxit. Præterea Ferdinandus, qui tum Hispali agebat, novos Maurorum insultus veritus, Petro Navarræ Comiti negotium dedit, ut cum classe sua, quam in Heracleæ sinu habebat, sine moræ dispendio Christianis præsto esset; igitur die trigesima Octobris prope Arcillam appulsus, tam vehementi tormentorum explosione Maurorum castra infestaverat, ut illis inde rece-

recedere coactis, nil reliquum Fezzarum Regi esset, quam ut urbe incensa cum residua dissipati exercitus sui parte præcipiti fuga Alcarquiviram contenderet. Hujus demum victoriæ beneficio Lusitanorum urbes ab hostili metu liberatæ fuere; Rex vero Emanuel Ferdinando datis literis ob suppetias adeo opportune submissas, grates rependit. Sæcul. XVI. A. C. 1508.

§. XIII.

Castellæ Procerum querelæ adversus Ferdinandum.

Non ea tranquillitatis aura Ferdinandus in regno suo fruebatur, haud vane etenim Procerum suorum clandestinas artes atque potentiam verebatur, cum inter eos nonnulli reperirentur, qui Regem, quamvis is auctoritatem suam apud Castellanos omni studio tueri conaretur, assidue reprehendendi ansam aucupabantur. Hos inter præcipui erant Alphonsus Manriquez Pacis Augustæ Episcopus, & alter Catanæ in Sicilia Antistes, qui, postquam a Ferdinando defecerant, & Philippo Regi adhæserant, semper illi adversabantur, quippe veniæ obtinendæ diffidentia eorum odium atque indignationem identidem magis, magisque acuebat, illosque in pertinaci suo consilio obfirmabat; hinc non modo prom-

Marian. ib. n. 64.

Raynald. hoc ann. n. 3.

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

prompta submissione præteritæ culpæ maculam abolere negligebant, sed etiam novis, iisque atrocioribus criminibus priora augebant.

§. XIV.

Causa horum Episcoporum Commissariis a Pontifice delegata.

Mariana ib. n. 54. Paris. MS. Arch. Vatic. p. 285. Raynald. l. c.

Igitur Ferdinandus apud Pontificem conquestus, ambos hosce Episcopos debita pœna coerceri postulabat; is vero utriusque causam Toletano Archipræsuli, ac Burgensi Episcopo cognoscendam commisit, atque ambos, ut in eos sententia pronunciaretur, ad se vocari præcepit: ea re cognita Pacensis Episcopus fuga sibi consulere, atque in Flandriam ad Archiducem secedere statuit; verum in itinere haud procul ab urbe Sanandreana agnitus, captusque aliquamdiu in arce Arienza detinebatur, demum vero summi Pontificis jussu ad Archiepiscopum Toletanum remittebatur.

Verum in sola horum Episcoporum conjuratione non stetit fortunæ Ferdinandum persequentis iniquitas; quippe insuperhabita vigili ejus prudentia, ac liberalitatis studio crebris, iisque periculosis involvebatur tumultibus: Vix enim Cordubam pervenerat, cum nuncium accipit, quod Bernardinus Carvajalus Cardi-

Cardinalis in Germania Legatus majori longe ſtudio Cæſaris commoda, quam demandata ſibi Caſtellani regni negotia procuraret. Rex indignitate facti commotus, datis ad Pontificem literis Legatum hunc utpote fidei minus probatæ Virum revocari poſtulavit. Annuit protinus Papa, ac Cardinalem Romam redire juſſit, quo facto Rex Catholicus Autumno ad finem vergente Corduba profectus, Hiſpalim petiit, ubi cum ingentibus lætitiæ ſignis exceptus, itineris ſui ſociam habebat Germanam conjugem ſuam, ejusque Nepotem Ferdinandum. Sæcul. XVI. A. C. 1508.

§. XV.

Conjuratio a Ferdinando diſſipata.

Verum Ferdinandus, cui adverſæ fortunæ caſus ac procellæ aliæ ex aliis imminebant, iniquiſſimo teterrimæ hyemis tempore Hiſpalin ſecedere, ac celerrime in Caſtellam reverti compellebatur, ut conjurationem in ſe conflatam, cujus caput erat Infantadienſis Dux, diſſiparet. Ad primum tamen Regis conſpectum conjuratorum factio viribus, ac numero decreſcebat; Ferdinandus enim Proceres blanditiis ad ſe pellexit, ceteros minis terruit, magis vero in perfidia obfirmatos beneficiis cumulavit, eosque ad ſuas partes pertraxit. *Marian. l. 64*

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

§. XVI.

Sultani Ægypti conatus in Indiis adversus Lusitanos.

Barr. Dec. 2. lib. 2. c. 6. & seq. *Spond. ad hunc ann. n. 3* *Marian. lib. 29. n. 68.*

Sub idem tempus Ægypti Sultanus nomine Campso Lusitanos ex Indiis depellere moliebatur; palam enim a Cambayano, & Calecutiensi Regibus, clam quoque a Venetis sollicitabatur, potissimum vero ad hujus belli consilia a proprio Ægyptiacæ negotiationis quæstu stimulabatur: Cum autem gravioris momenti rem aggrederetur, ipsusque moliminis difficultatem præsentiret, priusquam aperta vi propositum suum exequeretur, amicæ compositionis viam tentare decrevit. Hanc in rem Patris Mauri, qui sacri sepulchri Jerosolymæ Guardianus erat, solertiam selegit, eidemque in Italiam, atque Hispaniam ablegato negotium dedit, ut apud summum Pontificem, Hispanum, atque Lusitanum Reges de proposito negotio ageret; cum autem Legatio prorsus optato successu destitueretur, Sultanus vim adhibere, & quod concordiæ pactis obtinere desperaverat, armorum violentia extorquere statuit.

Clacon. in addit. tom. 3. p. 244. *Raynald. hoc ann. n. 9.*

§. XVII.

Sæcul. XVI. A C. 1508.

§. XVII.

Classis contra Lusitanos instructa; ejus victoria.

Ergo Sueſſæ, quæ urbs eſt nonniſi trium dierum itinere a Cairo diſſita, claſſem inſtrui, omnique armorum apparatu muniri jubet. Numerabat illa ſex triremes, unum amplius navigium, quod *Gaulum* vocant, & quatuor majores naves onerarias, quibus Sultanus octingentos Chriſtianæ fidei deſertores imponebat, atque expeditionis curam cuidam nomine Mirocemo, natione Perſæ, Belliduci dexteritate, ac belli experientia clariſſimo demandabat. Hic velis factis ex Sueſſano portu ſolvens, mare rubrum feliciter trajecit, lectisque Arabiæ oris, ac ſuperato Sinu Perſico in Cambayæ regnum appulſus, demum jactis anchoris in Inſula & portu Dienſi hæſit, qui tum Orientis totius emporium erat opulentia longe celeberrimum. Mittebatur illuc Laurentius Almeida Indiarum Pro-Regis Filius, ut ripas tueretur, & Luſitanorum naves, quæ in Luſitaniam reverſuræ, ex Cochinenſi portu mercibus ampliſſimis onuſtæ ſolverant, comitaretur. cum autem Almeida Ciaulenſem portum ingrederetur, nuncium accepit, adventaſſe Ægypti Sultani claſſem, eam-

Oſor. lib. 4. & 6. Maſſo lib. 4. Marian. lib. 29. c. 16. & 22 Raynald. ib. Boſius p. 2. l. 17.

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

que a Dienſi Gubernatore triginta quatuor liburnicis auctam fuiſſe.

Jamque in conſpectu utraque claſſis erat, ſed prima die non niſi eminus tormentis proluſum adeo, ut major eſſet tormentorum ſonitus, quam dimicantium cædes: Poſtera autem die Almeida virium ſuarum fiducia animatus injecto unco ferreo retentam Mirocemi navem, quæ prætoriæ vexillum explicabat, abducere tentavit. Aſt non modo audax conſilium eventus fefellit, ſed ipſe etiam Almeida duabus ſagittis temere excuſſis graviter vulnerabatur, & quam plurimi qua Nautæ, qua milites ex vulnere ad prælium inhabiles fiebant. Nihilominus altera die pugna reſtaurabatur, & Dienſis Gubernator, qui poſtremo hoſtilis exercitus agmini præerat, ſemperque in alto mari hærebat, cum navibus ſuis portum oppidi Ciauli ingrediebatur, eo adventante Luſitani, quamquam navium, militumque numero hoſtibus ſuis longe inferiores eſſent, non minori animo quam conſilio de portu egredi, ac per mediam Sultani claſſem erumpere ſtatuunt, ut tandem in altum elabi poſſent.

§. XVIII.

Secul. XVI.
A.C. 1508.

§. XVIII.

Lusitanæ classis Præfectus trucidatus.

Cum itaque Lusitani totam noctem in præcidendis anchorarum funibus exegissent, tandem fugæ atque pelago sese committebant. Ast hostium classis omni virium contentione fugientes insequebatur, tantumque globorum imbrem in prætoriam Lusitanorum navem effundebat, ut illa plurimum ex hesterno certamine jam attrita omni ex parte aditum aquis irruentibus præberet, ac demum hosti in prædam cederet, ipso etiam Almeida trucidato, cujus Pater Indiarum Prorex non modo sibi a lacrimis temperavit, sed & ab aliis illum lugeri haud sustinuit inquiens: „ Filii mei „ mors laudabili potius invidia quam la„ crimis digna est, unde ploratu illam „ dedecorare nefas foret; cum enim o„ mnes homines ineluctabili necessitate „ morti obnoxii simus, vitam, quam na„ turæ debebat, cum patriæ suæ ac Re„ ligioni adversus Christi ac Regis ho„ stes defensæ reddiderit, num magis „ glorioſam mortem oppetere potuis„ set? „

Marian. lib. 29. n. 69. & 70.

Sæcul. XVI. A. C. 1508.

§. XIX.

Quorumdam Cardinalium obitus.

Garimbert. hist. Card. l 4 Aubery, Onuphr. Ugel. Raynald. hoc ann. n. 24 Ciacon. in Jul. II. p. 257. Paris. in itin. Jul. II. MS. Arch. Vatic. p. 295.

Eodem hoc anno Ecclesia Romana extinctos luxit sex Cardinales, quos inter primus erat Antonius Ferrerius Episcopus Perusinus Savonæ obscuris natalibus ortus. Is primo Recinetensi Cardinali Nobilis Scutarii obsequium præstitit, postea vero Julii II. Pontificis familiæ adscriptus, ab eodem Proto-Notarii munere, ac Pontificii Palatii Magisterio decoratus est. Nolanam, Eugubinam, & Perusinam Ecclesiam rexit, demum vero Anno salutis millesimo quingentesimo quinto in Cardinalium Collegium adoptatus est, obstantibus quibusdam Cardinalibus, quibus perversa Viri indoles magis perspecta erat. Ast Pontifex horum repugnantiam parum moratus, nihilominus eundem nominavit, etsi brevi & ipse electionis hujus pœnitentia tactus fuerit; Ferrerius enim, cum Bononiensi Legatione fungeretur, incredibili tyrannide incolas divexabat, quorum plures, postquam triginta ferme aureorum millia ex iis extorserat, morti etiam addixit: Unde a Pontifice comprehendi jubebatur, atque in arce S. Angeli includebatur, in eam quoque suspicionem adductus, quod Pontificis vitæ insidias struxisset

xisset: insuper ejusdem suppellex divendebatur, ut Bononiensibus ablata reddi possent. Subinde vero Papa miseratione motus, temperato nonnihil carceris squalore eundem in cœnobio S. Onuphrii honestiori custodiæ mancipari jussit, concessa itidem facultate, ut ad Recinetensem Cardinalem sese recipere valeret, ubi etiam die decima tertia Julii præ nimio dolore consumptus est. Sæcul. XVI. A.C. 1508.

§. XX.

Columnæ Cardinalis extrema.

Alter erat Joannes Columna, Martini V. Nepos Antonii Principis Salernitani Filius, ac Fabricii, & Prosperi Bellidu-cum generosissimorum frater. Is die decima quinta Maji Anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo a Sixto IV. purpura decorabatur, verum paulo post ab eodem Papa moto in Ferdinandum Neapolis Regem bello, cujus partibus adhæserat, comprehendi jubebatur, ubi vitæ suæ discrimen subiisset, nisi pace conciliata, ex arce S. Angeli, in qua plusquam integrum annum captivus detinebatur, liber evasisset: Demum vero multis præclare gestis, quorum suo loco mentionem ingessimus, Romæ diei vigesima sexta Septembris e vita migravit, annos natus quinquaginta

Ciacon. ib. Gnicc. hist. lib. 1. Paul. Jov. lib. 3. Onuphr. Aubery, Spond.

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

& unum: sepultus est in Ecclesia SS. duodecim Apostolorum, ubi hodiedum ejusdem sepulchralis inscriptio legitur.

§. XXI.

Trivultii, Trimollii, & Francioti de Ruvere Cardinalium fata.

Raynald. hoc ann. n. 24. Ciacon. l. c.

Tertius inter Purpuratos, qui mortalitatem exuerunt, erat Antonius Trivultius Petri Trivultii filius, ac Theodori Franciæ Maresscalli frater, qui primo Rotæ Romanæ Auditor, postea Anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo septimo Comensis Episcopus nominabatur. Hic jussu Joannis Galeatii Mediolanensis Ducis, cui a secretis erat, Oratoris munere primum apud Venetos, dein apud Neapolitanos functus est, ac regiam inde Sponsam Isabellam Arragoniam Ferdinandi Regis Neptem Mediolanum deduxit: postquam vero Galli Mediolanum occupaverant, ipse eorum partes secutus, ad preces Galliarum Regis ab Alexandro VI. summo Pontifice Anno Christi millesimo quingentesimo Cardinalium Senatui adscriptus fuit. Die vero decima octava Martii annos natus quinquaginta & unum ex nimio animi dolore, quem ob Ludovici Trivultii fratris sui in ætatis flore defuncti obitum

tum conceperat, & ipſe ſupremum vitæ diem egit. Sæcul. XVI. A.C. 1508.

Pari fato Joannes Trimollius Anno Salutis milleſimo quadringenteumo nonageſimo vivis ereptus eſt. Is Auſciorum Archiepiſcopus, necnon Pictavienſis Præſul Anno quingenteſimo quinto ſupra milleſimum creatus, demum a Julio II. Pontifice die quarta Februarii Anno Salvatoris milleſimo quingenteſimo ſeptimo Bononiæ renuntiabatur Presbyter Cardinalis, anno autem ſequenti, ut teſtatur Raynaldus, die vigeſima ſecunda Julii occubuit, ſepultus in Eccleſia Collegiata S. Mariæ ad caſtrum Thoracenſe. Eodem anno Galeottus Franciottus de Ruvere patria Luccenſis, Julii II. Nepos, naturæ debitum ſolvit. Is erat primo Luccæ, poſtea Patavii, & Cremonæ Epiſcopus, necnon Beneventanus Archipræſul, demum a laudato Pontifice Anno milleſimo quingenteſimo tertio purpura donatus fuerat.

§. XXII.

Mors Cardinalis Georgii Coſtæ Ulyſſiponenſis.

Ultimus inter Cardinales, qui tum e vivis exceſſerant, recenſetur Georgius Coſta Luſitanus, in Dioeceſi Ulyſſiponenſi obſcuris parentibus natus, meritis *Aubery hiſt. Card.*

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

tis vero ac virtutum splendore longe clarissimus erat, quocirca a Principibus summo honore habebatur. Eum sibi arcanorum arbitrum selegit Catharina de Lusitania Eduardi Regis Filia, quæ, postquam Carolo de Navarra Viannæ Principi, necnon Eduardo IV. Angliæ Regi desponsata fuerat, sed neutri copulata in sacrarum Virginum Collegium Ordinis S. Claræ sese abdidit. Hujus opera Georgius quædam beneficia, proprio autem meritorum suffragio Ulyssiponensem Archiepiscopatum obtinuit. Postea jussu Alphonsi V. Lusitaniæ Regis Orator ad Castellæ Regem missus, primi Ministri dignitate auctus est, atque ad illius preces a Sixto IV. Anno salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto in Cardinalium Collegium cooptatus in Italiam ejus jussu quarto post anno contendit, ubi ad Venetorum Rempublicam Sedis Apostolicæ Legatus decernebatur. Ceterum apud Joannem II. Lusitaniæ Regem minus quam apud ejus Patrem gratia valebat; hic enim inimicorum criminationibus delusus, ipsam quoque integerrimi hujus Viri fidem suspectam habere cæpit; postea tamen morti proximus, concepta erroris sui pœnitentia, publice veniam petiit. Cum vero Emanuel Rex Anno Salvatoris millesimo quadringentesimo nonagesimo

simo quinto solium conscendisset, Georgium ablegabat, ut Regis nomine Alexandro VI. filialis obsequii pensum exsolveret, eumque, ut regio consilio interesset, Ulyssiponem repetere rogavit; verum Georgius navibus, quibus eo deferretur, appulsis, quominus Ulyssiponem veniret, suam senectutem, ac summi Pontificis, qui eum Romæ detinebat, voluntatem prætexebat, nihilominus quamdiu ibidem persistebat, Regi suo apud summum Pontificem haud vulgaria præstitit obsequia, tandem vero die decima quarta Septembris Anno millesimo quingentesimo octavo, postquam Tusculanam, Albanensem, ac Portuensem Ecclesias rexisset, Romæ rebus humanis valedixit, annum ætatis agens centesimum secundum.

Sæcul. XVI. A.C. 1508.

§. XXIII.

Sixtus Gara de Ruvere Julii Nepos Cardinalis creatus.

Defunctorum Cardinalium numerum suppleturus Pontifex, hoc anno non nisi unicum sacro Collegio aggregavit. Is erat Sixtus Gara de Ruvere ejus Nepos, Cardinalis Galeotti frater uterinus, cui etiam non modo in titulo Cardinalis S. Petri ad vincula, sed etiam in Bene-

Ciacon. ib. Raynald. ib. n. 25. Paris. in itin. Jul. II. MS. Archiv. vatic. p. 295.

ven-

Sæcul. XVI A. C. 1508.

ventano Archiepiscopatu succesſit, quamvis ab illo moribus, atque ingenio plurimum dissideret. Præterea Lucensem, & Cremonensem Episcopatum necnon S. R. E. Pro-Cancellarii dignitatem obtinuit, testaturque Panvinius, illum etiam Vincentina, & Patavina Insula auctum fuisse. Ast ob Vicentinam Ecclesiam graves discordiæ exoriebantur inter Julium Pontificem, & Rempublicam Venetorum, eoquod hi defuncto Cardinale Galeotto de Ruvere vacanti huic Sedi suffeciſſent nobilem Venetum, Dandalum nomine, quamvis Julius II. Papa ad eandem jamjam nominasset Sixtum Garam, qui tamen illius possessionem non adiit, nisi postquam Dandalus juri suo cesserat, cum toto dissidii tempore, Ecclesiæ illius titulum gessisset. Anno autem sequenti Sixtus Cardinalis hanc Sedem cum Patavina commutavit, demum vero accerrimis podagræ doloribus vexatus ab aula, necnon a publicis muneribus ac dignitatibus abhorrens, omnem fere ætatem ruri egit, & anno Christi milleſimo quingenteſimo decimo septimo, ætatis suæ quadrageſimo quarto vitæ conceſſit.

§. XXIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1509.

§. XXIV.

Venetorum consilia adversus Cameracense fœdus.

Ann. 1509.

Cum Veneti summo Pontifici Faventiam, atque Ariminum urbes repetenti morem gerere detrectarent, Julius die vigesima secunda Martii Anno Salutis millesimo quingentesimo nono bellum decernere, ac fœdus firmare compellebatur, quod idem Taurini die duodecima Maji præstitit Sabaudiæ Dux. Postquam igitur huic armorum societati ultima manus admota esset, illam omnibus viribus exequi, fœderati Principes adlaborabant: Veneti autem, cum ampla horum consilia brevi in vanum casura frustra sperarent, nunc atrociſſimi jamjamque impendentis belli periculo vehementer perculsi, ad Papam oratores, qui conditiones antea a se rejectas rursum offerrent, ablegant, nullumque non lapidem movent, ut Cæsarem, atque Arragonum Regem a fœdere amoverent. Verum incassum omnia; Papa enim, Cæsar, atque Arragoniæ Rex una omnes diversis quisque rationibus permoti, ad quævis Venetorum consilia surdas præbebant aures, nec optatus allusit successus fervidis eorum precibus, quibus exteros Principes sibi devincire studebant,

Justiniani lib 11.

Guicc. hist. lib. 8.

Sæcul. XVI A.C. 1509.

bant; hi enim illos nonnisi inanibus artibus, vanisque pollicitationibus lactabant; quippe Angliæ Rex inani eos verborum, officiique simulatione distinebat, longe tamen abfuit a promissorum facilitate operis constantia, nec felicius acta est specialis illa legatio, quam Ludovicus Raymundus ad Turcarum Imperatorem missus obibat. Nullum igitur aliud restabat Venetis præsidium, quam armorum suorum potentia, opumque abundantia.

§. XXV.

Copiæ a Venetis conscriptæ.

Mecenigo belli Cameraci lib 2. Bembo iib. 7. Justiniani lib. 11.

Promiserant equidem Ursini atque Sabellii Venetorum Reipublicæ, quod quingentos Cataphractos, peditumque tria millia in ejus opem suppeditare vellent, quinimo pro militum stipendiis jamjam quindecim aureorum millia acceperant. Verum hi Principes ab inito hoc fœdere recesserunt, atque quorumdam opinione, ne numeratas pecunias Venetis reddere cogerentur, a summo Pontifice obtinuerunt. His tamen Veneti minime territi, delectu habito peditum quadraginta millia unacum haud exiguo levioris armaturæ equitum numero, plusquam tria Cataphractorum millia collegerunt, quibus Petilianum Comitem præ-

præficiebant, imperio tamen diviſo cum Bartholomæo Liviano ſeu Alviano ejus Tribuno. Sæcul. XVI. A. C. 1509.

§. XXVI.

Bellum contra Venetos a Galliarum Rege inchoatum.

Inter ceteros hujus fœderis articulos ſanciebatur, ut Galliarum Rex bellum prior auſpicaretur, ac prima Aprilis die exercitum in aciem educeret: verum variis obſtaculis præpeditus ea, qua deſideraſſet, celeritate Alpes tranſire haud poterat, quamvis Pontifex moræ impatiens dolere videretur, eoquod nondum Italia belli flammis flagraret. Tandem vero ſuperatis alpibus Rex fecialem præmiſit, qui primo Cremonenſibus, demum Venetis in pleno Senatorum conſeſſu die decima ſeptima Aprilis bellum nunciaret; biduo tamen ante factam hanc declarationem Calvimontius Mareſcallus, Cardinalis Ambaſiani nepos, primus hoſtilem in modum Venetos vexare cæperat, trajectoque Abduano fluvio cum tribus equitum, peditumque ſex millibus, ac nonnullis belli tormentis Trivium jam cinxerat, captaque urbe mille ducentos ac inter eos Juſtinianum Moroſinum unum ex illis, quos *Proviſores* vocant, in captivitatem abſtraxerat; poſtea

Guicc. lib. 8. San. Gelaſ. hiſt. Ludov. XII. Raynald. hoc ann. n. 6. 11. & 12.

Sæcul. XVI A.C. 1509.

postea Leicenses præsidiarii totam regionem usque ad Bergomenses urbis portas excursionibus suis infestabant; Laudenses vero in Cremonenses agros populabundi excurrebant, cum interea Placentini pontium navalium subsidio Padum trajicerent, cunctaque flamma, ferroque devastarent. Denique etiam Marchio Mantuanus cum centum cataphractis *Casal-Major* Casale-Majus occupaverat. Ceterum Calvimontius Dux veritus, ne Venetorum exercitus proxime imminens junctis viribus subito eum opprimeret, rupta omni mora Abduam rursum pertransivit, ipsum Regem Mediolani præstolaturus, qui etiam ineunte Mense Majo ibidem advenit, ex lapsu equi, qui crus ejus attriverat, graviter saucius.

§. XXVII.

Julii II. Pontificis Bulla adversus Venetos.

Raynald ib. n. 6. & 13. Spond. hoc ann. n. 1.

Quamprimum Julius II. Gallos Venetis bellum intulisse compererat, & ipse quoque sacris eos armis oppugnare cæpit accerrimo in illos edicto, quod *monitorium* appellabat, ad normam Bullæ evulgato, in quo injuriis, quas potestati Ecclesiasticæ intulissent, fusius enumeratis, de aliis etiam eorum violentiis graviter querebatur, illosque admonebat, ut

ut intra viginti quatuor dies damna Sedi Apoſtolicæ illata repararent, urbesque occupatas unacum vectigalibus ac reditibus perceptis reſtituerent: ſi vero renuerent, non modo eorum urbem, verum etiam cetera quæcunque Venetæ ditionis loca interdicto ſubjectum iri minabatur. Inſuper quibuslibet cuncta eorum bona occupandi, ſubditosque in ſervitutem abducendi poteſtatem conceſſit, ſimulque ſub iisdem pœnis prohibuit, ne quis eis opem, aut tectum etiam præberet. Aſt hæc fulmina, cum ex vano commentitiæ auctoritatis prætextu procederent, nonniſi aerem feriebant (*). Saecul. XVI. A. C. 1509.

§. XXVIII.

(*) *Talia ex calamo cujusdam Scriptoris Catholici profluxiſſe nemo non mirabitur; ergone commentitia in Pontifice eſt alienorum uſurpatores interdicto ſubjiciendi poteſtas, quæ absque controverſia quibuscunque etiam Epiſcopis aſſeritur; ergo tempore Apoſtolorum chimerica erat auctoritas, qua Ananias, & Saphira ob retenta, quæ Apoſtolorum pedibus ſubjicere tenebantur, fortunæ bona ipſa etiam morte plectebantur; num leviori adhuc pœna ad emendationem intentata ea, quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, uſurpantes terrere, ſummi Pontificis poteſtatem excedit? nonne ipſe Continuator, ſi forte Julius a Venetis poſt Alexandri VI. obi-*

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

§. XXVIII.

Venetorum appellatio ab hoc edicto ad futurum Concilium.

Guicc. l. 8. Quapropter Senatus Venetus, pro antiquo more (*) a Pontifice ad futurum Concilium appellabat. Verum hujus provocationis succeſſum eluſit quorumdam Monachorum fuga, qui vel ex ignorantia, vel lucri cauſſa Romanæ Curiæ jura tuebantur, ac Ferrariam pauca, quæ ex Sacrariis abſtulerant, ſecum

tum Eccleſiaſtico imperio ablata repetere neglexiſſet, Pontificem ignavum, ac Eccleſiæ bonorum diſſipatorem objurgaſſet? ita nempe calumniantium comparata eſt indoles, ut cuncta eorum, quibus infenſi ſunt, geſta in ſiniſtram partem interpretentur, & ſummos Pontifices, ſi lenitate utuntur, ignavos, jurium ſuorum proditores, ac veteris, ſeveriorisque diſciplinæ Eccleſiaſticæ transgreſſores criminentur, ſi vero ſpretis etiam precibus vim adhibeant, tyrannos, ac veluti alienæ jurisdictionis uſurpatores traducant.

(*) *Satius feciſſet, ſi ex Raynaldo, quem citat, hæc addidiſſet verba:* Ad eluendam Pontificiam ſeveritatem uſurpata jam ſæpius ab aliis diffugia captarunt Veneti.

cum abducebant (*), Pontificii edicti executionem promoturi, ut vero satis simile est. Ceterum reliqui ex Clero tam regulari, quam sæculari in obsequio suis Superioribus debito immoti perstiterunt. Postea Venetorum Senatus in suo appellationis diplomate, ad Julii edictum respondebat maximis querelis contra Pontificem, & Galliarum Regem adductis. Sæcul. XVI. A. C. 1509.

§. XXIX.

Pontificis Constitutio adversus hanc provocationem.

Summus Pontifex, comperta Venetorum appellatione, mox die prima Julii aliam edidit Bullam, qua ejusmodi provocatio- *Raynald. hoc ann. n. 13. Bulla Julii II. 22.*

(*) *Mirum sane! Ergone Venetorum Respublica divitiis adeo abundans appellationi suæ auctoritatem conciliare atque illius successum haud aliter, quam* exigui *spolii a fugitivis corrasi auxilio promovere potuit? demum hæc Guicciardinus, quem Continuator allegat, tacet, alium non citat, & plusquam sexdecim Historicos hanc in rem consului, nullus tamen ejusmodi nugas historiæ suæ inserere dignatur; quæ ergo fides adhibenda sit hisce, pluribusque aliis minus æqui animi motibus, prudentis Lectoris judicio relinquo.*

Sæcul. XVI. A.C.1509.

cationem evertere conabatur, ac indignationem, quam inde concepit, luculenter teſtabatur hancque appellationem nonniſi *damnatam audaciam, atque temeritatem* eſſe dicebat, addens: *aſſerunt inter cetera, eos Pii II. Prædeceſſoris conſtitutione non ligari, niſi in ipſa actuali appellatione ſe immiſcuerint;* loquitur autem Papa de Conſtitutione, quam Pius II. in Congregatione Mantuana contra ejusmodi provocationes edidit, quarum tamen uſum, utpote omni ævo in Eccleſia comprobatum, quo minus legitimus eſſet, præpedire haud valuit. Nihilominus Julius huic Pii Papæ Conſtitutioni majus robur acceſſurum ratus, ſi illam ſua quoque auctoritate firmaret, eadem ſtatuit, ut *præfata lex tam citra quam ultra montes quoad omnes tam Eccleſiaſticas, quam ſæculares perſonas, etiam Regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, capitula, Univerſitates, communitates & Collegia, congregationes & Synodos, ac etiam parlamenta valere & perpetuo valeret;* ſimulque declarat, eam validam eſſe *cum ſuppletione ſolemnitatis cujuslibet, etiam publicationis omiſſæ, ipſius quoque violatores & eorum quemlibet ultra pœnas impoſitas pro veris & indubitatis ſchiſmaticis, ac de Catholica fide male ſentientibus habendos, pœnisque canonicis & legalibus contra tales impoſitis ſubjacere, &*

cum

cum Dathan, & Abiron damnationem habere statuit. Tandem vero concludit, *Venetorum provocationes nullius roboris vel momenti esse, loca etiam quæcunque, ad quæ violatores ipsos declinare contigerit, ecclesiastico supponit interdicto.* Sæcul. XVI. A.C 1509.

§. XXX.

Trivium a Venetis captum.

Cum interea summus Pontifex ita Venetos sacro fulmine percelleret, Galliarum Rex, nequidem expectato fœderatorum auxilio, victoriarum cursum continuavit, atque exercitum facile quadraginta armatorum millibus validum in aciem eduxit; recensebat enim duo cataphractorum, seu Helvetiorum, & plusquam duodecim peditum millia, qua Vasconum, qua Mediolanensium, præter plurimas alias legiones. Interim vero Veneti impetu facto Trivium brevi ad tantas redegerunt angustias, ut cives ultra resistendo impares deditionem facerent. Tardius equidem Galliarum Rex laborantis oppidi calamitatem compererat, sine moræ tamen dispendio opem laturus accurrit; verum præcisa erat temporis opportunitas; oppidani enim jamjam die nona Maji se suaque victoris arbitrio permiserunt, iniquo licet Gallorum fato, quippe Veneti direpta urbe præsi-

Bembo lib. 7. Justiniani lib. 11. S. Gelas. hist. Ludov. XII.

San Gelas. l. c.

Secul. XVI A.C. 1509.

præsidium, quod quinquaginta cataphractis, ac mille peditibus sub Duce Fontrallio a Calvimontio immissis constabat, bonis omnibus exuerunt. Subita hac deditione Rex permotus, hostem ad prælii discrimen provocare statuit; unde Casani Abduam flumen impositis tribus pontibus trajecit, hostibus, quamvis nonnisi quinto abhinc lapide distarent, transitum prohibere minime ausis: postea eadem die media leuca a Venetorum exercitu castra metatus est; cum vero loci opportunitas hostilibus copiis plurimum faveret, eas aggredi, minus consultum censebat.

§. XXXI.

Auspicia Agniadellani prælii Gallos inter & Venetos.

Quorumdam Gallorum Belliducum sententia eo abibat, ut Rex pugnæ discrimen haud subiret, priusquam Imperatoris exercitus adventaret; eo enim in Venetos irruente illorum vires sine dubio distrahendas ajebant: ast Ludovicus spretis horum consiliis pugnandi ardore, quo milites suos flagrare comperat, opportune usurus, die duodecima Maji Ripam-altam aggreditur, factoque impetu occupat, ac relata hac victoria Vacilatam contendit, hostibus aditum ad Cremo-

Cremonenſes intercluſurus. Cogitabat equidem Alvianus Gallos prævertere, locumque occupare, nec id magni laboris negotium fuiſſet; verum vix ultimum ejus agmen medium iter Vacilatam inter & Agniadellum tenebat, cum jamjam prima Gallorum acies ſub Calvimontio, & Trivultio Ducibus in Venetos irrueret; quoniam vero Galli hoſtibus numero impares eſſent, Helvetiorum ordinibus perruptis, eorum equitatus a Venetis peditibus ingenti clade afficiebatur; opportune tamen Rex cum media ac poſtrema acie accurrit, diſperſos Helvetios colligit, atque aggerem, quem hoſtes pro locandis tormentis tumultuario opere erexerant, necnon peditibus munierant, feliciter ſuperavit, ac demum Vaſconibus, qui primo animum deſponderant, extrema quæque tentantibus, unico veluti temporis momento ſtationem, de qua tamdiu controvertebatur, recuperavit.

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

Guicc. lib. 8.

Branton. elog. Lud. XII.

§. XXXII.

Victoria dudum anceps.

Hic pugnandi ardor ita increverat, ut totum demum exercitum occuparet: fortiter itaque, dudum tamen ancipiti Marte, utrinque certabatur, nec ſtrenuum ab ignavo, prudentem a temerario

Mariana l. 29 n. 81.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

rario discernendi copia erat, donec Italorum peditatus tanto impetu in Gallos pedites effunderetur, ut his in fugam actis stationem in acie caperet. Hæc pugnæ auspicia certam Venetis victoriam polliceri videbantur; Italorum enim & Gallorum legiones intermixtæ dimicabant, omnique ex parte tumultuaria erat pugna, nec hostis ferme ab hoste amplius dignoscebatur: Verum, ut non raro præcipue in belli eventibus fieri amat, ubi exigui momenti casus maximas inducunt rerum vicissitudines, ac victoriæ palmam illi tribuunt, qui ejusdem spe votisque jamjam dejectus videbatur; ita etiam tam opportuno consilio bellica Gallorum tormenta inter arbusta collocabantur, atque hostium oculis subducta tanto impetu in eorum agmina detonabant, ut Veneti, qui adversus vim adeo inexspectatam nullatenus sese præmunierant, plurimum deficerent, divisisque Phalangibus late perrumpendi viam præberent.

§. XXXIII.

Gallorum victoria.

Venetis igitur hinc inde dispersis cæsisque Gallorum equites, quibus necdum pugnandi copia obtigerat, hostium confusionem in rem suam vertebant, in eosque omni ex parte tanto furore irrumpebant,

pebant, ut Veneti ruptis eorum ordinibus summa, qua poterant, velocitate auffugerent, desideratis suorum quamplurimis, minor tamen erat equitum strages, utpote qui celeri fuga sibi consuluerunt; pedites vero ingenti clade affecti fuere & si Guicciardino fides, octo millia Italorum trucidata numerabantur, cunctaque eorum tormenta, ac sarcinæ victoribus in prædam cesserunt, Belliducum generosissimis qua captis, qua occisis. Gallorum in hoc prælio cæsorum numerus quingentos haud superabat, quos inter nullus ex prima Nobilitate occubuerat, quinimo nonnulli Scriptores hunc calculum ad ducentos duntaxat restringunt (*); nullumque Ducem genere conspicuum fuisse occisum affirmant. Denique Petilianus Comes fugæ sese dedit, Livianus vero lanceæ ictu oculo vulneratus, suoque equo excussus, in captivitatem abstractus est.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

Guicc. lib. 8.

Cardin. Contraren. de rep. lib. 5.

§. XXXIV.

(*) Hanc victoriam Gallis tam exiguo suorum dispendio stetisse, ægre Lector a partium studio alienus sibi persuadebit, præcipue cum Heuterus lib. 7. cap. 7. & Gerardus de Roo lib. 12. p. 573. disertis verbis testentur, *quod apud Gallos equitum jactura major fuerit quam apud Venetos, atque ad octodecim hominum millia utrinque desiderata, nonnulli prodiderint.*

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. XXXIV.

Sacellum B. V. ob relatam victoriam a Rege constructum.

Hic demum fuit exitus percelebris hujus certaminis, quod Itali, atque Hispani prælium *Abduæ Glareæ*, Galli vero Agniadellanam pugnam appellitant, eoquod haud procul ad hujus nominis pago die decima quarta Maji Anno Salutis millesimo quingentesimo nono commissum esset. Reportata hac victoria Ludovicus XII. ex equo descendens, Deo exercituum grates debitas exsolvit, ac reliquo post tempore sacellum, cui S. Mariæ V. de victoria nomen indidit, in ipso certaminis loco ædificari jussit, idque monumentum Rege Christianissimo dignissimum hodiedum adhuc exstat.

Brant. elog. Lud. XII. Daniel hist. Lud. XII. tom. 5. p. 280. Mezer. chronol. abreg. tom. 4. p. 164.

Observat quoque Brantosomensis Abbas, quod Rex fugitivos usque ad Chabusinum fuerit persecutus, ibidemque animi recreandi gratia Venetias contemplatus, sex tormenta, quæ *colubrina* vocant, aptari, eaque quingenties, vel sexcenties, vacua tamen explodi jusserit, ex quo ingens adeo terror omnes Venetorum ditiones invasit, acsi Respublica nupera clade fracta, ferme omnibus, quæ possederat, bonis exuta esset.

§. XXXV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1509.

§. XXXV.

Omnes Mediolanenſis Ducatus urbes a Rege occupatæ.

Vix decima ſeptima effluxerat dies, cum Rex omnes, quæ a Mediolanenſi Ducatu dependebant, urbes recuperaſſet, civibus ubique claves offerentibus, ejusque clementiam exorantibus; quippe Cremenſes, Cremonenſes, Bergomenſes, Brixienſes, ac Cravaggiani, quorum civitates ex fœderis Cameracenſis lege Regi Chriſtianiſſimo debebantur, nequidem obſidionem expectabant, ſed ultro portas Gallis aperiebant: Picelo quoque ad primæ provocationis terrorem deditionem fecit; Piſcariam autem Galli poſt duodecimam diem expugnarunt, præſidiariis omnibus ferro trucidatis, ut eam cædem vindicarent, quam nuper Trivii ab hoſte acceperant. *Seyſſel hiſt. Lud. XII. Ciacon. in Jul. II. p. 224.*

§. XXXVI.

Pontificii exercitus progreſſus in Romandiola.

Neque hic infenſa Venetis fortuna ſtetit; quippe Pontificis exercitus victricibus armis totam ferme Romandiolam occupaverat; in eam quippe duodecim armatorum millia induxerant Cardinalis *Marian. l. 29 n. 821 Guicc. lib 8. Hiſt. de la Ligue de Cambray l. 1. p. 132. t. 1*

Sæcul. XVI A.C. 1509.

dinalis Papiensis, Ferrariæ Dux, & Franciscus Maria de Ruvere Julii II. Nepos, qui defuncto Godefrido Ubaldo Avunculo suo in Urbinatis Ducatu successerat. Hic copiis in aciem eductis urbes a Venetis captas aggressus, primo Solarolam Faventinæ ditionis urbem ex improviso invadebat, dein ipsam Faventiam occupabat, postea vero rapidi torrentis instar Ariminum, Ravennam, Cerviam, & nobilissimas Romandiolæ urbes cepit, eodemque ardore Venetos ab omnibus civitatibus, quas Ecclesiasticis ditionibus eripuerant, propulsavit, illasque denuo Sedi Apostolicæ conjunxit. Papa votorum suorum plene compos factus, recuperatis omnibus, quæ a longo tempore ab Ecclesia avulsæ erant, urbibus haud ampliora appetebat: Dux vero Ferrariensis, qui S. R. E. vexilliferi munere auctus, Papæ copiis imperabat, pro jure suo Peninsulam Rodigianam, quæ Athesi & Tanaro interjacet, a Venetis per plures annos possessam, sibi vendicavit. Marchio quoque Mantuanus Asolam, & Lunatum cepit, quas urbes Veneti Joanni Francisco de Gonzaga Marchionis Proavo abstulerant. Denique Venetos a pluribus, quas in Tridentino tractu detinebant, urbibus ejusdem Diœcesis Episcopus depulit.

Marian l.29.

§. XXXVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. XXXVII.

Omnes Apuliæ ditiones ab Hiſpanis recuperatæ.

Interea Pro-Rex Neapolitanus, quamvis animo tardus, rebusque gerendis minus idoneus, nihilominus exeunte Menſe Majo copias, quas contraxerat, in Apuliam eduxit, ut urbes a Venetis violata fœderum fide detentas recuperaret. Ergo præprimis Tranium obſidet, quam urbem nonnullorum civium, quibuscum clandeſtina fovebat conſilia, ope fretus, ſe brevi expugnaturum ſperabat. Verum Veneti ſiniſtro hoc, eoque communi rerum ſuarum fato adeo concutiebantur, ut ipſimet ultronea ceſſione cunctos hoſtium ſuorum inſultus præverterent; quippe continentis ditiones ſe tueri poſſe deſperantes, regionem illam etſi opulentiſſimam, utpote omni ex parte Hiſpanis perviam relinquere ſtatuerunt, dato ſingulis Miniſtris mandato, ut cunctis urbibus libertatem redderent, iisque remitterent fidei ſacramentum in foro S. Marci præſtitum; clam vero, diſertisque verbis Respublica Brunduſii Hydrunti, Tranii, Molæ, Puliniani, & Monopolis Gubernatoribus præcepit, ut Hiſpanis minime ſeſe opponerent, ſed haſce urbes eisdem traderent: ad tantas nimirum

Marian. ib. n. 83. Pet. Juſtin. l. 10. Raynald. hoc ann. n. 16.

Secul. XVI. A.C. 1509.

rum anguſtias Venetorum res decreverant, ut nonniſi ſinus ſui Inſulas defendere amplius poſſent.

§. XXXVIII.

Maximiliani Imperatoris exercitus in Italia.

Ciacon. in Jul. II. tom. 3. p. 224. Raynald. ad an. 1509. n. 2.

Denique etiam Imperator non niſi ſeptem leucis ab Oeniponto diſtans ad Alpium fauces cum exercitu ſuo jam ineunte Menſe Junio penetravit, Venetos ex Tirolis finibus aggreſſurus. Præerant ejus copiis Chriſtophorus Francipanus & Brunſvicenſis Dux, qui exigua militum manu in Hiſtriam excurrentes, Tergeſtum citra pugnæ diſcrimen occupant, omnesque Fori Julii urbes, quas in nupera contra Venetos expeditione Cæſar amiſerat, recuperant. Nec tamen Respublica fatali malorum concurſu animum deſpondit, ſed comperto, quod Cæſar Eſteranem adventaſſet, mox ad ſedandum ejus animum legationem decrevit, quæ pacem ab illo exoraret conditionibus illius arbitrio penitus relictis. Pari ſubmiſſione ſummum Pontificem, & Ferdinandum Arragoniæ Regem placare ſatagebant: ad Imperatorem porro ablegabant Antonium Juſtinianum, dato negotio, ut eidem ſubſcriptis omnium Senatorum nominibus chartam vacuam offerret,

Marian. l. 29. n. 83.

ferret, cui Cæsar id, quod præplaceret, inscriberet, salva duntaxat miserorum civium vita, utpote qui ejusdem clementiam implorarent, rogarentque, ut in fidem suam reciperet urbem, quæ Cæsareæ suæ Majestatis pietati, atque magnanimitati salutem, libertatemque suam unice se debere, semper professura esset. Ceterum adeo insolita erat oratio, quæ a Veneto Oratore in hac occasione pronunciata fertur, necnon apud Guicciardinum legitur, ut eam huc referre operæ pretium ducamus, quamvis non desint Scriptores Veneti, qui eam in dubium vocant, ac Guicciardinum calumniæ, & falsitatis postulant, eamque ab hoc Auctore Italo ex proprio cerebro confictam, quam plurimis rationum momentis demonstrare conantur.

Sæcul. XVI. A. C 1509.

Jo. Bapt. Leoni. Petr. Just. l. 112. Spond. hoc ann. num. 4.

§. XXXIX.

Justiniani Venetorum Oratoris ad Cæsarem oratio.

Igitur Justinianus adducto Scipionis Africani, Alexandri, Cæsaris, aliorumque exemplo, qui clementia, ac moderatione celebriores, quam armis evasere, Maximilianum quoque Imperatorem ad parem lenitatem flectere nitebatur, eumque, ut illorum vestigiis inhæreret, instanter rogabat, hanc in sententiam per-

Guicc. hist. Ital. lib. 8.

Sæcul. XVI A.C. 1509.

orans, *Cæsar augustissime, minime inter postremas laudes id tibi adscribetur, si cum victoriam adversus Venetos in potestate tua habeas, quam humanæ res caducæ sint, memor, ea moderate uti noveris, magis ad pacis studia, quam ad dubios belli eventus propensus. Quanta enim rerum humanarum constantia sit, quam incerti casus, quam dubius, varius, fallax, obnoxiusque periculis sit mortalium status, satis superque docet Venetorum Respublica, quæ paulo ante florens, clara atque ita potens erat, ut ejus nomen & fama in extremis quoque Orbis terræ terminis magno cum plausu resonaret, hæc eadem nunc unico, eoque levi adverso prælio eversa, atque omnium rerum, ac præsertim consilii egens ita corruit, ut omnis pristinæ virtutis imago consenuerit, omnisque armorum ardor deferbuerit. Sed falluntur Galii, si hæc propriæ virtuti tribuunt; antehac enim Veneti semper ex victis victores facti sunt; idem & nunc sperassent, nisi Majestatis tuæ tremendo nomine, copiarumque tuarum invicta virtute, nulla non modo vincendi sed ne obsistendi quidem nobis spes relicta fuisset. Quapropter Principis, Senatus, populique Veneti nomine, humili devotione supplices oramus, obtestamur, atque obsecramus, ut clementiæ oculis res nostras afflictas respicere digneris, iisque salutarem medicinam afferre, omnes pacis leges, quas tu nobis imposueris,*

posueris, amplectemur: omnes justas, honestas, & ab æquitate, rationeque minime alienas ducemus. Ad te verum, & legitimum Principem omnia, quæcunque Majores nostri Sacro Imperio, & Austriæ Ducatui ademerunt, redeant; quibus ut decentius veniant, omnia quæcunque in continenti possidemus, adjungimus, quarum rerum juribus quocunque modo partis cedimus. Præterea quotannis Majestati tuæ & legitimis Imperii Successoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus. Defende nos, quæso, ab illorum, cum quibus paulo ante arma nostra conjunximus, insolentia, quos nunc sævissimos hostes experimur, qui nihil aliud expetunt, quam Veneti nominis interitum. Tua ista clementia conservati, Te Urbis nostræ Parentem, genitorem, conditoremque appellabimus. Cetera hujus sermonis nonnisi amplas Cæsaris laudes, ac calamitosi, quo Respublica fluctuabat, status descriptionem complectebantur, ut Imperator ad protegendos Venetos eorum submissione flecteretur. Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. XL.

Cæsar ad Venetorum preces inexorabilis.

Verum orationi huic optatus non respondit eventus; quippe Imperator *Spond. ad hunc an. n. 4.*

Sæcul. XVI A. C. 1509

prospera armorum fortuna, victoriisque præter spem reportatis paulo elatior, necnon humanarum rerum inconstantiæ immemor, nihil hac super re cum Venetis pacisci voluit absque Galliarum Regis assensu.

Bembo l. 8. Ciacon. in Jul. II.

§. XLI.

Venetorum postulata itidem a Pontifice rejecta.

Bembo l. c. Ciac. ib.

Nec summum Pontificem sibi magis propitium experiebantur Veneti; is enim jamjam Ravennæ arcem armis suis subjecerat, præsidiariis jure belli captis. Re intellecta, Grimanus & Cornerus Cardinales, nomine suæ patriæ Pontificem adeunt, rogantque, ut recuperatis, quæ antea ad ditiones Ecclesiasticas pertinebant, urbibus censuras in Rempublicam fulminatas tolleret; verum Pontifex Oratores in conspectum suum, nec venire, nec eos alloqui sustinebat, sed a Venetis etiam reditus, quos a possessis ditionibus percepissent, repetebat, ac jurisdictionis Ecclesiasticæ temere violatæ injuriam reparari postulabat. Hoc Pontificis petito Senatus tantopere concitabatur, ut liberrime Papam convitiis appeteret, illumque nonnisi generis humani hostem, & Patris communis nomine prorsus

prorsus indignum criminaretur (*) quin imo non deerant nonnulli, qui ad Turcarum Imperatorem Legatos pro obtinendo auxilio mittere suaderent, saniores tamen ex Senatoribus primos hosce iracundiæ impetus reprimebant, atque ad media præsenti rerum conditioni magis congrua animum adjiciebant. Sæcul. XVI. A. C. 1509.

§. XLII.

Pontifex exoratus.

Ergo Venetorum Dux datis ad Papam literis humanitate pleniſſimis eidem ad omne satisfactionis genus sine ulla exceptione se offert, dummodo sex Oratores illos, quos Respublica pro revocandis censuris Romam ablegaverat, benevole audiret, atque ad sacra pedum oscula admitteret. Julius hisce precibus commotus, omnem indignationis sensum deposuit, atque ad Ducem literas dedit paternæ clementiæ testes, nec hic stetit Ponti- *Guicc. lib. 8. Raynald. hoc ann. n. 14. & 15.*

(*) *Palatius in Jul. II. n. 10. hæc addit:* Severitatem Pontificis magnopere juvabant Gallorum Legati, qui Julium urgebant, ne Venetis reconciliaretur, dicentes non aliter Pontificem reliquos moderaturum Principes, quam si frœnum Reipublicæ injiceret, & vincula.

Sæcul. XVI A. C. 1509.

Pontificis pietas, sed etiam sollicitationibus insuperhabitis Fœderatorum Principum, qui Cameracense fœdus violari eidem exprobrabant, in pleno Patrum Senatu Reipublicæ Oratores admittendos esse, proponebat; idem quoque suadentibus Purpuratis, quorum consilium Papa, utpote suo proposito consonum, lubens sequebatur.

§. XLIII.

Veneti Ludovici XII. cunctatione animati.

Petrus de Angleria ep. 409.

Hæc Pontificis clementia non parum erigebat Venetorum animos, quos tamen longe magis adhuc firmabat Ludovici XII. indulgentia; quamvis enim ipse nullo ferme negotio urbes, quæ partitione facta Cæsari obtigerant, sibi vendicare potuisset, dummodo fidem dedisset, se illas Cæsari, quandocunque ei bene visum esset, redditurum, aliunde etiam Vicentini, Patavini, ac Veronenses urbium suarum claves, Regi jamjam obtulissent, nihilominus ille civitatibus, quas in Ducatu Mediolanensi occupaverat, contentus, ceteras Maximiliani Legatis, qui eas deditione acceperant, reliquit, haud ultra progredi volens, donec Imperator Italiam ingrederetur.

§. XLIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. XLIV.

Tarviſani Cæſari obluctantes.

Soli inter ceteros Tarviſani ſeſe Imperatori opponebant, nec ſe dedere volebant Dreſſinæ Vicentino, quem Cæſar ſine milite eo ablegaverat, ſpe fretus, ſola Oratoris ſui præſentia Tarviſanos in fidem ſuam redituros, cum vero cives Venetorum fortunam ſequi mallent, mox Caſolajo duce ſexcenti pedites vociferantes: *Vivat Sanctus Marcus!* urbem ingrediebantur, indeque Dreſſinam propulſabant. Ex hoc temporis articulo Reſpublica quamdam ſui imperii partem recuperandi ſpem concepit, ac continentis urbes præcipiti nimis conſilio traditas doluit. Novos quoque animos reſumebat ex Maximiliani cunctatione, ac ſummi Pontificis clementia, eo enim ſuorum precibus devicto ſeſe colligendi ſpacium nanciſcebatur: Interea vero Cæſar Oeniponti hærebat, quamvis quadrageſimo die necdum evoluto, qui terminus erat ipſi in Cameracenſi Conventu præfixus, ſe copias ſuas in aciem educturum ſolemniter promiſiſſet, atque ad belli ſumptus plusquam neceſſarias accepiſſet pecunias; tandem non niſi ſummis Papæ precibus permotus, Tridentum petiit, ubi adhucdum morabatur,

Guicc. l. cit.

Sæcul. XVI. A.C. 1509. tur, dum Veneti continentis ditionibus excesserant.

§. XLV.

Imperator a Cardinale de Ambasia ad colloquium cum Ludovico XII. invitatus.

Maximilianum Tridenti, ubi tum agebat, Cardinalis de Ambasia nomine Ludovici XII. adiit, ut eum ad congressum invitaret. Nominabatur colloquii locus, urbs Garda, in finibus Tridentinæ vallis, ac Mediolanensis tractus sita. Enimvero Galliarum Rex bello adversus Venetos feliciter confecto, Mediolanum contendit: Cæsar vero datæ fidei haud stetit, Forojulienſem obsidionem caussatus, ubi præsentia sua oppido necessaria foret, diutius tamen Tridenti substitit (*) in eademque urbe Ludovico Regi diploma de Mediolanensi Ducatu conceſſit, hujusque inaugurationis literas, perinde acsi ex Cameracensis fœderis pacto ad id obstrictus esset, die decima quarta Junii

(*) Cum Garda Tridentinæ & Mediolanensi urbibus interjaceat, haud perspicimus, qua ratione Continuator Maximilianum de violata fide accuset, eoquod Tridenti moratus fuerit, cum & ipse Galliarum Rex Mediolani substiterit, & nequaquam Gardam venerit.

nii hoc anno confici jussit. In hoc diplomate rursus Christianissimi Regis jura repetiit a Valentina Vice-Comitissa ejus Avia ac Joannis Galeatii Filia, & Sponsa Ludovici Aurelianensis, qui Caroli V. Galliarum Regis Filius erat, eoquod nuptiali pacto Joannis Galeatii Vice-Comitis Patris sui tam ipsa quam ejus liberi, Joanne Galeatio absque prole mascula decedente, Mediolanensis ditionis hæredes scriberentur; quæ tamen pacta, ut verum fateamur, a Wenceslao tum Imperatore utpote a mente alieno rata minime habebantur, approbata tamen, ac firmata fuere Avenione a Clemente VII. summo Pontifice, eoquod paciscentium patria tunc ejusdem obedientiæ addicta esset.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

Corio lib. 3. Recherche des droits de la Couronne p. 373.

§. XLVI.

Patavium a Venetis occupatum.

Ab illo temporis articulo Venetorum res ferme penitus collapsæ denuo restaurari cæperant, cum enim Tarvisium, ubi S. Marci vexillum erectum fuerat, servassent, Maximiliani cunctationem in rem suam sollicite vertebant, simulque Patavium recuperare moliebantur: nec eorum conatibus deerat temporis opportunitas; comperto enim, quod Patavini tyrannicam Germanorum do-

Mocenigo bell. Camerac. lib 2. Guicc. l. 8. Justin. l. 10. Marian. l. 29 n. 85.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

minationem pertæsi ad excutiendum eorum jugum, atque ad subeundum pristinum imperium valde propensi essent, mox Andreas Grittus mille Cataphractos, ac quasdam peditum legiones clam urbi admovit, cumque populus conversis in Germanos armis eorum quamplurimos misere trucidasset, reliquos autem præcipiti fuga in arcem sese recipere compulisset, facile Andreas hujus tumultus occasione decima octava Junii, seu quadragesima secunda die, postquam Imperator urbem occupaverat, eandem suæ potestati subjecit. Hæc victoria tam ingenti lætitia Venetiis accepta est, ut illius memoriam quotannis solemniter recolendam decernerent, quam solemnitatem Veneti hodiedum magnifica prorsus pompa peragunt, ac libertatis suæ recuperationem, necnon Reipublicæ restaurationem celebrant.

§. XLVII.

Aliæ Venetorum victoriæ.

Marian. l. 29 n. 85.

Recuperata Patavina urbe, universum illius territorium in fidem Venetorum rediit, qui faustis hisce fortunæ auspiciis opportune usi, Assulam quoque dolo ceperunt, quingentis ex Hispanorum præsidio interemptis. Pari quoque furore trucidabant ducentos alios, qui in Castro-

Castro-Francorum stationem agebant, capto etiam Alvardo eorum Præfecto. Præterea Senatus, ut Reipublicæ subditos arctius sibi constringeret, edictum promulgabat, quo populis damna hucusque perpessa cunctaque toto belli cursu sufferenda reparare pollicebatur. Cum vero promissorum amplitudini fidei constantia minime deesset, Respublica ex libertate sua sat ampla reportavit commoda; quippe pristini ejus subditi hac spe animati nil intentatum relinquebant, ut se, suaque Senatorum obsequio devoverent, unde horum auxilio Veneti plurimum aucti, etiam Leoniacensem urbem situ & opere longe munitissimam inopina irruptione ceperunt, moxque sibi aditum ad Athesim Fluvium atque exinde ad ampliores spes januam aperuerunt. Sæcul. XVI. A. C. 1509.

§. XLVIII.

Ludovicus XII. in Franciam redux.

Quamvis adeo prospera Venetorum rebus fortuna adspiraret, nihilominus Ludovicus Rex in regnum suum, cum illud ejus præsentiam tunc exigeret, reverti constituit: Italiæ tamen curam cuidam Præfecto reliquit, cui etiam ad tuendas Mediolani ditiones septingentos lancearios addidit, dato negotio, ut Cæsaris *Seyssel hist. Ludov. XII. Guicc. lib. 8.*

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

Cæsaris mandatis ex asse morem gereret, ac publicæ rei commoda pro viribus promoveret. Hic demandata sibi provincia haud impigre fungebatur: sub idem vero tempus Veronenses, ac Vicentini pristini sui Principis imperium anhellabant, ac Patavinorum exemplo excitati clam seditionem moliebantur, Cæsareos ex urbe depulsuri. Verum Palissæus rem edoctus, cuncta eorum consilia disjecit, & quamvis Veneti jamjam copias suas in aciem eduxissent, spe concepta, se utramque urbem occupaturos; Gallis tamen adventantibus ad Patavina mœnia sese recipere compellebantur; unde ambæ civitates aliquamdiu Cæsaris dominationi assertæ manebant; interea vero Maximilianus, qui tum ad Alpium fauces Marostícæ agebat, veritus, ne hostes primis victoriæ auspiciis animati, viam ei præcludere, reditumque in Germaniam prohibere tentarent, ad castrum Scalæ ad fines Tyrolis, quæ Austriacæ Domui parebat, celeri fuga sese recepit.

§. XLIX.

Patavium a Cæsare obsessum.

Marian. ib. p. 86.

Eodem tempore Imperator novis militum subsidiis auctus, facile triginta armatorum millium exercitum numerabat,

bat, non computatis mille trecentis lan- Sæcul. XVI.
cearíis, quos Galliarum Rex eidem sup- A.C. 1509.
peditabat, præter trecentos alios a summo Pontifice missos, quibus accesserant mille Hispani. Igitur hisce copiis instructus iter in Italiam aggreditur, ac die tertia Septembris Patavium veniens, ob- *Raynald. ad*
sidionem parat, cujus denuo eventus *ann.* 1509.
Reipublicæ sortem dirimeret. Petilia- *n.* 19.
nus Comes, ceterique Veneti exercitus *Petr. Justin.*
Duces comperto Cæsareorum adventu *lib.* 10. & 11.
atque consilio, cum omnibus copiis suis urbem ingrediuntur, adjunctis omnibus, quotquot de robore exercitus colligere poterant; unde præsidiariorum numerus ferme viginti quinque armatorum millia adæquabat, haud numeratis plurimis opificibus ad erigenda munimenta aptissimis; advehebatur quoque ingens annonæ vis, ac bellici apparatus copia; accurrebant certatim gloriæ studio accensi Nobiles adolescentes ferme trecenti, quibus ipsimet Lauredani Ducis Filii præerant. His omnibus Patavium ingressis, paulo post Imperator tertio ab urbe lapide castra posuit, ubi incassum Brentsiam flumen avertere conatus, propius urbi copias admovit, quam cum exercitu suo haud adeo numeroso (*) circum

(*) *Paulo ante dicebatur, Maximiliani exercitum*

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

circum circa cingere haud posset, nonnisi tractum, qui a porta S. Crucis usque ad inferiorem Brentsiam excurrit, occupavit, atque advectis ex Germania belli tormentis aggeres erexit ea ex parte, quæ præ ceteris magis munita apparebat, nempe e regione operis, quod versus portam S. Crucis exurgebat; unde aggressioni initium dare oportebat ex parte propugnaculi, quod portam, quæ Venetias respicit, tuebatur.

§. L.

Pertinax obsessorum defensio.

Præsidiarii exercitus robur constabat duobus millibus Epirotarum seu Albanensium equitum, qui in urbem immissi, nonnisi rapto vivere assueti, singulis diebus excursiones in Cæsareos fecerunt, atque eos continuis velitationibus infestarunt; invadebant illorum stationes, ac sublato commeatu diripiebant & sarcinas, prædaque onusti ex captivis etiam quibusdam non raro secum abstractis redibant, dato nequidem hostibus

ercitum numerasse triginta duo millia, ac sexcentos milites; hæc qualiter conciliari valeant cum paucitate suorum, haud capimus; ceterum Patavinæ urbis ambitus facile minori adhuc exercitus parte cingi potuisset.

stibus sese colligendi spatio: Cum vero propugnaculum crebris tormentorum ictibus ferme eversum patentibus ruinis aditum undique præberet, ea ex parte Imperator cum toto exercitu irruptionem tentari juffit, majori pugnantium fortitudine, quam feliciori pugnæ auspicio, quippe Hispani capto propugnaculo jam quidem victricia erigebant vexilla, obsessi tamen quamprimum hostem propugnaculo insistere conspexerant, cuniculis, quos provide pyrio pulvere antea impleverant, subjecto igne Hispanos ferali impetu in aerem excusserunt, quo pacto quam plurimi perierunt, qui sub magno Consalvo rei militaris scientiam hauserant, ac ceteros totius Italiæ milites fortitudine sua facile superabant. Sæcul. XVI. A. C. 1509.

§. LI.

Cæsar obsidionem solvere compulsus.

Infaustus hic eventus tantopere Cæsareos turbavit, ut animum desponentes nonnisi honestum obsidionis solvendæ prætextum quærerent, sub cujus specie salvo Nationis honore sese recipere possent; quod & factum decimo sexto, ex quo obsidio cæpta est, die: Igitur Cæsar primo Vicentiam, inde Veronam conten-

Sæcul. XVI A.C. 1509

contendit, ubi siniſtram belli ſortem nunc in Papam, nunc in Galliarum, jam in Arragoniæ Reges conjiciebat, eo-quod eum pro viribus non adjuviſſent, ceterum Veronæ haud diutius moratus eſt, quam Calvimontio Mareſcallo familiariter colloqui, ac Ferrariæ Duci inveſtituram Eſtenſis ſtatus, a quo nomen ducebat, concedere poterat.

Evenit tamen Patavinæ obſidionis tempore caſus oppido ſingularis ac memoratu dignus. Habebat nominatiſſimus ille Bajardus in ſua legione annorum nonuiſi ſexdecim juvenem nomine Buterium, qui poſtmodum a Franciſco Galliarum Rege Trans-Montium Præfectura auctus fuit. Hic ætatem fortitudine ſuperans cum quodam Albanenſi, qui in exercitu hoſtili levioris equitatus centurio erat, ingenti corporis ſtatura prædito ſingulare certamen inierat, eumque etiam captivum duxerat, cum igitur novus hic David Goliathum illum Imperatori ſiſteret, is rei novitate attonitus ad Albanenſem converſus „ Miror, „ inquiebat, quod tu, Coloſſus cum ſis, „ a puero qui quarto abhinc anno men„ tum vix lanugine tectum habebat „ te comprehendi paſſus ſis. „ Albanenſis, cui magis convitii acerbitas, quam animi ignavia ruborem expreſſerat, reſpondit Cæſari, „ hoſtium numero ceſſi „ a qua-

„ a quatuor omnino equitibus cinctus, Bajardus opportune tunc præsens Buterium allocutus ajebat, „ audis ea, quæ „ Albanensis profert: sunt ea relationi tuæ „ prosus contraria, tuum itaque honorem „ vindica „ quapropter non cunctatus adolescens, ac sese elevans, audacter ad Albanensem „ Mentiris ait, atque ut te „ a me solo captum fuisse constet, denuo „ nostros conscendamus equos, & ego „ vel occidam te, vel ut vitæ gratiam a „ me petas, rursum te compellam. „ Verum Albanensis secundi certaminis discrimen subire amplius noluit. Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. LII.

Vicentia a Venetis recuperata.

Vix Cæsar Patavinam obsidionem solverat, cum Veneti jam vincendi spe erecti animos resumunt, ac Vicentini ceterorum primi sumptis armis, copiisque ex Patavino præsidio eductis, Casparum Sanseverinatem, qui nomine Imperatoris cum tribus Germanorum millibus urbem defendebat, adoriuntur, illisque tam acriter instant, ut non sine probro deditionem facere compellerentur. Pari quoque fortuna Veneti Veronam recuperassent, nisi obstitissent Galli; unde Venetorum copiæ versus Histriam ac Foro-Julium sese recipere decreverant, ubi plu- *Guicc. l. 8.*

Sæcul. XVI A. C. 1509.

res urbes denuo suæ potestati subjecerunt: Idcirco fortuna audaciam acuente Ferrariam obsidere statuerunt, in hujus urbis Ducem concitati, eoquod & ipse Cameracensi fœderi subscripsisset, ac Estensis status investituram a Cæsare accepisset.

§. LIII.

Veneti Ferrariæ obsidionem solvere coacti.

Bembo lib 8. Guicc. lib 8. Marian. l. 29 n. 87.

Igitur Veneti Monte Selicis, Vicentia, Montaniana, pluribusque aliis urbibus occupatis ac proin expedito ad Ferrariæ ditionem aditu sibi patefacto classem instruxerunt septendecim triremibus, ac quam plurimis aliis navibus validam, quam adverso flumine secus Padum usque ad lacum obscurum deduxerunt, ibique copiis suis in terram expositis Ferrariam contendentes in itinere Ferrariensis Ducis arcem, quæ ad capessendam animi relaxationem condita erat, incenderunt; quo facto terrestres copiæ Polesini oppida Venetis a Duce erepta, nemine obsistente recuperarunt, atque eadem fors ipsi Ferrariensi urbi certius impendisset, nisi Calvimontius Marescallus, Ductore Casparo Colinio Castellionis Toparcha quadringentos, & summus Pontifex ducentos Lancearios in tempore submisissent.

His

His ſuppetiis aucti Ferrarienſis Dux, necnon Cardinalis Eſtenſis ejusdem frater Metropoli ſuæ ſecure admodum proſpexerunt, primasque eo curas intenderunt, ut hoſtium claſſem diſſiparent. Igitur Dux in tormentis dirigendis apprime verſatus, ac præterea armamentario, quo nobilius in tota Europa haud reperire erat, inſtructus, ad dexteram Padi ripam, ad quam ſcilicet globus emiſſus pertingere poſſet, adverſus claſſem Venetam tormenta locat, eaque die vigeſima prima Decembris tanto impetu exonerat, ut plurimæ naves undis hauſtæ, aliæ aut igne abſumptæ aut dilaceratæ, aliæ demum captæ fuerint. Ipſe Triviſanus, qui claſſi imperabat, navi prætoria capta, nonniſi parva quadam cymba ſibi fuga conſulere compellebatur, militum tamen quamplurimi natando in adverſo Padi littore primam victorum rabiem effugerunt, nonnulli tamen eorum a Veneto equitatu, qui accurrerat, alii vero a Ferrarienſi præſidio capti, complures a ruſticis fuſtibus trucidati fuerunt. Denique ex ſeptemdecim illis Venetorum triremibus quindecim qua incendio conſumptæ, qua undis abſorptæ interierunt, copiæ vero cum ingenti ignominia obſidionem ſolvere coactæ ſunt; Veneti tamen, ut Vicentiam, atque Patavium conſervarent,

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

Marian. lib. 29. n. 87.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

ambas hasce Provincias nuperrime recuperatas longa vallorum serie, quæ minoribus etiam vallis munierant, tueri ac præaltis fossis contra vim hostium, qui Veronam occupaverant, cingere jusserunt.

§. LIV.

Marchio Mantuanus a Venetis captus.

Marian. l. c. Ceterum cladis hujus dolorem haud parum temperabat inopinæ felicitatis nuncius; Franciscus enim Gonzaga Mantuæ Marchio, cum Veronæ cum Equitum turma Paliffæo sese jungere pararet, a Venetis capiebatur; quippe nonnulli eorum, quos Andreas Grittus ducebat, uno impetu in præsidiarios ejus irruebant, cunctosque in captivitatem abstrahebant. Equidem fortuna Marchioni favebat; fuga enim dilapsus, atque inter segetes delitescens, insequentium solertiam aliquamdiu eludebat, jamque deferveſcebant inquirentium studia, cum ecce! cujusdam rustici, quem viæ ducem selegerat, perfidia proditus comprehenditur, ac veluti opimum victoriæ spolium Venetias abducitur. Inde Veneti in immodicam effundebantur lætitiam, spe concepta, se hujus captivitate Liviani libertatem redempturos, qui in Agnadellano prælio captus a Gallis detinebatur.

batur. Hic enim tantam ſibi apud Venetos fortitudinis, ac bellicæ artis laudem famamque conciliaverat, ut tanti Belliducis ſalutem Marchionis diſpendio longe pluris haberent. Sæcul. XVI. A.C.1509.

§. LV.

Fœdus, Papienſis Cardinalis miniſterio, Papam inter & Galliarum Regem ſancitum.

Interea ſummus Pontifex magis magisque Venetis favere cæperat, ac demum relictis fœderatorum partibus, præcipue vero Regis Galliæ, cui alias minus propenſus erat, Reipublicæ commodis, utilitatique ſerviebat, huncque in finem ad Ludovicum ablegabat Cardinalem Papienſem, cujus opera cum Rege ex Francia reduce novum fœdus initum eſt, quo (*) cautum erat, ut ambo ad tuendas cujusque ditiones mutua ſuppeditarent auxilia, ac cuilibet liberum eſſet *Guicc. l. 8. Raynald. hac ann. n. 21.*

(*) *Raynaldus loc. cit. teſtatur inter alia ſancitum fuiſſe*, Galliarum Regem nullum Principem, nullumve populum Romanæ Eccleſiæ clientem in fidem recepturum. *Illud vero pactum Regem violaſſe, eoquod Ferrarienſis patrocinium adverſus Papam ſuſcepiſſet, ex quo tot bella ac ſchiſmatis exordia pullulaſſent.*

Secul. XVI A.C. 1509.

esset cum ceteris Principibus, aut statibus fœdus sancire, absque tamen alterutrius damno. Præterea consensit Ludovicus, ut in suis ditionibus ad omnes tunc vacantes Episcopatus Papa nominaret, minime tamen comprehensis imposterum vacaturis, quos Julius haud aliter conferre posset, quam juxta nominationem Regis, idque non nisi ad certum tempus. (*) Denique Julius II. pollicebatur, quod Episcopum Albiensem Cardinalis de Ambasia Nepotem Purpuratorum collegio adscribere vellet, dummodo ipsus ad galerum recipiendum Romam accederet; prius tamen Pontifex Episcopo nominationis suæ literas mittebat.

§. LVI.

Dissensio Papam inter & Regem demum sublata.

Guicc. ib. Paris. de Grass. to 3. *p.* 485. *Raynald. hoc ann. n.* 20

Verum ex hoc ipso articulo de vacantibus Episcopatibus brevi dissensio Papam inter & Regem recruduit. Adversabatur equidem Gallis Pontifex; nec abs re, illi quippe non raro ejus consiliis sese

(*) *Hanc conditionem a Pontifice fuisse promissam, disertis verbis Paris de Grassis loco a Continuatore allegato negat.*

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

sese opponebant, ac præprimis cum olim Romanam Sedem ardentius ambiret, non modo ejus electioni obstabant, sed etiam insuperhabitis, quas cum illis iniissent, pactis tam post Alexandri VI. quam Pii III. obitum, Cardinalem de Ambasia, Julio neglecto, ad cathedram S. Petri evehere adlaborabant: Unde Ludovicus Pontificis indignatione præventus, adversus eundem pari flagrabat invidia, quam plus æquo manifestabat; quin etiam nonnunquam tantopere a debito deficiebat officio, ut Papam *ebrium* convitiari non erubesceret, quam calumniam haud immerito summus Pontifex ægerrime ferebat; fervente igitur mutua hac dissensione haud mirum, quod ex levissima etiam caussa nova contentionum semina succreverint; idque satis aperte demonstrat articulus, cujus nuper meminimus; quippe summus Pontifex, cum ei beneficia in Curia Romana vacantia conferendi consuetudo continuo Prædecessorum suorum usu firmata suffragaretur, in Provincia Episcopatum, cujus titularis in Curia Romana decedebat, ex plenitudine auctoritatis conferebat; id vero nuperi pacti violationem esse Rex contendebat; cum autem apud Romanam curiam, quæ morosius offensis satisfacere solet, jus suum prosequi nimis tœdiosum fore censeret,

Secul. XV. A.C. 1509

ut promptiori via jus sibimet ipsi diceret, cunctos reditus beneficiorum, quæ a Prælatis Curiæ Romanæ in Mediolanensi ditione possidebantur, aufferri præcepit. Julius indignitate facti graviter in Regem concitatus, Albiensi Episcopo, qui Romam Pontificis fide munitus venerat, purpuram concedere recusavit: id vero nonnisi infirmum erat vindictæ genus, quapropter Ludovicus hac super re Pontifici haud amplius molestus esse voluit, persuasus, si cæptis firmiter insisteret, certo, si non animum, saltem consilium a Papa mutatum iri: nec sua Regem fefellit opinio; quippe summus Pontifex Regi, cujus major longe erat pertinacia, ultro cessit, ac Provinciæ Episcopatum Præsuli, quem Rex nominaverat, contulit, id quoque se imposterum facturum spopondit. Præterea etiam cum Rex Mediolanensibus Ecclesiasticos suorum beneficiorum reditus restitueret, Albiensem Episcopum Cardinalium galero decoravit.

§. LVII.

Lis de Castella Cæsarem inter & Arragoniæ Regem.

Marian. lib. 29. num. 20. Guicc. l. c.

Opportune Venetorum rebus acciderant suscitata Papam inter & Regem dissidia, quæ ipsi in rem suam vertentes

tentes in Julii gratiam redire molleban- Sæcul. XVI.
tur. Sub idem quoque tempus ob Ca- A. C. 1509.
ſtellæ adminiſtrationem inter Maximilia-
num, & Ferdinandum Arragoniæ Re-
gem ingens orta eſt contentio, qua de-
nuo Respublica probe in ſuum commodum
utebatur. Jam dudum varia ambos ho-
ſce Principes conciliandi quærebantur
media; verum id gravioris moliminis
negotium erat; quippe quivis eorum ſo-
lus ſibi regni hujus adminiſtrationem
vendicare conabatur. Promiſerat equi-
dem Ferdinandus, quod Carolo Archi-
duci Nepoti ſuo, quamprimum vigeſi-
mum ætatis annum attigiſſet, ac Joanna
Regina fatis conceſſiſſet, regimen eſſet
redditurus; id enim Iſabella Regina te-
ſtamento caverat, necnon Regni jura
expetebant; aſt quamdiu Joanna ejus
filia ſuperſtes eſſet, Rex regni procura-
tionem ſibi relinquendam contendebat,
affirmans, patrio jure, omniumque legum
præſcripto illius tutelam ſibi deberi, nec
Iſabellæ Reginæ teſtamentum ullatenus
hujus juris firmitatem infringere: Un-
de teſtamenti tabulis, quatenus ſuis com-
modis ſervirent, ſtare, ac clauſulas ſuo
propoſito adverſas pro libitu mutare de-
creverat.

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

§. LVIII.

Galliarum Rex inter ambos Principes controversiæ arbiter.

Marian. lib. 29. n. 90. Guicc. lib. 8. Gabriel hist. Hisp. lib. 20. c. 12. Raynald. hoc ann. n. 29.

Ceterum litis hujus decisio remittebatur judicio Ludovici Regis, quem unacum Cardinale de Ambasia Cæsar, Rexque Catholicus communi suffragio arbitrum elegerant. Itaque in Blessensi conventu Mense Decembri concordiæ leges his concipiebantur articulis. I. Rex Arragoniæ, quamdiu viveret, modo nuper expositio Castellæ regimen retineret. II. Si prolem masculam ex Germana Regina conjuge sua susceptorus esset, Archiduci Carolo Nepoti suo, Castellani regni successionem sartam servaret, nec eum secundi thori proles in regnorum suorum possessione turbarent. III. Rex Catholicus harum conditionum fidem cautione quoque idonea muniret. Denique post nonnullas contentiones super ejusmodi cautionibus motas, sancitum ut utriusque regni Ordines ad Carolum veluti legitimum Castellæ, Legionis, aliorumque inde dependentium Regnorum hæredem ac Successorem agnoscendum, necnon ad homagium eidem tanquam Regi præstandum adigeret, postmodum vero ipsus in proximis Ordinum Castellæ comitiis jurato promitteret, se, prout antea pollicitus

citus esset, integra fide eadem Regna administraturum, donec Carolus Archidux ejus Nepos pupillarem ætatem egressus esset. Hæ conditiones, si Marianæ fides, jam inter partes concluſæ fuerant, priusquam Galliarum Regi, ac Cardinali proponerentur. Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. LIX.

Oranum a Cardinale Ximenio ſuis ſumptibus expugnatum.

Dum interea Arragoniæ Rex totus in eo erat, ut ſuam in Caſtellæ Regno auctoritatem firmaret, Ximenius vulgo dictus Cardinalis Hiſpanus, Regis Catholici ditiones apud Mauros ampliare ſtuduit, eique labente hoc anno ſubjecit Oranum, quæ percelebris Algeriani regni urbs eſt ad Tremeſanam oram ſita. Cum enim Hieronymus Vianellus natione Venetus delineationes omnium maritimarum Africæ civitatum a ſe adornatas Ximenio exhibuiſſet, inter ceteras Cardinali præplacuit Orani deſcriptio, quam ob cauſſam, ut Ferdinandum ad urbis hujus expugnationem induceret, nullum non movebat lapidem: Verum Rex bello adverſus Venetos implicitus, novam expeditionem ſuſcipere renuit, dilaudato tamen Cardinalis conſilio, atque ejus executione ad opportunius tempus protra-

Gomez. in vit. Xim. l. 4. Marian. lib. 29. n. 79. Ciacon. in Jul. II. to. 3. p. 280. Raynald. l. c. num. 23.

Sæcul. XVI. A.C. 1509

protracta. Nec tamen propterea Cardinalis animum despondit, cumque ex Archiepiscopali Toletana Ecclesia, aliisque, quibus auctus erat, aulæ dignitatibus ingentes reditus perciperet, propriis sumptibus urbis hujus expugnationem promovere statuit, dummodo suis conatibus Regis quoque consensus accederet. Igitur ad illum hac super re literas dedit, felici prorsus successu; quippe Ferdinandus diu quidem hæsitans, atque cunctatus, tandem Ximenii votis cessit, ea tamen lege, ut si cæptis optatus abluderet eventus, omnibus, quas feciſſet, expensis frustraretur, ablata tam a Rege quam ab ejus successoribus vel minimum repetendi spe.

§. LX.

Orani expugnatio Petro Navarro Belliduci demandata.

Accepit haud ægre Ximenius conditionem, atque aliam vicissim Regi proposuit petitionem, quam itidem impetravit. Postulabat nimirum, ut si cæptis faveret fortuna, Oranum Sedi Toletanæ tamdiu beneficiario jure obstrictum permaneret, usquedum ea, quæ pro urbis expugnatione fuissent impensa, vel ipsi vel ejus Ecclesiæ compensata essent. Rege annuente Ximenius ipse Africam petere,

petere, ſuumque exercitum, quem inſtruxerat, ducere conſtituit, ſimulque a Ferdinando Conſalvum hujus expeditionis Præfectum expetiit; verum a Ferdinando repulſam paſſus copiis quidem Petrum Navarrum præfecit, ſibimetipſi tamen ſupremam earum auctoritatem reſervavit. Sæcul. XVI. A.C. 1509.

Marian lib. 29. n. 76. Rayna d. l. c. num. 24.

§. LXI.

Exercitus ac Cardinalis Ximenii diſceſſus.

Bellicus hujus expeditionis apparatus totam hyemem perduravit, donec tandem Anno milleſimo quingenteſimo nono exeunte Menſe Februario Ximenius claſſem, quæ exercitum in Africam deferret, Malacam deduxiſſet, ac Carthaginem contendiſſet, ubi præſtituta die omnes copiæ convenirent. Rei novitas omnium animos admiratione perculit, dum Franciſcanum, quorum inſtitutum profitebatur Ximenius, lorica indutum (*) validi exercitus Præfecturam gerere

Gomez. in vita Xim. l. 4 Raynald. l. c. n. 23.

(*) *Ita Continuator; cum tamen Gomeſius, quem allegat, diſertis verbis dicat:* Ximenium novitate & inſolentia ſpectaculi Ducum animos & militum perculiſſe, *illos autem non miratos fuiſſe,* Imperatorem ſuum ſplendenti clypeo,

Secul. XVI A. C. 1509.

gerere videbant, cum interea Conſalvus magnus ille Bellidux veluti neglectus, omni officio, ac munere deſtitutus, nonniſi Eccleſias, ac monaſteria percurreret. Ceterum tam Petrus Navarrus, quam Vianellus, ceterique omnes belli Præfecti ad Cardinalem ſe contulerant, adductis etiam cunctis copiis, quæ variis ex locis paucos intra dies confluebant, iisque omnibus recenſitis, totus exercitus caſtra metabatur, ac nonniſi claſſem, quam conſcenderet, expectabat. Numerabantur

clypeo, aut caſſide formidabilem, ſed Pontificalibus veſtibus indutum, ſacerdotibus, & viris religioſis ſtipatum, & cruce argentea pro vexillo præeunte . . . illud vero Fr. Ferdinandus (*non Ximenius*) quo ex Franciſcanis Ximenius familiariter utebatur, gerebat, gladio Hiſpano ſupra habitum Franciſcanum accinctus, quemadmodum & ceteri Religioſi Viri, qui eo die, jubente Ximenio, armis ſe munierant. *Ceterum, ni fallor, non minor erat admiratio Hiſpanorum Ximenium adverſus Infideles gladio ac ſcuto indutum conſpicientium, quam Gallorum, dum Cardinalem Sanſeverinatem Piſani Conciliabuli Legatum adverſus legitimum Pontificem a capite ad pedes ſplendidiſſimis armis tectum viderant. Conſule Spondanum in Annalibus ad annum 1512. num. 5.*

rabantur octoginta naves onerariæ, decem maximæ triremes, armis, tantaque commeatus, ac bellici apparatus copia instructæ, ut Orano capto nequidem media illius pars consumpta esset. At ecce! classe jamjam adventante exercitus, priusquam naves conscenderet, stipendia numerari postulans seditionem movet, cujus flamma unico ferme momento ad omnes copiarum ordines diffundebatur, illiusque auctor credebatur ipse Petrus Navarrus, qui ceteroquin nulla generis nobilitate, nec liberali eductatione clarus nonnisi adspirante fortuna inter Belliduces cooptatus erat, ac insuper asperioris indolis Vir, rudis, violentus, acer, flecti ac dissimulare nescius audiebat. Nihilominus Cardinalis Ximenius dexteritate ac moderatione insignis brevi tumultum sopivit, ac nonnullis Belliducibus ad placandos milites operam navantibus, ipse Navarrus Sacramentum Cardinali jam antea præstitum innovavit, pollicitus, se eidem debita subjectione adhæsurum, cunctaque ejus imperia integra fide executurum. Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. LXII.

Exscensio Cardinalis cum exercitu ad Mersalcabirinum portum.

His ita prospere dispositis, Ximenius magnam Hispaniæ triremem, quæ classis *Marian. lib.* 22. n. 77.

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

classis hujus prætoria erat, conscendit, totusque exercitus, motis anchoris, e Carthaginensi portu solvit, ac decima sexta Maji, quæ erat feria quarta, in altum procurrit. Postera die, in quam festum Ascensionis Domini inciderat, detectis Africæ oris, classis Mersalcabirinum portum ingreditur, secundissimis usa ventis, tandemque noctis beneficio totus exercitus instructissimo ordine summaque celeritate in terram exponitur, die vero illucescente occupata, quæ plana omnino erat, tellure acies explicabatur. Cunctis rebus hoc pacto instructis Ximenius de triremi sua egressus, necnon Pontificio habitu ornatus equum conscendit, præcedente Monacho Ordinis S. Francisci, qui Archiepiscopalem Crucem præferebat. Sequebantur Viri Ecclesiastici, ac Religiosi, qui omnes sub veste sua gladios e latere pedentes gestabant, quod sane spectaculum (*) omnibus risum excusserat, nihil remorante quæ par erat, reverentia ac timore, quem Ximenii præsentia militibus ingerebat. Post hæc Cardinalis incredibili gravitate, ac

Gomez. l. c. l. 4.

(*) *Vide annotationem ad §. præcedentem*, consule etiam lib. CXX. §. CXXX. fol. 626. ubi quemdam Archiepiscopum in Gallorum castris pugnantem a Continuatore laudari reperies.

ac vultus Majestate exercitus sui conspectum subiit, & miro verborum pondere atque eloquentia Duces alloquens, suorum militum animos tam potenter excitabat, ut omnes eum circumstantes immotum, quod testificari parati essent, submissionis studium certatim profiterentur, eodemque tempore una omnes Cardinalem rogarent, ut in Ecclesiam sese reciperet, ibidemque pro felici armorum successu Deum exoraret. Cessit Ximenius communibus omnium votis, ac Mersalcabirim reversus, ædesque S. Michaelis ingressus, toto prælii tempore coram altari prostratus Deum precabatur. Sæcul. XVI. A.C 1509.

§. LXIII.

Prælium Christianos inter & Mauros.

Aliquamdiu uterque exercitus substitit otiosus; tandem vero Maurorum equitatus Christiano longe superior hostem incondito clamore ad pugnam provocabat, ac primo Mauri ab Hispanis summo in silentio directis in eos haftis excipiebantur, nil tamen inde territi iterato impetu in Christianorum legiones irruebant, quin tamen unquam earum ordines perrumpere possent: postquam vero tormenta ex arce navibusque explosa Mauris equitibus ingentem stragem *Marian. l. c. n. 77. Gomes. l. 4.*

Sæcul. XVI A.C.1509.

inferrent, ac primus Orani conſpectus Hiſpanorum ardorem augeret, derepente mutata erat rerum facies; cum enim uterque jamjam exercitus in acie conſiſteret, promiſcua utrinque pugna, ac ſingulorum arma in ſingulos vertebantur; demum vero Hiſpani duo millia equitum, qui Merſalcabiri nondum exſcenderant, Orano admovent, ac ſuas copias in duo agmina partiuntur, quorum unum ad Tremeſeniam portam contendit; hæc enim Ximenio Cardinali tradenda ſpondebatur, alterum vero reconditum erat ſub quodam colle, qui tam urbi quam Maurorum exercitui latentis hoſtis conſpectum prohibebat; inſuper primis hiſce pugnæ auſpiciis adſpirabant clandeſtina, quæ Cardinalis cum quodam Hebræo ac duobus Mauris fovebat, conſilia: hi enim, ut promiſerant civitatis portam Chriſtianis tradebant: cum vero cuncti, qui arma ferendo pares erant, urbe egreſſi eſſent, Hiſpani equites, nullo obſiſtente, Oranum ingredi poterant, & præcipuas ſtationes, murosque occuparunt, necnon propugnaculis munierunt, demum etiam tormentis in urbem directis, extremam illius ruinam oppidanis minabantur, ſi adhuc reſiſtere vellent.

§. LXIV.

Sæcul. XVI.
A C. 1509.

§. LXIV.

Maurorum clades; Oranum a Christianis occupatum.

Itaque Hiſpani dejectis Orani ſignis, eorum loco S. Crucis vexillum Hiſpaniæ inſignibus ornatum mœnibus infigunt; eo conſpecto Chriſtianorum exercitus novo ardore concepto usque ad quemdam locum aquæ ductui haud abſimilem progreditur, ibi caſtra poſiturus. Mox vero ibidem prælium inſtauratur, atque Hiſpani e tormentis ſuis tam denſum globorum imbrem in Mauros emittunt, ut ii relictis omnibus, quas occupaverant, ſtationibus in præcipitem, eamque tumultuariam fugam agerentur, Chriſtiani vero tam proſpero ſucceſſu excitati fugitivis inſtant, ingentique ardore inſequuntur; cumque Orani portæ eſſent occluſæ, victores victique, Chriſtiani infidelibus immixti turbatis utrinque ordinibus implicabantur; deinde Mauri in urbe relicti, comperto tumultu, erumpunt, & Hiſpanorum copias a tergo adoriuntur; unde ad eam prælii neceſſitatem deventum, ut neglecto fugientes inſequendi ſtudio, Hiſpani propriæ ſaluti proſpicere compellerentur. Nec tamen Chriſtiani propterea animos deſpon-

Gomeſ. in vita Ximenii lib. 4. Marian. n. 79 Raynald. ib.

Sæcul. XVI A. C. 1509.

bant, sed restauratis ordinibus Maurorum impetus incredibili fortitudine sustinuerunt, cum interea unum Hispanorum agmen cum hoste manus consereret, aliud vero admotis undique scalis Orani muros conscenderet. Ceterum Mauri haud segniores ad sua accurrebant munimenta, ut Christianorum impetus eluderent, eorumque conatus penitus everterent.

§. LXV.

Oranum vi captum.

Gomez. l. c. Marian. ib.

Verum fervente utrinque pugna, ac quevis vim vi repellere intento, derepente mille equites totis viribus de colle prorumpunt, ingentique impetu in Maurorum equitatum irruunt. Hi prælium undique instare non sine stupore animadvertentes, hostiumque suorum numerum longe majorem, quam reipsa esset, rati, animos despondent, terroreque ad ipsa peditum agmina diffuso, una omnes fugam arripiunt, equitatus quidem laxis omnino habenis auffugiebat; pedites vero, cum horum auxilio destituti sese recipere molirentur, pavore confusionem augente, ruptis ordinibus undique dispergebantur, Hispanis tanta cædis aviditate Maurorum audaciam plectentibus, ut prælii locus quinque occisorum millibus stratus

stratus esset, sauciis nequidem compu- Sæcul. XVI.
tatis, quorum potissima pars vulneribus A. C. 1508.
suis occubuit: ingens quoque erat captivorum numerus, qui omnes ad triremes abducebantur. Parta victoria Navarrus selectiores copias ad Oranen em urbem adduxit, suis opportune suppetias laturus, nec incassum; quippe nemine obsistere auso urbem ingrediebatur, plateas tamen, earumque aditus diversis repagulis obstructos, necnon oppidanos primo terrore depulso extrema quæque perpeti paratos invenit. Ast disruptis brevi plateārum obstaculis, Hispani hostium pertinacia magis irritati, non ætati non sexui parcebant, ac sine discrimine omnia promiscuo interitu miscebant, effractasque domos deprædabantur. Tum vero eo crudelius sævitum, quo Victori durius accidebat, quod ibi non nisi mulieres, viros decrepitos, atque infantes, ferme omnes resistendo impares in ædibus reperiisset; nec tamen clades nisi cum die, sole nimirum ad occasum vergente, finem sortita est. Ceterum octo millia Maurorum, qui in suis delubris delitescebant, in servitutem abstracta fuere, trucidatorum vero cadavera partim in plateis partim in domibus inventa facile quatuor millium numerum æquabant.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. LXVI.

Ximenii Cardinalis ingressus in urbem; ejus possessio capta.

Gomez. l. c. Marian. lib. 29. n. 79. Ciacon. in Jul. II. p. 281. Rayn. ad. n. 25. & 26.

Ximenius Cardinalis accepto victoriæ nuncio, mox conscensa triremi ad urbem contendit, ut eam in fidem suam reciperet. Navi egredientem excepit Vianellus, peditibus duplici ordine dispositis, equitatu vero a porta usque ad arcem continuata serie locato, eumque prope urbis portam præstolabatur Petrus Navarrus, qui adventanti claves porrigebat, victoriamque ejus armis, auspiciisque reportatam gratulabatur. Post hæc Cardinalis civitatem ingressus festivis totius exercitus acclamationibus excipitur, arci vero appropinquans Gubernatorem obvium habuit, qui illius imperium eidem deferebat. Erat unus ex duobus illis Mauris, quorum consiliis & opera Ximenius urbis deditionem molitus erat, hos comitabantur trecenti Christiani dira olim servitute pressi, qui omnes Cardinalis pedibus affusi, monstratis vinculis eum liberatorem suum proclamabant. Hisce mirifice oblectatus Cardinalis, Gubernatorem apud se retinuit, alterum quoque Maurum, atque Judæum, quorum auxilium eidem adeo proficuum erat, accersiri jussit, eosque secum in Hispa-

Hiſpaniam reduxit. Demum capta ur- Sæcul. XVI.
bis poſſeſſione, ac deprædicata tam Bel- A.C. 1509.
liducum, quam militum fortitudine, cunctis nomine Regis grates rependit, cui Legatum miſit, qui proſperum ei expeditionis eventum nunciaret. Poſtea primas eo curas intendit, ut humatis cadaveribus, quæ jamjam aerem inficere videbantur, urbem perpurgaret, atque infidelium delubra ritu ſacro expiata Chriſtianorum more ornaret. Præprimis vero ipſemet auguſtius fanum, quod *Moſcheam* appellant, ſub invocatione B. V. Mariæ de Victoria conſecravit ac Clerum, Monachos, & Xenodochia inſtituit, eisque ad ſuſtentationem prædia, reditusque necnon ædes ad habitandum commodas aſſignavit, qua liberalitate urbem magna incolarum frequentia auxit.

§. LXVII.

Ximenius conſcenſa navi in Hiſpaniam reverſus.

Rebus omnibus ita diſpoſitis, Ximenius *Gomez ib.*
Ferdinandum ſupremum urbis, Oranienſisque ditionis Principem proclamari juſſit, utramque tamen in ſpiritualibus Eccleſiæ Toletanæ ſubjectam eſſe voluit, eique pariter tam Regios cenſus, quam publicos reditus, ac omnia, quæcunque prioribus ditionis hujus Regibus obvenerant,

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

attribuit. Denique, postquam Oranum sua opera in Regis potestatem redegisset, ipsumque Christianorum exercitum tantopere auxisset, ut victoriarum cursum ad ulteriores Africæ oras protendere facile posset, ipse gloriæ suæ, ac victoriis finem posuit, & die vigesima tertia Maji in Hispaniam conscensa navi rediit tam secundo usus vento, ut eodem die Carthaginem appelleretur, ubi binas a Rege accepit literas, quibus ad aulam invitabatur, ut ob præclara, quæ tam Regno quam Religioni præstitit, obsequia debitos quoque honores reciperet. Ast Ximenius Regi Catholico pro sua in eum benevolentia gratias agens, id unum efflagitabat, ut ad vires refocillandas, Complutum petere permitteretur, ubi paulopost adveniens, non modo solemnem ingressum, sed etiam officiosas gratulationes penitus recusabat, palam omnibus professus, hujus victoriæ gloriam non tam suæ sollicitudini, quam Numinis clementiæ, ac militum fortitudini potissimum in acceptis referendam.

§. LXVIII.

Ximenii contentio cum quodam Franciscano Oranensem Episcopatum ambiente.

Aliquot post annis quidam Ordinis S. Fran-

Franciſci Alumnus renuntiatus erat Epiſcopus ut vocant *in partibus* ſub titulo Epiſcopi Aurenſis; cum autem hic titulus nullos ei proventus afferret, inani Epiſcopatus nomine haud ultra contentus, Oranenſem Eccleſiam hoc titulo indicari prætendit. Stimulabant Viri ambitionem dignitates, quæ Toletanæ Sedi annexæ erant, atque opulenti, quibus eadem abundabat, reditus, cumque Ximenius eidem Eccleſiæ Oranum in ſpiritualibus ſubjici, novamque dignitatem ad perpetuam victoriæ memoriam ſtabiliri cuperet, Franciſcanus hujus ſpei amplitudine deceptus, primo ſeſe Orani Episcopum nuncupari, dein Ximenio nunciari præcepit, ut deinceps a Spirituali hujus urbis regimine abſtineret: Cum autem Cardinalis ab injuſtitiæ umbra longe abhorreret, hac ſuper re peritiſſimorum Præſulum ſententiam rogabat; verum una omnes in eam ſententiam abiere, quod nullo unquam tempore Oranum Epiſcopali Sede inclytum fuerit, idque etiam ex veteribus monumentis demonſtratum ibant, eoquod Aura magis verſus Orientem, longius vero ab Orano ſemota a Carthaginenſi Provincia dependeat, cum tamen ex adverſo Oranum, totumque illius territorium, quin etiam circumvicinæ urbes Tingitanæ Provinciæ finibus circumſcribantur. Non

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

Gomez in vita Xim. l. 4. Marian. l. 29 n. 80.

Sæcul. XVI A. C. 1509.

placuit Monacho horum judicium; hinc ipse recta Regem supplex adiit, a quo etiam literas accepit, quibus Ximenius supplicantis voto satisfacere rogabatur. Nihilominus Cardinalis cum hanc causam ad summum Pontificem deferri, ac operosius tractari pertimescceret, præfato Franciscano proposuit, Orani Collegiatam Ecclesiam esse construendam, ejusque primam dignitatem unacum Abbatis titulo, ac pinqui pensione eidem conferendam; cum vero is oblata acceptare renueret, Ximenius ea antiquitatis monumenta, in quæ inquiri jusserat, Regi exposuit, atque supplicavit, ut res in eo statu, quem antea habuerat, permaneret, idque Regi gratum, ratumque esset. Annuit Ferdinandus, nec ultra huic negotio sese ingerere voluit; idcirco prætensum illum Orani Episcopum, quod oblatam sibi a Cardinale compositionem acceptare recusasset, sera nimis pœnitentia subiit.

§. LXIX.

Maurorum classis a Lusitano Rege profligata.

Jer. Osor. hist. Eman.
Maff. hist. Indic.

Inter hæc Franciscus Almaida Indiarum Pro-Rex tum adversa Lusitanorum fortuna, tum Laurentii de Almaida Filii sui morte commotus omnes, quotquot colli-

colligere poterat, naves instruxit, atque Onoræ portum prætervectus, Dabulem ingressus est, ubi omnes Calecutiensis Regis naves ceterasque, quas in portu repererat, combussit, demum capta ac expilata Dabulis urbe hoc anno die quinta Januarii e portu solvit, Dium versus, quo hostium classis confugerat, navigaturus. Mirocemus priori victoria elatus atque hostem suum in portu præstolari, turpe ratus, naves suas in altum educi jussit. Jamjam inter utramque classem non nisi tantum intercesserat spacium, quantum sat esset ad certamen tormentis eminus inchoandum; verum cunctis repente ventis quiescentibus, noctisque tenebris importune ingruentibus, prælii discrimen ad alteram diem remittebatur. Tum vero pertinax utrinque pugna committebatur, atque ex utriusque classis tormentis horrendus globorum imber emittebatur, ancipiti identidem fortuna, donec tandem penes Christianos sine controversia staret summa victoriæ. Cæsa sunt in hoc prælio Barbarorum plusquam quatuor millia, tresque naves majores præter duo navigia rostrata, duasque triremes, & quatuor onerarias cum innumeris fere aliis minoribus fuere qua captæ qua submersæ.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

Thuan. hist. lib. 1. Raynald. hoc ann. n. 30 31. 32.

§. LXX.

Secul. XVI. A.C. 1509.

§. LXX.

Albuquercius Pro-Rex Almeydæ ſubrogatus.

Joan. de Barros. Maffæus. Marmol. Vaſconcellos

Almeyda parta hac victoria Cochimum reverſus eſt, eoque victricem claſſem revexit: aſt redux Alphonſum Albuquercium Indiarum Pro-regem fuiſſe nominatum comperit, cui poſt vehementes contentiones ultro citroque habitas, regimen ceſſit, ac Luſitaniam petiturus, itineri ſeſe accinxit, antequam vero illuc viam emetiretur, vitæ finem impoſuit. Poſt ejus obitum Albuquercius ſumma integritate ac inſigni prorſus prudentia officii ſui partes expleverat, & tam fidei Chriſtianæ, quam Regis ſui commoda maximis incrementis promovit, ac denique ejusdem nomine pluribus hujus regionis ditionibus feliciter ſubactis fœdus inter Luſitanam coronam & Perſarum Regem procuravit.

§. LXXI.

Conſilia Regis Angliæ de ſua filia Carolo Archiduci deſponſanda.

Rapin. de Thoiras hiſt. Angl. tom. 5.

Tandem Henrico VII. Angliæ Regi, qui Mariam filiam ſuam Carolo Juveni Archiduci matrimonio jungere ſummis votis

votis exoptabat, secunda adspiravit fortuna. Insumpserat jam integrum annum in exequendis hisce consiliis, denique totius negotii curam Fuxo demandaverat, a quo etiam datis literis edocebatur, quod fausto eventu, & quidem iis conditionibus, quæ Regi summopere proficuæ forent, has nuptias conciliasset, simulque cuncta superasset clandestina molimina, quibus Rex Catholicus matrimonium illud præpedire nitebatur. Accepto hoc nuntio Henricus per totum suum regnum festiva lætitiæ signa edi jussit, ac Nobilis de Berghen pro adolescente Archiduce missus, procuratorio nomine cum regia Filia nuptias contraxit, quæ tamen effectu caruere. Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. LXXII.

Henricus VII. morti proximus.

Attamen Henricus jam aliquamdiu lenta tabe laborans, malo indies crescente, omnes eo curas intendit, ut ad ultimam luctam sese accingeret, unde aucta erga pauperes liberalitate, etiam Ecclesiæ Sacramenta maxima cum religione recepit, utque misericordia erga alios propriæ culpæ veniam certiorem redderet, edicto hanc in rem promulgato omnibus delictorum pœnam remisit, cunctisque, qui ob æs alienum capti

Polyd. Virg. hist. Angl. lib. 26. sub fin. *Raynald. hoc ann. n. 35.*

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

capti detinebantur, libertatem restituit, dummodo debitum quadringentos solidos (*) non excederet, Gallis vero pecunias, quas ipsis debebat, ex proprio peculio numeravit: Cum autem pœnitentiam suam haud perfectam fore censeret, nisi etiam ingentes pecuniarum summas, quas ejus Ministri a privatis quibusdam persæpe extorquebant, integre restitueret, hinc disertis verbis in testamento cavit, ac Successorem suum Religione obstrinxit, ut cunctis illata damna repararet: etsi melius longe feciſſet, si ipsus adhuc in vivis existens huic oneri satisfeciſſet; quippe, ut fieri amat, in hoc quoque suprema testatoris voluntas aut non integre servata, aut penitus neglecta fuit.

§. LXXIII.

Henrici obitus.

Baco. hist. regni Henrici VII. Polyd. Virg. hist. Angl. l. 26 sub fin. Harpsfeld. hist. Eccl. Angl. Marian. l. 29

Denique Henricus hoc anno die vigesima secunda Aprilis Richemundiæ in sua regia, huic mundo valedixit, anno ætatis quinquagesimo secundo, regni sui vigesimo quarto. Corpus ejus translatum fuit Westmonasterium, ibique in magni-

(*) Vulgo vocantur Schilling, valentque 12. Stüber, seu quadrantem Imperialis.

magnifico repositum tumulo, quem in splendidissimo Sacello paucis ante obitum suum annis absoluto erigi jusserat. Suscepit Henricus ex Elisabetha Eboracensi Eduardi IV. filia natu majore tres filios, (*) quorum primus erat Arthurus Walliæ Princeps, qui nuptiis cum Catharina Ferdinandi, ac Isabellæ filia contractis die secunda Aprilis Anno Domini millesimo quingentessimo secundo fatis functus est. Alter erat Henricus defuncti Successor, qui fratris sui primogeniti viduam sibi copulavit. Tertius denique Edmundus eodem anno millesimo quadringentesimo nonagesimo nono vix natus vivis ereptus est. Ex eodem connubio quatuor procreaverat Filias, quas inter prima erat Margarita Anno Salutis millesimo quingentesimo tertio Jacobo IV. Scotiæ Regi, undecimo autem post anno Archamboldo Duglassio, & tandem Henrico Stuart nupta. Secunda fuit Elisabetha, quæ Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, tertium ætatis suæ annum, duosque menses agens, morte sublata est: Tertia vero Maria, quæ primum Ludovico XII. Galliarum Regi, demum Suffolciæ Duci desponsata fuit. Postrema

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

(*) *Polydorus Virgilius Henrico attribuit quatuor filios, totidemque Filias.*

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

ma denique Catharina, quæ eodem, quo nata est, anno fatis cessit, nimirum millesimo quingentesimo secundo.

Eluxit enimvero Henricus præclaris admodum virtutibus, atque eximiis animi dotibus, nec tamen nævo suo caruit, unde quorumdam vituperium, aliorum laudem sibi conciliavit; idque præcipue vitio ei vertitur, quod immodico in Lancastrienses, unde ortum duxerat, studio abreptus, tanta severitate Eboracenses insectaretur, ut nonnunquam nec ipsi adeo Reginæ conjugi suæ parceret, indeque plurium invidiam in se concitaret. Præterea corradendæ pecuniæ studiosissimus erat, nec Ministri nisi ærario augendo intenti essent, diu Regis gratia valebant. Inde prodierunt omnes ii tumultus, qui regiminis felicitatem in Anglia turbabant, nec raro eam ob caussam populus ad seditionem commotus identidem occasionem vindictæ sumendæ quærebat. Ast cum Henricus singulari rebelles ad obsequium reducendi dexteritate polleret, hinc avaritiam suam corrigere haud multum curabat (*).

§. LXXIV.

(*) *Æquius ac verius de Henrico sentit cum aliis Scriptoribus Natalis Alexander Sæcul. XV. cap. 3. articulo II. affirmans:* Henricus colligendæ pecuniæ, mulctæ præsertim nomine

Sæcul. XVI. A.C 1509.

§. LXXIV.

Henricus VIII. Succeſſor, defuncti Filius.

Succeſſit eidem Henricus VIII. ejus Filius, qui decimo octavo ætatis ſuæ anno ſolium conſcendens, in ærario plusquam decies octies centena millia librarum Sterlingicorum nummorum reperit. *Raynald. ad hunc ann. n.* 35.

§. LXXV.

Ladislai Bohemiæ Regis reſponſum ad libellum ſupplicem Bohemorum.

Sub idem tempus Ladislaus Bohemiæ Rex purioris fidei Catholicæ ſtudio excitatus, edictum promulgavit, quo Fratribus Bohemis, ſeu Picardis interdictum, ne in cœtus publicos aut privatos coirent, nec ſectam amplius divulgarent. Regerebant protinus illi, quod eorum dogmata ab errore libera eſſent: Rex vero, licet in pluribus articulis eorum doctrina orthodoxa videretur, illos audire renuit, inquiens, ſe non ea, quæ ſanæ fidei

ne ab iis, qui in leges peccabant, populo ſtudioſior videbatur, quam tamen adhuc vivens piorum conſilio reſtituit.

Sæcul. XVI. A.C. 1509

fidei consona, condemnasse, sed ideo eorum sectam rejicere, quia veritas variis erroribus corrupta esset. Ast cum iteratis precibus insisterent, ut ipsis conventus agere, suamque doctrinam prædicare liceret, Rex epistolam acribus verbis conceptam ad Martham Bozckowitsium misit, adjuncto duplici responso ad utramque Fratrum Bohemorum apologiam. Profluxerat illud ex calamo Augustini Doctoris, qui solidis argumentis demonstratum ibat, quod secta horum Fratrum secum ipsa pugnet, nullo nitatur fundamento, ac proin omnino necessarium sit, ut eis imponeretur silentium, ne simpliciores seducantur.

§. LXXVI.

Apologia Fratrum Bohemorum adversus Augustinum Doctorem.

Prof. fid. ad Ladisl. cap. de Eucharist. apud Lyd. t. 2. p. 10. cit. apol. p. 4.

Vix Augustini responsum divulgabatur, cum illico Picardi, ut illud refellerent, ineunte anno Christi millesimo quingentesimo nono apologiam quamdam publici juris faciebant. In ea rejiciebant transsubstantiationem, contendentes, panem & Vinum, sine omni tamen mutatione, in Corpus & Christi sanguinem transire: dein repetebant de novo ea, quæ jam antea contra Sacramenti

ti hujus adorationem oppoſuerant. Declarabant itidem, ſe quidem in profeſſione fidei de ſummo Pontifice mentionem injeciſſe, ac docuiſſe, quod ceteri Presbyteri ab illo Ordinis poteſtatem accipiant, nullatenus tamen hoc nomine ſeſe Papam denotaſſe, ſed duntaxat Chriſtum Dominum, quem D. Petrus Paſtorem, & animarum noſtrarum Epiſcopum appellaret: hunc enim ſolum univerſalis Eccleſiæ Caput eſſe. His addebant, Romanum Pontificem, ejusque Cardinales hoc ſolo, quod Chriſti Servi eſſent, contentos eſſe oportere, atque illorum duntaxat eſſe, ut pauperem, humilem, patientem, ac innocentem Chriſti vitam imitarentur, doctrina & exemplo viam, quæ duceret ad cœlum, præirent, ac populum divini Verbi pabulo, & Sacramentorum adminiſtratione paſcerent, atque in hoc præcipue SS. Petri & Pauli, ceterorumque Apoſtolorum veſtigia premerent: Ut vero Pontifici, atque Episcopis majorem adhuc conflarent invidiam, Apoſtolorum vitam eorum moribus ſtudioſe opponebant. Saecul. XVI. A. C. 1509.

Spond. ad ann. 1509. *n.* 12.

Ad hæc reprobabant etiam cultum, ac B. V. Mariæ Sanctorumque invocationem, docebantque, nonniſi ad Deum ſolum, preces noſtras eſſe dirigendas. De Purgatorio hanc opinionem fovebant, duplex nimirum purgationis genus ſtatuebant,

Sæcul. XVI. A.C.1509.

tuebant, unum pro præsenti, alterum pro futura vita; primumque certum, ac in divinis literis stabilitum, alterum vero nonnisi incertum esse tradebant, eoquod nec Sacer Codex illius mentionem uspiam faciat, nec primitiva Ecclesia illud agnoverit, nec antiqui Doctores unquam illud tradiderint, cum nonnisi a quibusdam recentioribus, quos inter præcipuus ferme esset Thomas Aquinas, adinventum fuerit: Potius tamen acceptabant nonnullorum veterum errorem, qui tenebant, Electos in die judicii per ignem satis purgandos, nec eorum animas ante resurrectionem ad Beatitudinis possessionem admittendas. Præterea nonnisi eas leges humanas se observare contestabantur, quæ æquitati non adversarentur, imo nonnullas admittebant ex iis, quas injustas censebant, dummodo illas absque injustitia servare valerent, quales juxta ipsos, erant festa, jejunia, aliaque pietatis opera, quæ *indifferentia* appellabant; eas tamen leges rejiciebant, quas ad fidei atque justitiæ eversionem tendere, Dei præceptis, ac honori eidem debito adversari, aut idololatriæ, falsæ spei, & superstitioni ansam præbere existimabant. Postea iterum regrediebantur ad articulum de Eucharistia, ac post prolixum sermonem tandem inferebant, Christum in Eucharistia, cum Corpore suo naturali

naturali præsentem non esse, sed dunta- Secul. XVI.
xat per suam potentiam in gratia & ve- A.C.1509.
ritate ibidem existere. Denique apologiam duplici testimonio concludebant, uno ex S. Bernardo, altero ex Petrarcha contra mores Curiæ Romanæ deprompto.

§. LXXVII.

Cardinalis S. Georgii obitus.

Hoc anno Joannes Antonius de S. Georgio Placentinus Cardinalis Romæ e vivis excessit, in Ecclesia S. Celsi sepultus. Erat ille primo Ecclesiæ S. Ambrosii Mediolanensis Præpositus, dein vero Alexandrinus Episcopus ad Mediolanensis Ducis preces renuntiatus est, a quo etiam Orator ad Hungariæ Regem missus fuit. Post hæc Rotæ Romanæ Auditor, diversis temporibus plures Episcopales Ecclesias regebat, donec tandem Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio ab Alexandro VI. Cardinalium Collegio adscriberetur, vulgo Cardinalis Alexandrinus nuncupatus; qua dignitate auctus Parmensem Ecclesiam sibi oblatam acceptavit, possedit-que. Præter aliquas Orationes posteritati reliquit plures tractatus in Decretum, & Decretales, una cum commentario in plures ac particulares juris tam Ca-

Guicc. lib. 7. Aubery hist. Cardin. Ciacon. in Alex. VI. to. 3. p. 168. & 204.

Sæcul. XVI. A. C. 1509.

nonici quam civilis materias, inter celebriores hujus ævi Jurisconsultos haud immerito referendus. Interfuit comitiis Pontificiis, in quibus renunciati sunt Romani Pontifices Pius III, & Julius II. Porro in exequiis laudatorem habuit Camillum Porcarium.

§. LXXVIII.

Mors Cardinalis Copis.

Hujus Purpurati obitum præcessit Melchior Copis itidem Cardinalis, qui Romæ secunda Martii extremum diem clausit. Natus erat in Austria, Parente Casparo Mekano, Maximiliani I. Imperatoris Consiliario, cujus præclara merita, ut in Filio remuneraretur Cæsar, Melchioren ad Brixiensem Episcopatum nominavit, eundem vero Alexander VI. Anno Salutis millesimo quingentesimo tertio ad Maximiliani preces purpura insignivit. Vir erat toto vitæ suæ tempore in muneris sui ratione ex asse adimplenda assiduus, ac propterea sub Julio II. Romæ summo in honore habitus, demum in Ecclesia S. Mariæ de Ara Cœli sepultus est.

Sæcul. XVI. A.C. 1509.

§. LXXIX.

Terræ motus Conſtantinopoli.

Hoc item anno tum diverſæ per univerſam ferme Europam regiones, tum præcipue urbs Conſtantinopolitana horrendo terræ motu per ſolidum menſem & amplius concuſſa fuit, ac tanto quidem impetu, ut omnibus pene urbis mœnibus everſis, ipſa ærarii arx quinque munitiſſimis turribus firmata, & alia ædificia quam plurima corruerint; & quamvis Bizarrus teſtetur, Chriſtianorum templa a communi ruina fuiſſe immunia, Græci tamen Scriptores hac ſuper re non conſentiunt; nihilominus ingens illud Sanctæ Sophiæ templum nihil læſum fuiſſe conſtat, etſi turris eidem ſacræ Ædi a Turcis impoſita, necnon ſepulchrum Mahometis II, qui Bajazethis Parens erat, maximis ſumptibus extructum penitus proſtratum fuiſſet. Addunt nonnulli, calcem, & cruſtam, qua Sanctorum imagines a Turcis fuerant obtectæ, ita decidiſſe, ut eæ perinde acſi recens depictæ & confectæ fuiſſent, apparerent. Præterea Auctor quidam Genuenſis, qui tunc Conſtantinopoli agebat, tradit, ruinam Menſe Auguſto incæpiſſe, Annales autem Turcici Exaltationis S. Crucis diem Menſis Septembris deſignant.

Surit. in comm. Bizar. rer. Perſic. lib. 10. &c. Leunclav. l. 16. Turco-Græcia lib. 1.

Cuſpin. de Impp. in Bajazeth. II

Leunc. de Reb. Turcic. lib. 5. c. 14.

Baſel. in append ad Naucler.

Raynald. hoc ann. n. 34.

Sæcul. XVI. A.C. 1509

designant. Proditur etiam durante hoc telluris motu, mare inter Constantinopolim & Peram adeo infremuisse, ut utramque civitatem superatis mœnibus inundaret. Porro incolarum numerus, qui tunc perierant, in quibus plurimi etiam ex Proceribus numerabantur, ad tredecim ferme millia ascendit. Bajazethes ipse Hadrianopolim se recipiens nonnisi in casa ex levibus tignis constructa, periculum evasit, quo cessante ad octoginta Architectorum, & Fabrorum millia collegit, quorum opera ruinæ reficerentur.

§. LXXX.

Arsenius a Græco Patriarcha Constantinopolitano excommunicatus.

Crus. in Turco-Græc. l. 2. Guillet. Laced. anc. & nov. p. 327. Spond. hoc ann. n. 16.

Mense Junio ejusdem anni pronunciatam reperimus a Patriarcha Constantinopolitano Græco, quem Pachemium fuisse autumant, excommunicationis sententiam adversus Arsenium Monembasiæ, seu Epiduari in Morea Archiepiscopum. Is quidem Vir doctrina insignis, sed Prædecessore suo adhuc superstite ab uno Episcopo, & duobus Presbyteris Venetorum opera consecratus fuerat: Igitur Patriarcha sententiam excommunicationis, necnon depositio-

positionis in eum pronunciavit, eamque ubique promulgari jussit, ita quidem, ut omnes Sacerdotes & Clerici per eundem anathemate perculsum sedeque sua pulsum ordinati, rursum a legitimis Episcopis initiarentur. Causa tamen excommunicationis, qua sibi gravem adeo Græcorum schismaticorum indignationem accivit, haud alia erat, quam quod se sacræ Romanæ Ecclesiæ subjecisset; unde Arsenius, ut jura sua redintegraret, Romanum adiit Pontificem, ac graviter de Patriarcha questus, quamplurima accusationum capita in Græcos congessit, ea de re Julius Venetis, qui in Morea sedem fixerant, datis literis injunxit, ut Græcos ad satisfactionem Metropolitano reddendam inducerent; verum Veneti adeo male excipiebantur a schismaticis, ut de ipsa quoque vita periclitarentur. Sæcul. XVI. A C. 1509.

§. LXXXI.

Constitutio Pontificis contra Duellantes.

Prodiit hoc anno Julii II. Papæ Constitutio die vigesima quarta Februarii edita, qua anathemate, aliisque Ecclesiæ pœnis perstringit omnes, qui singulare certamen ineunt, ac levissimis ex caussis inhumana sævitia ad mutuas cædes *Bullar. in Jul. II. Const. 19.*

Sæcul. XVI. A. C. 1500. seſe provocant, *ut alter alterius ſanguine ſatietur.*

§. LXXXII.

Pollicitatio Cæſaris Galliarum Regi adverſus Venetos facta.

Petr. de Angl. ep. 434

Interea continuo adhuc fervebant Principum diſſenſiones; ſinguli enim, cum metuerent, ne Ludovicus Galliarum Rex totam Italiam occuparet, vel palam vel clam eidem inſidiabantur, illumque ex Italia propellere moliebantur, uno ſolo excepto Maximiliano Cæſare, qui, cum Gallorum ope priſtina ſua recuperaſſet dominia, Regi haud quaquam adverſabatur.

Præterea Julius, cum nullam odii in Gallos exerendi occaſionem prætermitteret, Venetis amicitiam, quæ Ludovicum inter & Cæſarem intercedebat, ſuſpectam reddere omni ſtudio nitebatur, prætendens, ambos in eorum potiſſimum ruinam conſpirare, atque ejusmodi fovere conſilia, quæ, ſi Galli prævalerent, Reipublicæ admodum noxia forent. Nec vana erat Pontificis ſuſpicio; quippe Imperator Tarviſinæ, Vicentinæ, & Patavinæ urbis dominium Galliarum Regi addixerat, ea tamen lege, ut copiis in aciem eductis bellum Venetis inferret, eosque ex hiſce tribus urbibus propulſaret;

ret; neque hic tantum steterat Maxi- Sæcul. XVI.
miliani pollicitatio, sed quemdam etiam A.C. 1510.
suorum familiarium probatæ fidei Virum Lugdunum, ubi tum Franciæ aula agebat, decrevit, qui Regi fidem faceret, quod Cæsar eidem nunc pignoris loco Veronam cederet, si ei quinquaginta Ducatorum millia mutuo daret, quæ, si non unacum fœnore præstituto tempore numeraret, eadem urbs Regis dominio relinqueretur, eam tamen præstita solutione ac indemnitate Rex Cæsari integra fide redderet. Hanc conditionem minime respuendam censebat quidem regius Franciæ Senatus, Rex vero primo tergiversatus, demum missa ad Maximilianum legatione, repulsam ei nunciare decrevit, ast cum is, cui Gallum ad Cæsaris vota inclinandi cura erat demandata, opportune subjungeret, Maximilianum, si Rex petitam summam numeraturus esset, eidem, præter hactenus promissa, securum etiam transitum ad Mincium & Vallegium omnino permissurum, illudque territorium perpetuo jure Gallis cessurum, si evoluto anno quinquaginta illa Ducatorum millia restituta non fuissent, hinc fœdus confestim firmatum est, ac Deputato pacta pecuniarum summa numerata fuit.

§. LXXXIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. LXXXIII.

Veneti in Papæ gratiam redire intenti.

Bonacurs. in diariis. Guicc. lib. 8 Belcar. l. 11. n. 49. Marian. l 29 Raynald. hoc ann. n. 1.

Mutuo hoc fœdere Cæsarem inter & Galliæ Regem Venetorum res haud parum turbabantur; hi quippe sat perspectum habebant, quod, si Ludovicus, Verona & Vallegio pignoris instar occupatis, Vicentiam etiam ac Patavium, & Travisium expugnaret, ipsi denique nonnisi suis paludibus inclusi, continentem recuperandi spe penitus dejicerentur; non enim ipsis integrum erat, eo redire, nisi Germanorum, ac Gallorum copias, quæ suis longe superiores erant, aggrederentur: quocirca præmissa matura deliberatione Senatus hoc unicum malo restare præsidium censebat, ut sese Pontificis arbitrio committeret, pacemque cum illo diu jam agitatam perficeret, quascunque demum conditiones præscriberet.

§. LXXXIV.

Ludovicus XII. Venetorum reconciliationem impedire conatus.

Verum Ludovicus cum probe nosset, quod summus Pontifex in Regis odium

odium Helvetios a Gallorum fœdere avellere conatus fuiſſet, atque aliunde proſpiceret, quod Julius haud gratiora ipſi apud Anglos obſequia præſtiturus eſſet, toto ſtudio in id incubuit, ut Venetos ab anathematis vinculo ſolvi præpediret. Ea de re Albertum Pium de Sabaudia Carpienſem Comitem Romam miſit, ut Cardinali Auxitano Cardinalis de Ambaſia Nepoti ſociam operam jungeret, quin etiam hunc ipſum Ludovicus Roma in Franciam redire juſſit, ut Pontifici ſpecietenus complaceret, cui hunc Cardinalem minus gratum eſſe noverat: Igitur Carpienſis equis veredariis acceptis ſine mora Romam contendit cum facultate, ut Julio quo eum demulceret, atque ad Cameracenſis fœderis partes induceret, ampliſſimas, quas vellet, pollicitationes faceret, eidemque ſignificaret, Regem deinceps cuncta Pontificis decreta religioſiſſime acceptaturum, ſimulque rationem itineris, quod pro communis cauſſæ bono proximo Vere in Italiam meditaretur, ejus arbitrio penitus relicturum. Sæcul. XVI. A. C. 1510.

§. LXXXV.

Pontificis Venetis reconciliati rationes.

Verum Carpienſis Romam perveniens, præter exſpectationem concordiæ negoRaynald. ib. n. 2.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

negotium vix non absolutum comperit; jam enim summus Pontifex Venetis, quod eos censurarum nexibus liberare vellet, fidem suam obstrinxerat, non sine urgente rationum pondere; cum enim ob recentem Hydrunti a Mahomete II. capti expugnationem Turcarum potentia Italis maxime formidanda esset, Papa plurimum quoque verebatur, ne Ecclesiæ ditiones infestis armis invaderentur; nec deerant inter Venetos, qui, ut opem suam velut omnino necessariam obtenderent, periculum exaggerabant, haud abs re: sperabant enim eorum studia eo avidius a ceteris expetenda, quo magis Turcarum terrorem inculcarent; Julius quoque tantam de Venetorum potentia concepit fiduciam, ut ab his solis Infideles trans Sinum Adriaticum retineri, aut si classem contra illos emitterent, repelli confideret; unde Venetorum auxilio destitui adeo pertimescebat, ut cum illis concordiam redintegrare statuisset, duplici hac inductus caussa. I. Quod cum nonnisi Ferrariensis Vicedomini Magistratum supprimi, suosque subditos a vectigalibus, quæ ex peregrinis mercibus per Adriaticum mare advehendis imponebantur, exonerari peteret, id facile obtenturum speraret. II. Quod, dum adhuc Cardinalis esset, quadraginta omnino annis arctam cum Venetis fovisset

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

set amicitiam, atque in eorum ditionibus, priusquam in Gallias confugerat, tutum reperisset asylum, ac proin Senatores, quibuscum ei arctior nexus, atque consuetudo fuerat, animi sui magnitudinem, ac gratitudinem abs dubio suspecturi essent. Sæcul. XVI. A. C. 1510.

§. LXXXVI.

Veneti a Papa censuris liberati.

Itaque die vigesima quinta Februarii Anno Domini millesimo quingentesimo decimo Summus Pontifex Venetos non sine magna solemnitate a censuris, quibus irretiti erant, exsolvit: sex enim Reipublicæ Oratores coram Papæ pedibus prostratos in Basilica S. Petri publice sacris restituit, injuncta iisdem septem urbis Ecclesiarum visitatione; Conditiones autem hujus reconciliationis, si Guicciardino fides, hæ fuere. I. Interpositam ad Concilium provocationem revocarent. II. Nulla Sacerdotia, exceptis iis, quæ laici patronatus essent, cuipiam conferrent, nec in Curia Romana provisos in suorum beneficiorum possessione turbarent, causasque omnes sacras Romæ tractari ac dirimi, subditis suis permitterent. III. Decimas, aliave onera Ecclesiis non imponerent. IV. Omni juri, in res aut urbes ac ditiones Pontificias, præcipue

Guicc. l. 8. & 9. Raynald. ad hunc ann. n. 2. & 7. Paris de Grassis t. 3. Diar. Ceremon. n. 5. p. 520.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

præcipue vero Vicedomini Ferrarienſis Magiſtratui renunciarent. V. Romanæ Eccleſiæ ſubditis plenam relinquerent per totum mare Adriaticum navigandi libertatem, nec aliarum gentium peregrinis quibuscunque mercibus, quæ eorumdem clientum navigiis veherentur, vectigal ullum imponerent, aut naves viſitarent. VI. Nullos ex Papæ vaſallis, qui Romanæ Eccleſiæ perduelles, aut hoſtes ſunt, reciperent, aut eorum cauſſas cognoſcerent. VII. Pactiones omnes a Julii Prædeceſſoribus factas, quibus Eccleſiæ Romanæ detraheretur, absque alia declaratione irritas pronuntiarent. VIII. Denique damna in hoc bello Eccleſiis, earumque bonis illata reſarcirent. His conditionibus Julius Pontifex omnem indignationem depoſuit, ac patrocinium Venetorum ſuſcepit, necnon conſenſit, ut Romanæ Eccleſiæ ſubditi Reipublicæ ſtipendia mererentur. Itaque hæc eadem Reſpublica, quæ a multis retro ſæculis præ aliis potentiſſimis Italiæ Principibus Vaticanum fulmen minus pertimeſcere videbatur, jam in ea cauſſa, quæ nonniſi temporale commodum concernebat, promptam ſubmiſſionem profitebatur, ac quibuscunque imperioſis ultroneæ pacis conditionibus, quas demum arroganti, ac fortuna ſua elato

Petr. Juſtin. lib. 11. Delph. l. 9. epiſt. 66.

elato Principi dictare libuit, sese subjicere compellebatur (*). Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. LXXXVII.

Facta reconciliatione exercitus a Venetis conscriptus.

Veneti Sedi Apostolicæ ita reconciliati, in certam spem restaurandæ suæ Reipublicæ erigebantur; idcirco mox exercitum colligebant, ex mille quadringentis cataphractis, præter equitum leviter armatorum quatuor millia, decemque millia peditum, quos inter recensebantur Sedis Apostolicæ subditi, quibus Venetorum stipendia mereri, a summo Pontifice concedebatur. Unice adhuc desiderabatur exercitus hujus Dux; Comes enim *Guicc lib 9. Bembo hist. Venet.*

(*) *Nempe juxta Continuatorem summis laudibus extollendi fuissent Veneti, si contemptis Ecclesiæ pœnis suæ pervicaciæ institissent, novum enim inde hausisset documentum, quo Pontificum censuras a Principibus elusas, continuato quasi usu demonstrare valuisset. Ast ejusmodi loquela manifestum facit Scriptoris nostri animum, in omnes, qui gentis suæ studiis quovis pacto adversantur, semper iniquissimum, semperque eos carpere paratum, qui tanquam Ecclesiæ Filii debitam summo capiti obedientiam profitentur.*

Sæcul. XVI A. C. 1510.

nim Petilianus non ita pridem jam Patavii e vivis excesserat. Itaque Senatus Marchionem Mantuanum, tum in arce S. Marci inclusum præ ceteris selegit, cui & ipse Lauredanus Reipublicæ Princeps exercitus imperium deferri voluit, fide, cautioneque præstita, quod semper sua obsequia Venetorum Reipublicæ consecrare vellet. Lubens id munus Marchio, utpote captivitatis tœdio victus, acceptabat, moxque filium suum Mantua Venetias in datæ fidei securitatem adduci jussit. Verum Mantuæ Marchionissa ex Estensi familia orta, Maritum suum ignaviæ insimulans, filium suum tradere renuit, illumque datis literis adhortata est, ut potius adversos fortunæ casus fortiter toleraret, nec ab avita Majorum suorum virtute, aut a proprii nominis gloria degeneraret. Senatus ubi a Marchione repulsam tulit, Andream Grittum sollicitabat, qui tamen pari modo hanc provinciam recusavit, caussatus, nunquam se classem rexisse, nec magis prosperum sibi polliceri terrestris exercitus imperium. Eo igitur imperium respuente, Senatores illud Fregosio deferre cogebantur, cui tamen, cum verbis magis quam dexteritate ac rei militaris peritia valeret, brevi Malvezzium, postea Balionem subrogarunt.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI. A. C. 1510.

Helveti ad Gallorum partes deserendas a Papa sollicitati.

Nec tamen Veneti potissimum spei suæ præsidium reponebant in Ducis sui experientia, aut in exercitus robore, quem hostibus suis longe imparem probe agnoverunt, sed eorum fiduciam vel maxime auxit Pontificis clementia, cujus in Gallos indignatio amicitiam Venetis conciliabat: accessit etiam Reipublicæ solertia, quæ Julium contra Franciam identidem magis, ac magis concitare, toto studio adlaborabat, eum in finem, ut Papa novis curis distentus, vires suas alio distractas contra Venetos denuo Gallis jungere haud amplius valeret. Nec eos spes sua fefellit; Julius quippe ad Venetorum vota fœdus quoddam adversus Gallos sancire meditabatur, atque Helvetios sollicitabat, ut & ipsi eidem accederent. Favebat ejus consilio præsens etiam rerum vicissitudo; Sedensis enim Episcopus nomine Matthæus Scheiner, Præsul ambitione tumidus, ad ampliores honorum gradus in Curia Romana adspirabat; unde Julius comperto viri proposito, alienæ cessit cupiditati, ut propriæ satisfaceret, Matthæo purpuram pollicitus, si Helvetios ad Pontificis partes pertraheret, eosque societati adjungeret.

Raynald hoc ann. n. 25. Guicc. l. 8. Bonnac. in Diariis.

Sæcul. XVI A.C. 1510.

geret: Cum igitur Episcopus dexteritate, ac persuadendi facilitate plurimum polleret, ac præterea apud Helvetios maxima auctoritate valeret, summo Pontifici de felici successu fidem dedit. Percommodum etiam accessit ejusdem consiliis, quod ultima jam pene dies instaret, quam Helvetii tollendæ cum Gallis societati præfixerant, quapropter Episcopus, ne eam denuo innovarent, sollicite præpediebat; cumque hanc in rem in Helvetiorum negotiis Badæ comitia agerentur, iis ut interesset, occasionem opportune aucupabatur. Ea potitus nil prætermisit eorum, quibus Gallorum fidem Helvetiis suspectam redderet, ut vero illos in hanc nationem magis concitaret, eis auctor fuit, ut sua stipendia viginti librarum millibus augeri peterent. Id cum a Rege postularent, ea arrogantia ac protervia utebantur, ut Ludovicus non modo postulata negaret, sed & in illos graviter commoveretur, quod aggrestres hi monticolæ, ut inquiebat, leges ei dictare præsumerent. Ast hac repulsa nil gratius accidere poterat Scheinero: unde Helvetiis continuo suggerebat, ut datam Gallis fidem rumperent, ac Pontifici eandem addicerent: nec id exequi morabantur Helvetii, non sine magno Julii gaudio, qui novos hosce socios insigni Sedis Apostolicæ Defensorum nomine hono-

honorabat; Rex vero, ut horum defe- Sæcul. XVI.
ctionem repararet, Georgio de Supplex, A.C. 1510.
qui Ludovici nomine apud Grisonum Rempublicam residebat, negotium dedit, ut cum illis fœdus iniret, eosque ad tuendum Mediolani Ducatum induceret; hi enim non minus vicini erant, quam Helvetii, imo illis adhuc commodior in hanc ditionem patebat ingressus. Regis petito lætanter, ac honestis conditionibus annuere Grisones.

§. LXXXIX.

Angliæ Rex ad defectionem inductus.

Præterea summus Pontifex Gallorum potentiæ opponere conabatur alium Principem, nimirum Angliæ Regem, qui cum ætate juvenis, ac communis applausus laudisque aviditate flagraret, nil desiderabilius habebat, quam ut regiminis sui auspicia, nomenque suum glorioso quodam facinore commendaret; Julius tamen haud temere suspicabatur, Anglos, utpote quorum ditiones nimium distarent, nunquam cum Sede Apostolica fœdus ad arma tam inferenda, quam repellenda palam inituros; quapropter Nuncio Apostolico id tantum in mandatis dedit, Volsæum Henrici VIII. clientem induceret, ut ipse in pacis fœdere, quod inter utrumque Regem pro-

Sæcul. XVI. A. C. 1510.

xime firmaretur, hanc duntaxat conditionem inferi juberet, ut hæc pax tamdiu subsisteret, quamdiu Galli cum Sede Apostolica conjuncti essent: rupta autem amicitia Anglis, prout bene visum fuerit, agere liceret. Valuit Volsæi conatus; ast Franciæ Deputati, Caletum inter & Ardrecinum habito cum Anglis oratoribus colloquio, præfatæ clausulæ omnibus viribus obluctabantur, ac quamplurimas proferebant fœderum formulas, quæ inter utramque Nationem a Ludovici junioris regimine usque ad Ludovicum XII. sancita nullam sacræ Sedis mentionem ingesserunt. Ea de re Franciæ Oratores Lugdunum, ubi tum Rex agebat, quosdam ablegant, qui ampliorem agendi facultatem impetrarent: Ludovicus vero, ubi a suo Legato Londini commorante edocebatur, Anglos nunquam nisi adjecta hac conditione, fœderis pacta firmaturos, Deputatos desistere jussit, spe fretus, se Henricum VIII. tractu temporis ad sua vota opportunius inclinaturum, ubi ille periculum, cui sese involveret, propius inspecturus esset.

§. XC.

Papa Hispaniæ Regem ac Cæsarem a Gallis avertere conatus.

Raynald. hoc ann. n. 24.

Nec hic stetere Pontificis molimina, sed Ferdinandum quoque Hispaniarum

rum Regem ad reſcindendam Gallorum ſocietatem pertrahere, ſuisque ſtudiis devovere conabatur: hinc ſolus adhuc ad ſuſtinendam belli molem Julio deerat Maximilianus Imperator, quem, ut cum Venetorum Republica ſpecialem pacem iniret, inducere tentabat. Minus tamen placuit Cæſari Papæ conſilium; ſperabat enim duplicem, eumque ſatis validum proximi belli nervum aliunde ſibi ſuppeditatum iri; quippe a Galliæ Rege fœderato ſuo pecunias, ab Imperio autem militum ſuppetias ſibi pollicebatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

Guicc. l. 9. Maria. l. 29.

§. XCI

Comitia a Cæſare Auguſtæ indicta.

Hanc in rem Imperator S. R. I. comitia Auguſtæ Vindelicorum celebranda indixit: ut vero a Gallis pecunias obtineret, Gurcenſem Epiſcopum in Franciam ablegavit, qui tamen nonniſi menſe Septembri eo delatus eſt. Interea Auguſtæ conventus Principum habetur, eo fine, ut a Germanis neceſſaria ſuppeditarentur ſubſidia; quorum tamen conſilia, ut everteret, nil intentatum reliquit Pontifex, hacque de cauſſa Nuncium ad Comitia decrevit, qui ſeſe omnibus Maximiliani machinationibus opponeret, nec ſegniores Veneti clam ſuos decernebant Procuratores, qui S. R. I.

Sæcul. XVI. A.C. 1510

Principibus, atque Miniſtris in hoc conventu congregatis exponerent, ſua plurimum intereſſe, ut Cæſaris conſilia adverſus Italiam capta præpedirent. Ea res longiorem quidem moram deliberationibus afferebat, nec tamen, quominus ſententia Cæſaris voto propitia decerneretur, obſtare poterat; Germanos quippe priſtinam Imperii auctoritatem in Italia reſtituendi ſpes plurimum pellexerat; acceſſit etiam ad Cæſaris commodum potens Gallici Oratoris Ludovici Heliani favor; hic enim ampliſſima poteſtate inſtructus, in pleno Principum conſeſſu tam vehementem, gravemque orationem adverſus Venetos declamabat, ut hoc unico ſpecimine ſe virum non minus publicis negotiis gerendis aptiſſimum, quam ſcientiarum laude inſignem monſtraret.

§. XCII.

Oratio Ludovici Heliani Franciæ Oratoris in Comitiis Auguſtanis contra Venetos.

In append. ad hiſt. Venet. Juſtin. edit. Germ. & 10. 2. rer. Germ. edit. Freher.

Percipiamus igitur, qua ratione Helianus in ſua oratione conſilia, artificia, atque media recenſeat, quibus Veneti ad tuendum ſuum imperium uſi fuerant. *Bene*, inquiebat Orator, *ac religioſe feciſſent Veneti, ſi poſt multas civitates,*

tes, ac regiones, quas aut Christianis ademerunt, aut ipsi Turcis per pactiones tradiderunt, aut occupare permiserunt, sanctissimam expeditionem quatuor Christianorum Principum in excidium Turcicæ gentis paratam excurrere passi fuissent. Hoc enim pacto & abolitionem veterum peccatorum a Deo promereri, & solidam gratiam a Principibus, Christianisque omnibus inire, & indelebiles victorias ab hoste referre potuissent. Nunc autem cum Christianos exercitus in Turcas, ad terram sanctam Jerusalem progredientes armis impedire maluerint, digni visi sunt, qui a Deo, & ab hominibus ferro & flamma, terra marique dispergantur.... Igitur cum Venetos accuso, defendo *infinitos mortales, Italiam totam, multasque alias Provincias, a quorum faucibus in libertatem revocandæ sunt: defendo Christianos Orientales, quos ad manus Turcarum pervenire, ac in morem victimarum mactare permittunt: defendo Ecclesiam Romanam, ad quam subvertendam, ut ipsi sua desideria consequantur, vocare Turcas, & quasi manus porrigere videntur.*

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

Examen. libert. Origin. Ratisbon. 1677. *ad fin.* p. 197.

Postquam vero Helianus causas, ob quas Cameracense fœdus initum erat, recensuit, statumque exposuit, ad quem Venetos redegerat clades, quam in ripa fluminis Abduæ perpessi sunt, hæc addidit: *Inde ferociores facti multa ex his, quæ amiserant, recuperarunt, longe plura quam*

Sæcul. XVI. A.C. 1510

unquam habuerunt, nisi providebatur, consecutum. Post hæc Orator Cæsarem his verbis alloquitur: *Nisi hujus venenosissimæ, ac resurgentis viperæ, dum adhuc titubat, cervices perfregeritis, prædico vobis, quod si non tam cito, at profecto quandoque, si non vos, certe vestros Successores suo veneno inficiet, ac spiris circumligabit.*

His præmissis Orator enumerabat urbes ac Provincias, quas Veneti diversis Principibus eripuerant, ac præprimis referebat, quod Dalmatiam, Croatiam, decem urbes Episcopales, pluresque portus maritimos Hungarorum Regi, Caraffis Patavium, Duci vero Mediolanensi Brixiam, Bergomum, omnesque urbes Abduæ flumini adjacentes abstulerint. Postea exposuit, quod iidem Ferrariæ Ducem tota Peninusula Rhodigiana & Mantuæ Marchionem e Piscaria Leoniaco, & Solone, aliisque propugnaculis expulerint, imo ipsos etiam Austriæ Archiduces Tarvisio, Feltro, Concordia, Utino, & Tergeste ejecerint, ac denique Pontifici Forum Livium, Forum Cornelii, Faventiam, Ariminum, & Ravennam eripuerint, in Apulia vero Hydruntem & Brundusium interceperint. *Proh Deus immortalis!* prosequitur Legatus, *quæ Carybdis, qui Oceanus tam vorax unquam fuit, qui tot & tanta tam parvo tempore demer-*

mergere, ac deglutire potuerit. Vix bene ſunt centum anni, quibus e ſuis paludibus in continentem egreſſi ſunt, & longe plura ſuis præſtigiis, & ſycophantiis circumſcripſerunt, quam Romani ducentis annis armis debellaverunt; capta autem Italia putatis illos quieturos? num creditis illos animo, atque ſuperba mente jam diu agitaſſe, quemadmodum Alpes tranſcenderent? ut Danubium, Rhenum, Sequanam, Rhodanum, Thagum, Hyberarum pontibus jungerent, & has in Provincias redactas exercitibus firmarent. Neſcit Paterfamilias dives intra modeſtiæ terminos ſe continere. Gens igitur in domicilio ſuperbiæ nata, quæ omniſaria rerum copia ſuperabundat, & multitudine Tyrannorum tota ſcatet, homines e colluvione, & fæce gentium in Veneticis paludibus congregati, piſcatu primum viventes, deinde ex piſcatoribus Inſtitores atque naviculatores, ex his mercatores, ex mercatoribus per latrocinia, per cædes, & venena, per neſandiſſima ſcelera pucherimarum rerum Domini facti, ſe continebunt? certe nullo modo, ſed ſi eos ita exacerbatos dimiſeritis, ſi paululum ſe collegerint, ac vires ſuas reaſſumpſerint, progredientur, excurrent, longiusque efferentur.

Demum Helianus Venetorum Tyrannidem exaggerat, atque inter cetera inquit: *Mare, quod omnibus gentibus commune*

Sæcul. XVI. A. C. 1510

mune esse debet; suum esse dicunt, & sive Mariti Thetydis sint, sive uxores Neptuni singulis annis, illud desponsant annulo injecto. Arrogantia inaudita desponsare elementa! demum quot naves illi prædones expugnaverunt? quot divites Mercatores decoquere, ac cedere bonis coegerunt? Quid in terra agunt? longe pejus grassantur. Ita sunt instituti, ut jam apud eos sit nefas confiteri ac pœnitentiam agere de criminibus, quæ pro Republica contra divinam Majestatem commiserunt; talia crimina, quæ vix in singulis reperiuntur, huic uni civitati propria vitia sunt.

Præterea eorum sævitiam redarguit, ac sermonem ingessit de solemnitate, qua Veneti singulis annis mare sibi desponsare solent, perinde ac si *Thetidis vel Neptuni conjuges* essent, unde hanc festivitatem tanquam insaniam, atque arrogantiam carpit, multisque exaggerat latrocinia & prædationes, quibus mare infestant, necnon sævitias, quas in continenti exercent; deplorat etiam eorum crudelitates, atque impudicitias, quæ liberrimo imperio Venetiis dominantur. Posthæc eis objectat oscitantiam, qua urbi Constantinopolitanæ a Machomete II. obsessæ opem ferre neglexerant, nec non indignam eorum asperitatem, qua Constantino Palæologo auxilia petenti responderunt.

derunt. Nec silentio prætereundam censuit illorum repugnantiam, qua sese opponebant sancto Pii II. consilio, quo hic Pontifex fœdus sacrum contra Turcas iniit; gravius eisdem exprobrat, quod ad Regem Calecutensem bellicorum tormentorum operum inventores, machinatores, atque artium machinalium peritos submiserint, necnon Hollandos evocaverint, ut eorum ope Lusitanos a sinu Persico expellere possent. Sæcul. XVI. A. C. 1510.

Tandem Helianus orationem suam absolvebat his verbis: *Ipsi homines crudelissimi omnibus cupiditatibus servientes proponent vobis ante oculos commutationem fortunæ, instabilitatem rerum humanarum, ac rationibus & exemplis conabuntur vobis clementiam persuadere, animum vincere, iracundiam in victoria maxime cohibere, tunc Deum ac misericordiam ejus obtestari, addent preces, addentque pecuniam, vos memineritis, sicut Ulysses fecit, istos Syrenum cantus surdis atque obturatis auribus præterire. .... Audent tamen lugubri veste, torto collo, flebilibus oculis, submissaque voce pacem poscere. Audent dicere: vultis o Principes Venetias alterum Italiæ oculum effodere ac delere, non est tam clementium Principum illos honestos Mercatores subvertere, nec quicquam comisimus, nec sumus digni tantorum Principum iræ ..... Nihilominus perfringite illud obsta-*

culum

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

culum, adæquate & obſtruite hanc peſtilentiſſimam mephitim ac ſentinam, hanc voraginem & præcipitium omnium vitiorum. Vendicate & vos, & Chriſtianum Orbem in libertatem, ſolvite vos a tanto metu. Eradicate genus, num poteſtis eſſe tuti, ſi relinquitis eos, quibus Venetiæ, Iſtria, Liburnia, Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, ſimulque Creta ac Cyprus adhuc ſuperſunt? Pateſacite iſtas execrabiles ac diras portas Venetianas, quæ tamdiu Chriſtianos adverſus Infideles progredi elaborantes continuerunt, ea igitur pietate, qua Julium Pontificem Maximum, qua Chriſtianiſſimum noſtrum Francorum Regem & Catholicum Regem Arragoniæ, Principes ſapientiſſimos exactæ ætatis, & conſummatiſſimæ vitæ, tres columnas Chriſtianam Religionem ſuis humeris ſuſtentantes eſſe videtis, eodem & vos, o Maximiliane Auguſte, o Proceres, & civitates Imperii Romani, prima ſuſtinendæ libertatis, ac Religionis columna, & animo, & pietate eſſe debetis: nam niſi illi vidiſſent excidium, ac ruinas a Venetis, & a Turcis imminere Chriſtianis, nunquam profecto adverſus eos arma tam juſta, tamque pia ſumpſiſſent.

§. XCIII.

Cæſarei hac oratione expugnati.

Hujus orationis vehementiæ optatus colluſit ſucceſſus; quippe paulo poſt non

non modo pro Venetis perorare interdictum fuit, sed & ipsi per Cæsaris edictum imperio proscribebantur: Maximiliano autem trecenta ferme aureorum millia in subsidium adversus Venetos promissa fuere. Helianus quoque, comitiis ita absolutis, Budam profectus, Hungariæ Regem, ut Cameracensi fœderi nomen daret, induxit, spe facta, quod Dalmatiam sibi a Venetis ereptam recuperaturus esset: attamen quamvis bellum Venetis nunciasset, id tamen intulisse haud videtur. Sæcul. XVI. A.C. 1510

§. XCIV.

Veneti Veronam recuperare nequidquam moliti.

Nihilominus Venetorum Senatores prosperis successibus elati, spretis Regis Hungariæ minis Veronam ex insidiis capere decernebant, audaciam stimulante hujus urbis civium seditione, qua hi in Germanos acrius concitati, una omnes jugulare statuerunt, ac præprimis exploratæ fidei Virum ad Senatum ablegarunt, qui cum Senatoribus de ratione Venetorum copias in urbem immittendi ageret; cum autem murorum altitudine minus accurate descripta, scalæ, quæ parabantur, Fastigium minime attingerent, mora temporis, quo duæ in *Guicc. l. 9. Marian. lib. 30. n. 3.*

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

in unam conjungebantur, nec non laborantium ſtrepitus præſidiariis ſaluti fuit, qui rem edocti, arma capeſſendi opportunum nacti ſunt temporis ſpacium; protinus igitur Mareſcallus Calvimontius obſeſſis in opem accurrit; quamvis ejus ſolertiam præceps Venetorum fuga eluſerit; hi enim veriti, ne, ſi hoſtium turmæ a tergo, atque a fronte inſtarent, ipſi undique cincti impetum reprimendo impares eſſent, nec adventum quidem Gallici auxilii ſuſtinentes, pedem referebant. Poſthæc cives, qui Venetorum ingreſſum in urbem promovere conabantur, capti, quæſtioni ſubjiciebantur, crimenque confeſſi, pro Germanorum more rotæ ſupplicio mulctabantur.

§. XCV.

Prætenſa Sedis Apoſtolicæ jura a Julio contra Ferrariæ Ducem ſuſcitata.

Siniſtro Venetorum ſucceſſu, ac Gallici exercitus proſperitate territus Papa, pacem conciliare peroptabat; haud enim ignorabat, Cæſarem Ludovico immota fide adhæſurum, necnon Regem Helvetiorum quidem præſidio fruſtratum eſſe, utpote qui Gallorum ſtipendia recuſabant, facile tamen auri ſpe captos ad ſigna reverſuros: conſiderabat etiam, Henricum VIII.

VIII. Angliæ Regem cum Rege Christianissimo fœdus innovasse; igitur harum rationum pondere permotus Pontifex, Carpiensem Comitem, quem toto abhinc tempore, quo Romam venerat, audire neglexerat, ad alloquium admisit, haud obscure eidem significans, velle se integra fide cum Galliarum Rege in gratiam redire. Postquam vero intellexerat, quod Angliæ Rex Sedem Apostolicam in fœdere suo comprehendisset, haud dissimulanter sese Gallis adversari monstrabat, atque Alphonso Estensi, seu Atestino Ferrariæ Duci, qui Ludovico Regi amicitia, ac fœdere junctus erat, litem movebat; quamvis crimen, quod eidem objectabatur, nec illatam ipsi vexationem, nec Pontificis indignationem promereri videretur. Percipiamus autem hujus contentionis occasionem. saecul. XVI. A.C. 1510.

Abundabat Ferrariensis ditio Salinis, quæ Duci copiosos suppeditabant proventus, nihilominus alias ejusmodi salinas ad maris ripam prope Comaciensem urbem construi jussit; unde haud leviter imminuebantur reditus, quos Papa ex suis salinis Cerviæ in statu Ecclesiastico sitis percipiebat; quapropter Sanctitas sua Duci significari præcepit, Comaciensem salem haud aliis, quam sibi subditis divenderet, nec Cervienses salis commercium inter- *Maria. l. 29. n. 97. Jul II. l. 99. Bull. secret. p. 137. Raynald. hoc an. n. 15.*

Sæcul. XVI. A.C. 1510

interciperet, potiſſimum eo nomine, quod jam anno Domini milleſimo quadringenteſimo tertio Albertus Eſtenſis Ferrariæ Princeps cum Republica pacem iniiſſet, pacta ea conditione, ne deinceps ſal in Comacienſibus ſalinis conficeretur, ſed ejus ſubditi ſal a Cervienſibus emerent: his addebat, quod Alphonſus hujus nominis tertius ſolo eo nomine interdictas hasce ſalinas reſtauraſſet, eoquod cum Venetis bellum gereret; id tamen absque præjudicio Sedis Apoſtolicæ attentare haud potuerit, utpote ad quam Venetorum jura hac ſuper re devoluta fuerant. Aliunde Alphonſus cunctis mercibus, quæ Venetiis per Padum devehebantur, demumque per univerſam Italiam diſtrahebantur, nova tributa, ac vectigalia imponebat. Hæc tota erat ratio, ob quam Dux omnem Pontificis, qui auctoritatis ſuæ tenax, ac ſuapte ad iram valde pronus erat, indignationem in caput ſuum accerſebat (*).

§. XCVI.

(*) *An hæc unica atque adeo levis fuerit Pontificiæ indignationis cauſſa, benevolus lector apud Raynaldum Odoricum loc. cit. ex Brevi Apoſtolico comperiet; Politicorum autem judicio relinquimus, an boni Principis partes expleret ille, qui jus quoddam ſui ſtatus aquiſitum negligeret cum diſpendio annuo XXV. millium Ducatorum. Vah!*

§. XCVI.

Saecul. XVI. A. C. 1510.

Ducis Ferrarienſis vindiciæ adverſus jura Pontificis.

Nec tamen Alphonſo, quæ Pontifici reſponderet, deerant, expoſuit enim, Prædeceſſores ſuos nonniſi ad ſeptuaginta annos cum Venetis ejusmodi pacta ſanxiſſe, jamque anno milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio hujus ſervitutis terminum exſpiraſſe, ſi vero Respublica diutius hoc jure potita fuiſſet, id injuſtitiam, manifeſtamque uſurpationem redoleret; ſe Mercatoribus Cerviam ire haud prohibere, cum alias, ſi ipſus eos ad ſuam ditionem tam frequenter, tamque copioſe adventantes arceret, propriæ ſuæ utilitati inimicus foret; de cetero ſe hujus concurſus auctorem non fuiſſe, ſed eundem morem ſub primis Ducatus ſui auſpiciis introductum reperiſſe, eumque, cum a Patre ſuo ad ſe derivatum noſſet, etiam ad poſteros ſuos transmiſſurum,

Raynald. hoc an. n. 15.

Vah! quam acri ferula a Continuatore vapularet aliquis Pontifex, qui ejusmodi juri adverſus quemdam Principem derogare præſumpſiſſet; quam juſtam belli cauſſam Princeps habere diceretur, qui tale jus denuo vindicaret; aſt jam crimen eſt id omne, quod Pontifex jure facit, ex eo quia Pontifex eſt.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

additque, quamvis sui Prædeceſſores Ferrariæ ſtatum a Sede Apoſtolica non niſi beneficiario nomine accepiſſent, nihilominus præter ſummos Pontifices, adhuc aliis Principibus eos fuiſſe obnoxios; illos enim in jure aliarum trium ditionum, nimirum Mutinæ, Regii, & Comacii a Cæſare fuiſſe confirmatos, proin non eſſe Pontificis, ſed Maximiliani controverſa Comacii jura diſcutere, denique ſe vectigalia mercibus, quæ adverſum Padi flumen ſubeunt, impoſuiſſe, eoquod Ferrariæ Princeps eſſet, in hanc vero ditionem Pontificibus nullum aliud jus ſuffragari, præter onera ex inaugurationis lege præſcripta, quibus teneretur certo militum numero Eccleſiæ militaria ſervitia præſtare, ac quotannis in recognitionem directi dominii canonem pendere; de cetero ſummos Pontifices nunquam refragatos fuiſſe vectigalibus, quæ Neapolitani Reges, qui non minus, quam Ferrariæ Duces Sedis Apoſtolicæ Vaſalli eſſent, impoſuiſſent, proin & his, licet ſacra Sedes invita foret, paria privilegia eſſe aſſerenda (*).

§. XCVII.

(*) *Obſerves velim, benevole lector, Continuatorem allegaſſe Odoricum Raynaldum tanquam reſponſi hujus vadem, ab hoc autem ne unicum quidem verbum hanc in rem referri; ejusmodi*

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. XCVII.

Papa Duci anathema bellumque minatur.

Hæc Alphonsi repugnantia merito summi Pontificis indignationem provocabat; quocirca, ni protinus morem gereret, eidem anathema comminatur, utque majorem Duci terrorem incuteret, in Romandiolam, atque Bononiam copias adduxit; qua re comperta Ferrariensis Dux Galliarum Regis opem implorabat, qui eundem mox in fidem suam recepit: Papa vero, quod res erat suspicatus, graviter, palamque conqueritur, Ludovico exponens, eum a Cameracensi fœdere desciviſſe, quo cautum esset, ut Sedis Apostolicæ jura, dignitates, ac prærogativæ a fœderatis Principibus quovis pacto sustinerentur, nec ii quocunque ex prætextu Ecclesiæ clientum patrocinium susciperent; ex adverso Galliarum Rex Julium primo violati fœderis postulabat, eoquod admissis Venetorum Deputatis anathema in eos vibratum solvisset, priusquam Imperator totam con-

Raynald. n. 12. Paris de Graff. in act. consist. t. 3. Guicc. l. 9. Jul. II. Bull. 70. p. 41.

di autem fingendi facilitas, quam solemnis sit Continuatori, sedulus lector facile deprehendet, si levi etiam brachio Scriptores ab eo allegatos consulere non pigebit.

Sæcul. XVI A. C. 1510.

tinentis partem recuperaſſet, denique fœderatos ad graviora, quam pacti legibus præſcriptum, adſtringere, omnino æquitati diſſonum eſſe ajebat, præterea Ferrarienſem, conſentiente ipſo Pontifice, fœdere fuiſſe comprehenſum, proin eum tueri, fœderatos obſtringi dicebat.

§. XCVIII.

Galliarum Rex cum Cæſare in Papam conſpirat.

Raynald. num. 16.

Ergo Julius, quod propriis viribus obtinere deſperabat, ſociorum auxilio aſſequi conabatur; Ludovicus vero, cum Papam Ferrarienſi arma illaturum proſpiceret, ut Pontificis copias aliorſum diſtraheret, novos tumultus ſuſcitare ſategit. Ergo collatis cum Maximiliano conſiliis ſtatuit, quod ineunte menſe Majo hinc Galli, illinc Germani omnes continentis urbes, quæ adhucdum Venetorum imperio parebant, infeſtis armis adorirentur; Cæſar vero Forum Julium, ſi illud ſuis duntaxat copiis expugnaturus eſſet, ſibi ſoli, nulla illius parte Regi data, vindicaret, pari quoque jure cuncta ſolis Gallorum armis in continenti parta eisdem cederentur: Si tamen belli neceſſitas utriusque Nationis exercitum conjungere ſuaderet, occupata inter ſe dividerent, pro parte laboris, quem ad victoriæ ſucceſſum quis-

quisque contulisset, ita tamen, ut Gal- Sæcul. XVI.
liarum Rex rei tormentariæ impendia so- A. C. 1510
lus sustineret.

§. XCIX.

Legationes Cæsaris ad Papam, Regemque Catholicum.

Annuit hisce conditionibus Cæsar, moxque suos Legatos ad summum Pontificem, Regemque Catholicum decrevit, qui ab Hispano juxta Cameracensis fœderis pacta suppetias, a Julio autem ducenta aureorum millia mutua peterent, quæ dare si renueret, nunciarent, Imperatorem Vicentia Romam iturum, ibidemque Imperialem coronam recepturum. Ferdinandus, cum Maximilianum minoris haberet, fastidiose hæc respondit: Exspiravit fœderis tempus, eoquod fœderatorum quilibet, quæ petebat, jamjam recuperasset, si vero Cæsar partem suam, quam non minus, ac ceteri occupavit, tueri neglexit, id non alienæ, sed propriæ culpæ adscribat. Nihilominus ex sola benignitate pollicebatur Ferdinandus, quod ad augendum Cæsaris exercitum, quam primum Vicentiæ montes superasset, quadringentos Equites submittere velit. Oblata acceptat Legatus, ampliora obtinere desperans. Magis propositi sui tenax erat Pontifex, qui nullo dato re-

Secul. XVI A. C. 510

sponso Maximiliani Legatum valere jussit, imo animo etiam constituit, cum Ludovico Rege in gratiam redire, dummodo ille jura, quæ in Genuam, & Neapolis Regnum habere contenderet, missa faceret, omnesque copias suas ex Italia revocaret, ac denique Alphonsum Ferrariæ Ducem, usquedum Comacium reliquisset, tueri cessaret. Verum cunctis hisce conditionibus rejectis, Ludovicus totus in eo erat, ut bellum pararet.

§. C.

Vicentia a Germanis, & Gallis obsessa captaque.

Mocenico belli Camerac. lib. 3.

Ergo uterque exercitus castra movet, atque Anhaltensis Comes, cui Cæsar nomine suo supremum exercitus imperium in Italia detulit, in Veronensi agro quingentos lancearios, peditesque mille contraxit, quibus accesserunt mille quingenti cataphracti, peditumque decem millia, Ductore Calvimontio Marescallo: Dux quoque Ferrarienſis ducentos miserat cataphractos, & quingentos levis armaturæ equites, additis duobus peditum millibus. Hæ copiæ, Pado flumine trajecto, nemine obsistente Peninsulam Rhodigianam occupant, inde Castelli-Padi Athesin superantes Montanianam Athesiam, aliasque Patavini tractus urbes in deditionem acci-

accipiunt, demum vero recta Veronam contendunt. Veneti interea, cum viribus suis diffisi urbem tueri posse desperarent, continuo pedem referebant, unde Vicentini nequidem obsidionis initium sustinentes, missis ad Anhaltensem Comitem clavibus, urbem dederunt. Equidem Comes cunctos incolas, ipsosque praesidiarios jugulari decreverat, praesidii Germanici anno priori ab eis expulsi injuriam ulturus; ast Maresscallus Calvimontius magis humanus, miseris vitae gratiam exoravit: hi tamen, quamvis urbis suae deprædationem centum aureorum millibus redemissent, mediamque hujus summæ partem mox numerassent, nihilominus eorum domus exspoliatæ fuerunt, imo & illi, qui in quadam caverna prope urbem primo Victorum furori sese subduxerant, fumo suffocati perierunt, Germanis ad cavernæ ostium ignem succendentibus. Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. CI.

Cardinalis de Ambasia obitus.

Parta hac victoria, potissima Germanorum pars deficiente ære militari signa deserebat; unde Calvimontius Patavina obsidione frustratus, nonnisi Leoniacum cingere poterat, quod etiam subegit, hac urbe interjecta Vicentinis aditum *Petr. de Ang. epist.* 338. *Vita Card. Amb. apud Bayard. c.* 40.

Sæcul. XVI. A.C. 1510

ad Ferrarienſes & Brixienſes intercluſurus: paucis vero poſt diebus arcem quoque occupavit. Ibi Calvimontius Cardinalis Ambaſiani patrui ſui obitum percepit, triſte prorſus familiæ ſuæ fatum, ſpectata vero temporis, quo contigerat, viciſſitudine longe funeſtius ipſi Galliarum Regno accidit. Is equidem nonniſi mediocri præditus erat ingenii acie, ſcientiæ tamen defectum ſupplebat virtutum eminentia. Excellebat enim ſumma animi æquitate, qua pacate opportunum rem aggrediendi tempus præſtolari noverat, nilque factu difficile reputabat, quam illud quod a nemine fieri poterat. Mortuus eſt Lugduni die vigeſima quinta Maji (*) in Cæleſtinorum monaſterio annos natus quinquaginta. Præcipue in eo commendatur, quod ipſe, quamvis ſumma in Regno valeret auctoritate, ac primi Miniſtri dignitate ac ſpeciali Regis favore inſignis eſſet, proin ad plura, eaque ampliſſima quæque beneficia aditum ſibi pandere potuiſſet, nihilominus ſola Archiepiſcopali Eccleſia ſua contentus viveret; hujus Viri ſuaſu Rex Rothomagenſe tribunal, quod *Scacarium* Normanni vocabant, cujusque jurisdictione antea urbs regebatur, in Parlamen-

Marian. lib. 29. n 101. Cl. Seyſell. vit. Ludov. XII. Ciacon in Jul. II.

Spon. ad an. 1510. n. 4.

(*) *Perperam Odoricus Raynaldus, Onuphrius, & Cabrera hujus Cardinalis obitum ad annum ſequentem rejiciunt.*

lamentum perpetuo ſtabilitum commutavit; præterea Ambaſiani munificentia urbs fontibus, campanis, foris, pluribusque aliis ædificiis exornata fuit; non niſi tertiam Eccleſiæ ſuæ redituum partem ſibi vendicabat, ceteris duabus, juxta veterum Canonum morem, pauperibus, ac fabricæ Eccleſiæ relictis. Nec tamen propterea templa ornare, monaſteria condere, Xenodochia ditare neglexit, & ut paucis cuncta dicam, omnia pietatis exercitia promovit, quæ ad gloriæ divinæ incrementum, & gregis ſui ſibi ſemper cariſſimi emolumentum conferre cenſebat. Sæcul. XVI. A.C. 1510.

Ferunt, eum nunquam a Rege Domino ſuo gratiam petiiſſe, ea vero duntaxat acceptaſſe munera, quæ ſi recuſaſſet, Regis indignationem incurrere verebatur. Summopere Viros ſcientiarum laudeclaros fovebat, & quamvis ambitionem ſuam, qua aperto ſtudio ad Pontificatus faſtigium adſpirabat, haud diſſimulare potuerit, palam tamen profeſſus eſt, ſe ideo Papatum appetere, ut præter Regis ſui commodum, quod promovere unice intendiſſet, etiam reſtaurandis Clericorum moribus, ac innumeris abuſibus ab Eccleſia eliminandis, quibus opportuno remedio occurrere ſummi Pontifices neglexiſſent, omnibus viribus adlaborare poſſet.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

set (*). Verum de Viro hoc non eadem erat omnibus opinio. Ceterum haud omittamus singulare animi ejus a quæstus studio alieni specimen; cum enim vir nobilis quidam patria Normannus possessionem haberet nemori Gallionæo ad Ecclesiam Rothomagensem pertinenti contiguam, Cardinali proposuit, se, cum egestate laboraret, illam ei vili pretio venditurum, ut ex redacta pecunia dotem filiæ nubili constitueret. Enimvero quiscunque alius fors adeo opportunam prehendisset occasionem; ast Archiepiscopus rationem oblatæ venditionis edoctus, prædium huic Nobili intactum reliquit, summam vero pecuniæ, quanta collocandæ nuptui filiæ satis esset, eidem sine fœnore numerari fecit. Præterea ex suis supremæ voluntatis tabulis luculentum charitatis, atque animi a propinquorum affectu alieni exemplum elucet, illis quippe auctor fuit, ut nunquam sese publicis ingererent regni negotiis, ne honoris, ac conscientiæ suæ discrimen subeant; doluit summopere, semetipsum hisce negotiis illud tempus consecrasse, quod tamen ovium suarum institutioni impendere

(*) Paulo ante Continuator in Julio Papa acriter carpebat hanc ambitionem, cui tamen nunc allata excusatio magis accommodari potuisset, quam Ambasiano Cardinali.

dere debuisset. Cor ejus depositum fuit Lugduni in Ecclesia Cœlestinorum, ubi ad latus dextrum aræ Principis hodiedum vera illius effigies visitur: Cadaver autem Rothomagum delatum jacet in tumulo retro ad chorum templi Cathedralis, ibique Epitaphium quatuor versibus latinis expressum hodiedum legitur (*). Ipse quoque Ludovicus Rex illius exequias præsentia sua honorabat, Viri jacturam non sine magno luctu deplorans. Ejus obitu dissidia Papam inter & Regem componenda continuo credebantur, Julius vero non modicam exinde concepit lætitiam, eamque adeo dissimulare non poterat, ut illam etiam coram Oratore Veneto testatam faceret.

Sæcul. XVI. A. C. 1510.

Bembol 10. *Mezer. Synop chron. vit. Lud XII. t. 4. p. 171.*

§. CII.

Papa relictas Cardinalis pecunias sibi vendicans.

Ceterum ex hujus Cardinalis morte jurgiis Ludovici Regis adversus Pontificem novum accessit augmentum; Ambasianus enim, ut fertur, trecenta ferme aureo-

Belcar. rer. Gallic. l. 12. num 3.

(*) Hæc Inscriptio ita sonat:

Pastor eram Cleri, populi Pater, aurea sese
lilia subdebant, Quercus & ipsa mihi.
Mortuus en jaceo, morte extinguuntur honores,
At virtus mortis nescia, morte viget.

Sæcul. XVI. A. C. 1510.

aureorum millia reliquerat, cum igitur has pecunias spolii jure postularet Pontifex, Rex vero negaret, novum indignationis, vel saltem querelæ argumentum Julio inde enatum est (*).

§. CIII.

Novum Fœdus Cæsarem inter & Galliarum Regem.

Ferron. in Lud. XII.

Sub idem tempus ambo exercitus ex Germanis, Gallisque conflati continuis velitationibus Venetos in Patavino ac Vicentino agris fatigabant, ac nonnullas urbes ad deditionem compellebant, interea vero Cæsarei exercitus, qui lentius incedere videbatur, adventum præstolabantur. Ceterum Maximilianus non ita pridem novum cum Ludovico Rege fœdus pepigit, quo cautum, I. Galliarum Rex non nisi ordinarios belli sumptus penderet; II. Calvimontius in Veneta continentis ditione usque ad decimam quintam Augusti hæreret, indeque nonnisi evoluto hoc temporis intervallo Galliarum copias educeret; III. Ludovicus Maximiliano centum

(*) Cum hic Cardinalis Lugduni in Galliis mortuus fuerit, ibidemque Papis, eorumque Legatis, nequidem decimas pro bello Turcico colligere licuerit, quis credat, Papam tam opima spolia petare ausum?

tum aureorum millia mutua daret, ea lege, ut hic Veronam pignoris loco cederet, donec parem Regi summam rependisset. Hujus fœderis pacta ex urbe Parisiensi delata fuere ad Calvimontium, eo ferme tempore, quo is ad suam Præfecturam rediturus, sese itineri accinxerat, igitur hæc pacta exequi jussus, Anhaltino Comiti significavit, velle se copias suas Cæsareis jungere, ut ambo urbem, quæ ei magis expedire videretur, junctis viribus aggrederentur. Opportune etiam Dux Thermensis quadringentos Lanceariios ex Hispania adducebat, quos Rex Catholicus ex lege Cameracensis fœderis suppeditabat; igitur hisce suppetiis auctí, an ex sententia Maximiliani Patavium obsideretur, deliberarunt; verum præplacuit, Montem Selicem, exiguam urbem Athesin inter & Patavium sitam adoriri. Sæcul. XVI. A C. 1510.

§. CIV.

Urbs Montis Selicis a fœderatis obsessa, captaque.

Attamen infausta erant hujus obsidionis auspicia; tot enim ex fœderatorum exercitu desiderati sunt milites, ut nil propius erat, quam quod obsidio solveretur. Acuit tamen oppugnantium constantiam ulciscendi libido, quippe Crittus Sonzinum Benzonem ab exploratoribus captum *Bembo l. 10. Guicc. l. 9.*

Sæcul. XVI. A.C.1510.

ptum laqueo suspendi jussit, supplicio proditoribus debito, eoquod Cremam patriam suam, accepto unius Cataphractorum centuriæ pretio, hostibus tradidisset, cum vero Sonzinus peditum Præfectus sub Gallorum signis militasset, Calvimontius Montis-Selicis obsidionem omnibus viribus urgere statuit, ut Sonzini mortem præsidiariorum exitio ulcisceretur. Ergo die vigesima prima Junii copias suas ad assultum educit, factaque impressione Venetos, qui primum tuebantur munimentum, tanto furore propulsavit, ut turbatis omnium animis ad alterum propugnaculum confugere cogerentur, verum adeo presso pede hostis fugientium tergis instabat, ut obsidentes Venetis intermixti, ac conserti una omnes in munimentum, & continuata insequentium rabie in tertium etiam aggerem penetrarent, turrimque ingrederentur: tandem vero editissimum arcis propugnaculum, ad quod præsidiarii milites sese receperant, igne succenderunt, cunctosque ibidem morantes flammis absumpserunt. Hæc postrema erat hujus exercitus expeditio, qua absoluta Germani Tarvisium reduci postulabant: cum vero jam sexta effluxisset septimana, atque hic idem terminus esset a Cæsare fœderis lege pactus, nec tamen de Maximiliani adventu notitia haberetur, Calvimontius

montius cum copiis suis Mediolani Ducatum petiit; Ducis enim hujus praesentia ad alia negotia satis necessaria erat, Anhaltino tamen Comiti trecentos Lancearios, totidemque pedites, quos desideraverat, reliquit. Sæcul. XVI. A C 1510.

§. CV.

Pontificis copiæ adversus Ferrariæ Ducem.

Interea Julius II. cum a Gallis bello peti prospiceret, Mantuani Ducis, ut illum sibi devinciret, libertatem a Venetis efflagitabat, nec incassum; Dux enim die decima quarta Julii recuperata libertate e custodia dimittebatur: cum vero bellum sibi a Gallis inferri timeret Pontifex, ipsius jussu Urbinatis Dux ejus Nepos in Ferrariæ Ducis ditiones arma intulit, quorum tamen successus sub primis belli auspiciis haud adeo secundus erat; quippe Urbinatis Dux primo exiguis quibusdam oppidis, quæ in itinere offenderat, occupatis, demum Lugonum cinxit; ast cum Castellio Gallorum Præfectus, qui in Longobardia cuidam agmini imperabat, obsessis cum trecentis Lanceariis prompto auxilio adesset, urbemque die vigesima nona Julii ingrederetur, hujus adventus tantum terrorem in hostes effudit, ut Urbinatis Dux Gallorum co-

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

piis resistendo impar, præcipiti consilio obsidionem solveret, ac celeri fuga Forum Cornelii velut ad tutum asylum sese reciperet.

§. CVI.

Ferrariæ Dux amissa recuperat.

Marian. lib. 29. n. 98.

Nihilominus Ferrariæ Dux, quæ amiserat, paulo post recuperabat; cum enim Urbinatis Dux sese recipiens secum præsidiarios eduxisset, urbes horum metu solutæ in pristini sui Principis fidem redierunt; verum, cum Pontificis exercitus, Castellione ad sua redeunte, hostili validior esset, eorum, quæ ceperat, partem recuperavit, quin etiam Papiensis Cardinalis quorumdam civium opera, quibuscum secreta fovebat consilia, Mutinam Pontificis nomine subegit; Rangonenses etiam ultro portas aperiebant Pontificiis, ac ipse Ferrariæ Dux vix non Regium amisisset, nisi opportuno suorum præsidio, ac ducentis Lanceariis, quos ipsi Calvimontius submiserat, illud firmasset.

§. CVII.

Helvetiorum irruptio in Mediolani Ducatum.

Marian. l. 29 n. 99.

Nec dubium, quin ipse Calvimontius in Ferrariæ Ducis auxilium accurrisset, nisi ejus curam occupasset irruptio

ptio Helvetiorum, qui in Gallos concita- Sæcul. XVI.
ti, quod neglectis eorum popularibus A.C. 1510.
Grisones ac Germanos ad sua arma vocassent, ferme quadraginta armatorum millia in finibus Ducatus contraxerunt, vindictam suam in Mediolanenses exoneraturi; hos Papa æque ac Veneti propriis suis sumptibus alebant, solusque Pontifex octo Helvetiorum millibus stipendia numerabat; ambo enim spe freti erant, se hujus Nationis ope Gallos ex tota Longobardia, imo & ex omnibus Italiæ finibus propulsuros, ac Mediolani Ducatum Maximiliano Sfortiæ, quo exutus erat, denuo asserturos.

§. CVIII.

Helvetii re infecta reversi.

Equidem Calvimontius Marescallus quantocius Eporediensem Comitatum copiis obsedit, Helvetiis aditum per *Augustæ Prætoriæ* vallem intercluſurus; ast hi, cum Bilitione sese congregassent, haud obscure monstrabant, quod Mediolanensem Ducatum invadere pararent. Eadem urbs subalpina, quam Ticinus alluit, olim præfato Ducatui conjungebatur, nunc vero Urienſi, Suitiensi ac Sylvenienſi Pagis subditur, Anno autem milleſimo quingenteſimo ad Helvetios transferebatur, cum Mediolanenses *Petr. de Angleria ep. 454*

Sæcul. XVI A. C. 1510.

alieno imperio parere cœpiſſent. Igitur Helvetii die ſexta Septembris in Mediolanenſem Ducatum irrumpentes, haud procul a Caſtellione caſtra metabantur: Calvimontius, qui totus in eo erat, ut eorum iter vel impediret, vel ſaltem retardaret, omnem militum annonam, equorumque pabula, quæ in tutum locum transferre haud poterat, flammis abſumi juſſit, nec tamen propterea Helvetiorum irruptionem in Mediolani Ducatum præpedire valuit,; hi enim duo millia peditum Vaſconum a ponte Vedano, quem illi ſub Barone Molardo tuebantur, propellunt, ſicque ſibi expeditum iter *Centurionem* usque aperiunt, inde vero Novocomum progrediuntur a Civibus ultro recepti, ut ſpontanea deditione prædationis furorem redimerent; nihilominus cum Helvetiorum copiæ tam annonæ, quam pecuniæ inopia laborarent, ſuſcitato tumultu in tam apertam ſeditionem eruperunt, ut diſcedere, ac Bilitionem redire decernerent, quod & effectui dederunt, nullo pacto retineri ſuſtinentes.

§. CIX.

Verona a Venetis obſeſſa.

Guicc. l. 8.

Ceterum Venetorum Senatores ſpem concipiebant, ſe egregium quoddam faci-

facinus adversus Gallos aggrediendi spacium nacturos, dum illis interea Helvetii aliquamdiu negotium facesserent; quapropter Lucæ Malvezzio, quem, Balione exauctorato, copiis præfecerant, in mandatis dabant, ut urbes ad initium belli a fœderatis captas recuperaret, demum vero Veronam cingeret; Recensebat Malvezzius in suo exercitu octingentos cataphractos, equitum leviter armatorum tria millia, necnon peditum decem millia, haud computatis Venetis militibus indigenis, qui licet non nisi rustici essent, pari tamen studio Venetorum stipendia merebantur, perinde ac si sibi solis Reipublicæ summam gerere incumberet. Necdum Mensis September evolvebatur, cum jamjam Venetorum exercitus Montem-Selicem, omnesque, quas Cæsarei in Patavino, ac Vicentino tractu occupaverant, urbes, ipsamque Vicentiam recuperaret: demum vero Veneti Veronam juxta militaris disciplinæ leges obsidere cæperunt: nihilominus Calvimontii conatibus denuo reservabatur gloria, ut Venetos obsidionem solvere compelleret, quamvis eam illi tota virium contentione urgerent, jamque superatis omnibus munitionibus extra muros constructis, arcem S. Felicis, vicinumque aggerem tam crebris ruinis discuterent, ut obsessi illam diutius tueri de-

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

Guicc. l. 8.

Secul. XVI A.C. 1510.

sperarent; opportune tamen adfuit Calvimontii auxilium: Hinc animus crevit obsessis, egressique porta, tanto furore obsidentibus inferunt signa, ut potior Venetorum pars fuga dilaberetur, reliquis misere trucidatis, demum erecti dejiciuntur aggeres, tormenta bellica adactis clavis obstruuntur, & ipse Malvezzius consentiente Senatu obsidionem solvit, funestis totius exercitus reliquiis ad S. Bonifacium infrà Albejum flumen sese recipientibus, ubi tamen in quodam loco, tam fluvii, quam paludum opportunitate munitissimo tam valide sese cingebant, ut impune cunctos hostium impetus eluderent.

§. CX.

Iterata sed frustranea Pontificis molimina adversus Genuenses.

Equidem frigoris asperitate jamjam imminente milites ad hyberna dimittere oportuisset, attamen Papa bellum continuari peroptabat, quippe nec Helvetiorum reditus, nec siniſter contra Ferrariam ac Genuam armorum successus ejus animum fregerat; unde Gallos ab urbe Genuensi propulsare decrevit, spretis quorumdam monitis, qui suggerebant, Gallos rebus suis intentos sibimetipsis sat

sat prospexisse adversus clandestina, quæ Papa intra urbem foveret, commercia, necnon publica, quæ deforis in eos cuderentur, molimina ipsis comperta esse: exponebant insuper summo Pontifici, quod classis Gallorum in Genuensi portu hæreret, urbsque validissimo præsidio munita esset: nihilominus insuperhabitis hisce rationibus Papa obfirmato animo Venetis dissolutionem fœderis comminatur, nisi navalem exercitum, qui Padi Ostia tuebatur, submitterent. Annuunt illi, quamvis inviti, classisque imperium ex Julii sententia Casparo Contarino deferunt. Igitur novus ille Præfectus factis velis in altum procurrens, ad Civitatem veterem appulsus est, ab ipsomet summo Pontifice exceptus, qui itidem in eadem urbe prætoriæ navis vexillum solito ritu sacrabat. Solemnitas adeo publica Calvimontii notitiam haud effugere poterat, unde Pregentio, quid in hac rerum vicissitudine ageret, jussa dedit, ille autem, cum classem suam hostili longe inferiorem nosset, veritus, ne invaderetur, maluit in Portu-Veneris tutum asylum quærere, quam in Genuensium portu inclusus hærere. Ast Contarinus eo usque Gallorum classem insecutus, nil intentatum reliquit, ut Gallos ad navale prælium in alto mari committendum provocaret; verum incassum omnia, unde

Sæcul. XVI. A.C.1510.

Sæcul. XVI A. C. 1510.

unde hunc portum prætervehi compulsus, versus Genuam vela protendit, ubi Fregosiorum factionem abs moræ dispendio arma sumpturam sperabat Pontifex: Aft inexspectatum erat omnibus ocium; quippe concepta de civibus fide, cuncti in ædibus suis sese continere jubebantur, atque ad exploranda eorum molimina in omnibus plateis velut in totidem speculis vigiles excubabant milites, qui in cives, si turbam in unum locum congregare conspicerentur, protinus irruere parati erant.

§. CXI.

Papæ ac Venetorum classes re infecta recedentes.

Ceterum portus fauces, ac maris oræ tam sedulo ab equitibus, peditibusque obsidebantur, ut hostium classis nec unicum quidem militem, quin illico circumdatus caperetur, in terram exponendi libertatem haberet; quocirca Veneti, postquam longiores naves suas, ac quam plurima alia navigia integro triduo in hostium conspectum duxissent, re infecta ex Genuensi portu in Civitatem veterem iter suum remetiri compellebantur, amissis quinque triremibus, quæ tempestatis vi ad Messinæ fretum allisæ perierunt, aliæ ad Barbarorum oras projectæ,

jectæ, nonnisi admodum laceratæ reversæ sunt. Nihilominus summus Pontifex, ipso malorum concursu animi sui indignationem in Gallos inflammante, Cardinalem Auxitanum, qui Romæ Regis negotia procurabat, in arcem S. Angeli custodiæ dari jussit; magis tamen Julii odium in Ludovicum, ac Ferrariensem augebat Regis in Ducem favor; nihil tamen optabilius habebat Ludovicus, quam ut in Pontificis gratiam rediret: id quoque summis precibus efflagitabat Anna de Britannia ejus conjux Regina, quæ sibi probe persuasum habebat, genuinum Ecclesiæ Filium haud esse posse, qui summum Pontificem odio insectaretur, quapropter Rex cum Papa de concordiæ conditionibus æquis tamen ac honorificis agere satagebat. Veneti quoque Julium urgebant, ut Italiæ pacem redderet, Gallisque ac Germanis reconciliaretur; Papa tamen horum precibus, ac æquis eorum postulatis minime deferebat, aliorum consilia suis adversa sequi haud solitus.

Secul. XVI. A.C. 1510.

Raynald. ad hunc an. n. 18.

§. CXII.

Regni Neapolitani investitura a Papa Ferdinando concessa.

Equidem Rex Catholicus nil ardentius desiderabat, quam Neapolis Regnum

Marian. lib. 24. n. 102.

Secul. XVI A.C. 1510.

Arragoniæ sceptro jure perpetuo asserere, qua tamen ratione voti sui successum obtineret, ferme consilii inops hærebat; reliquis tamen expeditius medium censebat, si implorata summi Pontificis ope, illius odium in Gallos in rem suam verteret; ast quamvis Julius iisdem infensus videretur, nihilominus primo Regis Catholici precibus cedere cunctabatur, ac nonnisi aliquo post tempore, auctaque indignatione, ac Gallici belli mole sibi propius impendente, ne ab hostibus suis opprimeretur, Sedi Apostolicæ Hispani Regis potentiam singulari beneficio demereri statuit. Ergo annuit Ferdinandi precibus, in eumque cuncta totius Neapolitani Regni jura edito diplomate transfundit, ea usus beneficentia, qua ampliorem Rex Catholicus haud desiderare potuisset; quippe cum census, quem Alexander VI. in nuperis duabus investituræ literis primo Carolo VIII, ac demum Ludovico XII. præscripserat, ad octies mille auri uncias ascendisset, nunc Julius Regi Catholico diploma concessit, contentus, quod singulis annis bis mille auri uncias cum equo candido persolveret. His addit Mariana, Julium provectigali militari petiisse trecentos lancearios a Regibus Neapolitanis alendos, qui ad obsequium Sacræ Sedis suppeditarentur, quoties ad bellum in statu Eccle-

Raynald. n. 24. Jul. II. lib. Bull. 80. p. 335.

Marian. lib. 24. n. 102.

Raynald. l. c. n. 28.

Ecclesiastico gerendum necessarii essent. Hanc conditionem Papa nunquam remittere voluit; horum enim auxilio adversus Ferrariæ Ducem uti decreverat. Secul. XV. A.C. 1510.

§. CXIII.

Ludovicus Papam ad revocandum diploma compellere molitus.

Ludovicus Rex, comperta Pontificis indulgentia erga Ferdinandum, graviter commotus erat, ac jura in Neapolis regnum sibi erepta, & in alium transfusa ægerrime ferebat, hinc Regem Catholicum arguebat, quod Gallos suis artibus decepisset, Papam vero incusabat, quod suæ indignationi atque odio cessisset, additis etiam minis, quod, ni protinus concessam revocaret gratiam, armis injuriam ulciscì vellet. Eodem tempore Rivenarum Episcopo, qui in Hispania Legatione functus tum apud Regem Catholicum Montione agebat, negotium dedit, ut de injuria vehementer quereretur, ac nisi Ferdinandus prioribus pactis staret, amicitiam penitus dissolvi minaretur. Ast Ferdinandus votorum suorum plene compos, nec e regno suo, quod dudum quiete possedisset, propelli veritus, nec minis nec Legati querelis movebatur. Paulo post Pontifex quæsito capitalis inimicitiæ, *Guicc. lib. 9. f. 249. & 262.*

Secul. XVI. A.C. 1510.

micitiæ prætextu, quasdam urbes, in quas Sedi Apoſtolicæ jus competebat, ſibi reſtitui, a Ludovico poſtulabat. Rex Pontificis jura inania eſſe ratus, cum veram hujus petiti rationem haud ignoraret, Pontifici cedere renuit. Julius hac repulſa lætus, Regem anathemate percellit, ejus regnum interdicto ſubjicit, illudque primo occupanti vendicat; præterea ſacra fulmina in omnes Principes, qui Ludovici partibus adhærerent, vibrat, eorumque terras ac ditiones quibuscunque illas invadere valentibus tradit: Ne vero in ſolis ſacris armis, quæ in illa occaſione forte infirma fore verebatur, ejus caſtigatio ſtaret, ipſus in Ferrariæ Ducem exercitum ſuum duxit, ut inde Ludovico moleſtiam inferret, ipſumque Florentinorum Procuratorem, qui ei pacem cum Rege ſuadebat, durius excepit, adeo, ut per plures dies Papæ conſpectum ſubire non auderet; nec etiam minus, cum quidam Sabaudiæ Ducis Orator, Dominum ſuum amicitiæ conciliatorem futurum polliceretur, hunc exploratorem atque hoſtium ſuorum emiſſarium eſſe ſuſpicatus, quæſtioni ſubjectum diu in cuſtodia detinuit.

§. CXIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. CXIV.

Ferrariæ obsidio a Pontifice decreta.

Tandem vero Julius, quamvis Mensis September prope exactus esset, Roma profectus, copias suas in aciem eduxit, ut Ferrariam cingeret, totamque hanc regionem primo impetu suæ potestati subjiceret; postera autem die eidem est nunciatum, quod Calvimontius ducentos quinquaginta Lancearios ductore Castellione, necnon duo peditum millia sub Alegrii junioris imperio submiserit, atque his copiis Ferrariæ Dux præter trecentos Galliæ Lancearios junxerit trecentos Italos, & tria peditum millia, omnes milites veteranos. Præterea Papa intellexit, quod Ducis subditi tanto in eum flagrarent affectu, ut extrema quæque pati, quam deditionem meditari paratissimi essent. Julius accepto hoc nuncio Venetorum Senatum urget, ut duas novas classes in auxilium submitterent, quarum una Ferrariam, altera Comacium obsideret. Incassum Senatores Pontifici exponunt, armamentarium navigiis exhaustum esse, ac plurium annorum inducias requiri, ut totidem, ac in Messinensi sinu amisissent, naves instruere denuo possent. His rationibus Pon-

Guicc. lib. 9. fol. 256.

Secul. XVI. A.C. 1510.

Pontifex minime devictus, præcluſa omni exceptione ſibi obtemperari voluit; unde Veneti, usque dum integram claſſem adornarent, præter quasdam Reipublicæ Mercatorum naves pretio conductas, ex Inſulis quoque illa, quæ ibidem habebant, navigia advehunt, tandemque ex cunctis hiſce navalem exercitum contrahunt, quem in duo partiuntur agmina, ut præfatas urbes cingerent. Præterea mediam terreſtris ſui exercitus partem in Ferrarienſem ditionem educere compellebantur, has vero copias, obſidione Veronenſi jam ſoluta, omnino ſibi inutiles eſſe obtendebant.

§. CXV.

Venetorum exercitus pedem referre a Ferrarienſi compulſus.

Guict. l. 9. fol. 256. Bembo hiſt. Venet.

Ferrariæ Dux inter tot arcta prehenſus, Ducatus ſui jacturam haud temere verebatur; aſt opportuno gemini caſus concurſu feliciter metu liberabatur; quippe Gallorum agmen pontem, quem Venetorum copiæ flumen trajecturæ Pado imponere cæperant, igne ſuccendit: Papa vero periculoſo corripiebatur morbo, medicis ferme de ejus ſalute deſperantibus, quin imo per aliquot dies ad momenta animam efflare credebatur; in ipſo enim infirmitatis æſtu, nunquam a glacia-

glaciato potu, crudisque pomis abstinere voluit. Nihilominus virium suarum vigor mali vim, neglectamque valetudinis curam superabat: Igitur morbo defunctus, præprimis prælium committi jussit, sed suorum nonnullis pugnæ ancipitis discrimen objicientibus, copias suas Mutinam versus reduci concessit, ut hæc urbs defenderetur, ejusque præsidio ipse exercitus simul ab hostium insultu tutus esset. Nihilominus Venetorum res penitus perturbabat classis suæ in Pado flumine hærentis jactura; hæc enim, cum nihil propius esset, quam ut Adriam procurreret, atque alteri classi, quæ in Athesino fluvio erat, sese adjungeret, a Ferrariensi Duce funditus disjecta fuit. Sæcul. XVI. A. C. 1510.

§. CXVI.

Comitia Cleri Gallicani jussu Franciæ Regis Turonibus coacta.

Quamvis Galliarum Rex Pontificiam dignitatem summo studio veneraretur, anathema tamen, cujus supra meminimus, flocci pendebat, cauſſatus, quod summus Pontifex auctoritatis suæ limites excessisset, proin illud manifeste nullum foret. *Belc. l. 12. n. 14.* *Raynald. hoc ann. n. 20.*

Ceterum, ut ipse quoque spiritualibus Papæ armis sacram opponeret potentiam, totius *Guicc. lib. 9.*

Sæcul. XVI. A.C. 1510

totius Cleri sui generalem cœtum primo Aureliæ, postea Turonibus coegit, doctiorum regni sui Virorum sententiam rogaturus, an salva religione jus suum tueri, necnon pactorum a Julio violatorum fidem vindicare posset, ac demum quantam submissionem deferre teneretur spiritualibus Ecclesiæ armis, quæ Adversarius ejus in manibus suis teneret, illis vero nonnisi ad tuendam injustitiam, atque ad negotia mere temporalia uteretur. Celebrata fuere hæc comitia exeunte Mense Septembri Anno Domino millesimo quingentesimo decimo, ubi a Rege octo propositiones fuerunt expositæ, in quibus tanta elucet moderatio, ut Regem adhucdum erga suum maximum hostem, quem Julium esse credebat, indulgentia usum fuisse probetur; Ceterum hæ propositiones quasi quædam consultationes scripto exarratæ porrigebantur, quæ singulis ferme paginis Ludovici observantiam in Sedem Apostolicam testantur.

§. CXVII.

Articuli in comitiis Turonensibus propositi ac discussi.

Belcar. in comment. rer. Gallic. lib. 12 p. 348.

Igitur quærebatur. I. *An liceat Papæ bellum inferre Principibus temporalibus, milites conscribere, illos alere, atque in aciem educere, ubi neque de religione, neque de fun-*

dis

dis ejus Pontificatus controversia est; & concluſum fuit, *Papam ne posse, nec debere.* Sæcul. XVI. A.C. 1510.

II. *An liceat Principi defendenti se & sua, non solum propulsare armis hujusmodi injuriam, sed etiam invadere terras Ecclesiæ possessas a Papa notorio hoste suo: non tamen ea intentione, ut illas retineat, sed tantum, ut impediat, ne per eas Papa ille fortior & potentior sit ad offendendum dictum Principem, & suos.* Reſponſum eſt, *Principem hoc posse sub conditionibus, & qualitatibus in articulo propositis.* *Raynald. l. c. Argentre coll. Jud. tom. 1. p. 349 Maffæus in suo chron. ad ann. 1510. Joan. Bouchet in ann. Aquit. part. 4 Genebr. chron. lib. 4. Hist. univ. Paris. tom. 6. p. 45. P. Alexand. in hist. Eccles. tom. 8. p. 603.*

III. *An ob tale odium notorium, & aggressionem injustam, liceat Principi subtrahere se ab obedientia hujusmodi Principis, attento etiam, quod Pontifex concitaverit alios quosdam Principes, & Communitates, imo & tentaverit cogere ad invadendas terras, & Dominia ejusdem Principis, qui potius benevolentia Sedis Apostolicæ dignus fuit?* Concluſum eſt circa hoc punctum: *Principem posse ab obedientia talis Papæ se subducere, ac subtrahere: non tamen in totum, & indistincte, sed pro defensione tantum jurium suorum temporalium.*

IV. *Tali subtractione licite facta, quid agendum sit tum Principi ipsi, ac subditis ejus, tum etiam Prælatis & Ecclesiasticis Personis Regni sui in rebus, de quibus ad Sedem Apostolicam antea recurri solebat?* deciſum fuit, *Servandum esse Jus commune*

Sæcul. XVI. A. C. 1510.

antiquum, & Pragmaticam Sanctionem Regni, ex Decretis Sacrosancti Concilii Basileensis desumptam.

V. *An liceat hujusmodi Principi Christiano tueri ac defendere alium Principem sibi confœderatum, & cujus protectionem legitime suscepit?* (Hic articulus Ferrariæ Ducem respiciebat,) fuitque responsum, *licere.*

VI. *Si quod jus talis Pontifex ad se pertinere contendat, ut Patrimonii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ partem: contra Princeps Imperii vel Juris sui esse dicat, & de ea controversia paratus sit, & offerat stare arbitris vel judicio bonorum virorum per compromissum, prout de jure: An eo casu liceat Pontifici absque alia causæ cognitione bellum inferre dicto Principi: & si fecerit, an liceat Principi armis resistere, & aliis Principibus in hujusmodi dissidio ei adesse, eumque defendere, maxime illis, qui ei cognatione vel affinitate conjuncti sunt, cum etiam per centum annos proximos Ecclesia Romana in ejusmodi Juris controversi possessione non fuerit?* (Hic casus tangit Bentivolium, quem Julius II. post centum annorum possessionem Bononia depulit) fuitque judicatum; *licere Principi in hoc casu resistere de facto, & aliis ei adesse in jure suo tuendo.*

VII. *Si*

VII. *Si vero Papa nolit acceptare, quod Princeps juridice & honeste offert, sed non observato juris ordine, contra talem Principem pronunciat sententiam aliquam, an ei sit obtemperandum? maxime cum non est integrum ac tutum tali Principi ad Sedem Romanam ire vel mittere, & jus suum via Juris civilis, & rationibus defendere?* decisum est: *Non teneri talem Principem parere huic sententiæ.* Sæcul. XVI. A.C. 1510.

VIII. *Si Pontifex injuste ordine juris non servato procedens de facto, & manu armata, pronunciet & publicet aliquas censuras contra Principes sibi resistentes, eorumque subditos & confœderatos, an eis parendum sit, & quod remedium adhibendum?* Conclusum est per Concilium, *Talem sententiam esse nullam, nec de Jure, vel alio quocunque modo ligare.*

§. CXVIII.

Episcopus Gurcensis Maximiliani Legatus in Francia.

Compertis hisce decisionibus, quantocius regii Senatores Ludovico auctores erant, ut sine moræ dispendio itineri sese accingeret, ac superatis Alpibus, ipsus Bononiensem ditionem infestis armis invaderet, hacque irruptione Pontificem, ut de propria salute sibi prospiciat, compelleret. Equidem Ludovi-

Sæcul. XVI A. C. 1510.

cus hocce ſuorum conſilium rebus ſuis valde proficuum fore, ingenue profitebatur: Aſt cum interea Matthæus Langius Gurcenſis Epiſcopus, quem Cæſar in Gallias miſerat, Turonium veniret, Ludovicus iter ſuum diſtulit, ſpe concepta, Pontificem ſuam mentem mutaturum, ad ineunda autem mitiora, inquiebat Rex, „ conſilia, totum illi hyemis tempus con„ cedam, ut vero adverſus eum hoſtili„ ter agam, ſatis in tempore veniam, ſi „ id ineunte Vere exequar.„ Diſplicuit Conſiliariis Regis cunctatio diſceſſum maturari inſtanter petentibus, Ludovicus tamen non modo conceptam animi ſententiam non mutabat, ſed novum etiam fœdus cum Epiſcopo paciſcebatur, quo ſancitum. I. Cæſar primo vere in Italiam contenderet, Venetos cum exercitu ſuo aggreſſurus; II. Franciæ Rex ſuas quoque copias Cæſareis jungeret, ac ambo Papam, Regemque Hiſpaniæ ad ſervandum Cameracenſe fœdus urgerent; ſecus eos, ut ſaltem rem arbitrorum judicio permitterent, rogarent; III. Illis quoque id renuentibus, ad Concilii generalis convocationem pro reſtauranda Eccleſiæ diſciplina tam in capite quam in membris (*) procederetur, ad

Guicc. l. 9. Raynald. ad hunc ann. n. 21.

(*) *Ita nempe Baſileenſis Concilii (quod tum nonniſi*

Sæcul. XVI. A C 1510.

ad quod & Imperator, & Galliarum Rex suos quisque Prælatos ablegaret. Referunt nonnulli quamdam Synopsin eorum, quæ circa celebrationem Synodi inter utrumque Principem agitata fuisse dicuntur; verum hac super re nulla certitudo habetur. Id unice ex quadam Maximiliani epistola (*) ad Baronem de

Varillas hist. Lud. XII l. 6. Daniel hist. Franc tom. 5. in 4to p. 307.

---

nonnisi Conciliabulum fuit) decreta opportunum semper prætextum suppeditant, quo sub obtentu pietatis, ac reformationis Ecclesiæ in suo capite & membris impune, quoties visum fuerit, debita supremo capiti obedientia eludi, & privata vindictæ libido exeri potest. Miseram, *exclamat Mariana lib* 30. *cap.* 1. temporum labem, a profanis Christi Vicario leges imperandi præscribi! in uno peccato (*scilicet ex conventu Turonensi, quem cum aliis Belcarius lib.* 12. *num.* 14. *conciliabulum & Palatius novantium Synagogam vocant*) quot, & quanta extitere peccata! *quæ tamen haud impune abibant. quippe ut refert Odoricus Raynaldus ad hunc annum num.* 13 post varios demum funestos casus Gallus accepti Ferrariensis auri pœnas, Italici & Navarrici imperii jactura persolvit.

(*) *Hanc epistolam mere confictam esse, ceterorum Scriptorum, veluti Cuspiani, Gerardi de Roo, Palatii, Bircheri, aliorumque silentium*

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

de Liechtenstein data constat, ipsum Cæsarem, Julio II. aut decedente aut exauctorato Papatum ambiisse, disertisque verbis Mariana asserit, Maximilianum non alio ex fine cum Galliarum Rege in con-

Monita Politic. ad S. R. I. Principes Francof. an. 1609.

---

testiatur; quis enim sibi persuaderet, Maximilianum S. R. I. Cæsarem, Principem adeo pium, Papatum ambiisse, & quidem ex tam futili argumento, quod in prima epistola Brixiæ die decima sexta Septembris Anno 1511. *data Imperator allegasse fingitur, nimirum eoquod Prisci Imperatores usque ad Gratianum AUGUSTI simul & PONTIFICES MAXIMI nominati fuerint. Proferunt adhuc aliam epistolam hi mendaciorum nundinatores, quam a Cæsare probabilius* 18. *Septembris Anno* 1512. *scriptam comminiscuntur, ac insulse Maximilianum summi Pontificis COADJUTOREM eligi, meditatum fuisse fingunt, quapropter anilis hæc fabula potius cachinis, quam ratione confutari meretur, prorsus indigna, ut inter Ecclesiasticæ Historiæ munumenta locum sibi vendicet, iniquius vero propterea Maximilianus Imperator ambitionis postulatur. Quanta autem auctoritatis sint allegata Monita de* immensa Curiæ Rom. potentia moderna nec non Lettres du Roy Louis XII. &c. ac Responses aux quæstiones d'un Provincial, *Lector Catholicus, atque eruditus non ignorat, ejusmodi Satyras exsibilans.*

convocandam Synodum conspirasse, quam ut ipse, Julio deposito, in summum Pontificem eligeretur, quo velut luculento argumento morosa hujus Cæsaris indoles, ejusque insulsa ambitio comprobatur. Ceterum fœderis pacta Regem inter Christianissimum, & Episcopum Gurcensem Blesis die decima septima Novembris firmata fuere.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

Marian. hist Hisp. lib. 30.

§. CXIX.

Censuræ Pontificis contra Franciæ Clerum, & Ambasianum Marescallum.

Attamen summus Pontifex summa prudentia præditus, quæ mala ex hoc fœdere, ac Turonensibus articulis orirentur, facile prospexit, unde publice diris atque anathemate detestatus est omnes, qui Cleri Gallicani (*) decreto, quo Sedis Apostolicæ auctoritatem violatam Papa querebatur, obtemperarent; dein *monitorium*, ut vocant, contra Ferrariæ Ducem promulgatum, in excommunicationis sententiam commutavit, ac iisdem quoque censuris perstrinxit subsidiarias Galliæ copias, ac speciatim Ciamontium seu Calvimontium Marescallum, ac supremum

Marian. hist. Hisp. l. 30. n. 15. Bullar. in Jul. II. Const. 27.

(*) *Mariana addit.* impio.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

premum exercitus Ducem, necnon Joannem Trivultium, omnesque ceteros belli Præfectos, qui sub signis ac Franciæ stipendiis arma Italiæ intulerant, comprehensis etiam Episcopis, atque Ecclesiasticis, qui Cleri Gallicani conventibus, atque Synodo ibidem celebrandæ interesse præsumerent.

§. CXX.

Quinque Cardinales relicto Papa Mediolanum profugi.

Hæc Gallorum consilia adversus Pontificem agitata illius animum eo majori sollicitudine oppresserant, quo certius edoceretur, quod Purpurati quoque cum Gallis adversus illum conspirarent, atque eorum quinque, dum Papam Roma Bononiam comitarentur, ab eo defeciissent, ac Mediolanum se se recepissent, eoquod aperte summo Pontifici adversari, firmo statuissent animo: Hi vero Cardinales nominabantur, Bernardinus Carvajalus; Franciscus Borgia Cosentiæ Archiepiscopus; Renatus de Prie Bajocensis Episcopus, Fridericus Sanseverinas, & Guillielmus Brissonetus Macloviensis Antistes, qui regnante Carolo VIII. plurimum auctoritate valebat. His Pontifex ad Lauretanam Domum divertendi copiam fecerat, ea tamen lege,

Marian. l. c. num. 4. Raynald. hoc ann. n. 19

ge, ut præstituta die Bononiam, ubi Papa esset, reverterentur, illi vero hujus absentiæ opportunitate usi, sibi securitatis literas a Florentinis procurarunt, ut, quamdiu ipsis liberet, Florentiæ commorari possent; postea tamen securitati suæ magis consulturi paulopost Mediolanum concesserunt, insuperhabitis tam promissis, minis, auroque, quam beneficiorum pollicitationibus, aliisque variis mediis, quæ summus Pontifex, ut eos ad suum obsequium reduceret, frustra adhibebat. Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. CXXI.

Ciamontius Bentivoliorum suasu Bononiam, Papamque capere tentat.

Assidua erat adversus Julium Bentivoliorum indignatio, qui se Bononia aliquot ante annos depulsos dolentes, nonnisi vindictam meditabantur, tandemque opportunam sibi offerri occasionem existimabant, comperientes, Papam Bononiæ morari. Ergo ne ultionis consilium successu careret, Ciamontium Marescallum adeunt, eidemque se Bononiam vi invasuros, Papamque Gallis tradituros pollicentur, simulque rei exequendæ facilitatem exponunt, dummodo & ipse ope sua non deesset, cum vero de prospero hoc successu præcipuum ipsi emolu- *Marian. ib. Paris de Grassis t. 3. p. 597. Raynald. hoc ann. n. 22. & 23.*

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

molumentum haberent, sese etiam primos ad graviſſima quævis diſcrimina offerebant, dicentes Calvimontio: non æquitati conſonum foret, ni omnes impenderemus vires in ejusmodi negotio, cujus executionem a te non ex officii debito, ſed a benevolentiæ tuæ impulſu præſtolamur, „ nec deeſt nobis inter Bononienſes frequens Amicorum „ numerus, quorum ſtudium in nos ſatis perſpectum habemus, calamitatem „ enim vicemque noſtram & ipſi dolent; quamprimum ergo te nobis favere, atque Gallorum exercitum nobis opitulari comperient, protinus & „ & ipſi ad arma conclamabunt, bona, „ vitamque profuſuri, ut nos a duro Pontificis jugo (*) liberent. „ Ciamontius

(*) *Ita pro arbitrio ſuo Bentivoliorum orationem inſtruit Continuator; Aſt longe aliam de Pontifice fuiſſe Bononienſium opinionem teſtantur Raynaldus, & Paris de Graſſis, quos Continuator allegat; hic diſertis verbis affirmat,* Audito Gallorum adventu populus Bononienſis arma capit pro Pontificis tutela, ſuaque, ... ac cum vidiſſent Pontificem timere de ſeipſo, flebili pietate commoti, applauſiſſime clamant, bonorum ipſorum animum perſuadent, unitatem & auxilium polli-

centes

tius horum sermone excitatus itineri se accinxit, atque ad Crepolanam urbem nonnisi decimo lapide Bononia diffitam, tentoria fixit. Sæcul. XVI. A. C. 1510.

§. CXXII.

Pontificis aula Bononiæ timore perculsa.

Eodem adhuc die Ciamontius Bononiam pertingere, ac urbem ingressus totam Curiam Romanam capere potuisset, si Bentivoliorum sollicitationibus cessisset; hi enim, ne ibi subsisteret, vehementer instabant; ille vero rem ad alteram diem differri, omnino statuit, hac autem sua cunctatione consilium exequendi occasionem prætermisit: Nihilominus ob ejus adventum ingens erat Optimatum consternatio, præcipue vero Aulæ Pontificiæ; cum enim hæc nonnisi Viris Ecclesiasticis, qui omnes inermes erant constaret, hinc imminente periculo eo citius terrebantur; nec inanis erat illorum timor, eo vel potissimum nomine, quod Equites Galli Bononiam usque excurrentes *Raynald. hoc ann. n. 23.*

centes . . . Galli his auditis media nocte ad Papam humillime mittunt nuncios, qui veniam de machinatis, & ut impune abire liceat, suppliciter petunt, quod Pontifex benigne concessit, populo licet reclamante.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

rentes fugæ opportunitatem præcluderent.

§. CXXIII.

Venetorum, atque Arragonum Legati a Papa objurgati.

Cardinales, cum discriminis propinquitas timorem augeret, summo Pontifici suggerunt, quatenus cum Ciamontio de concordia ageret; ut vero Julium ad sua vota citius inclinarent, eidem exponunt, cives Sedi Apostolicæ minus propensos esse, proin conspirationem timendam, eamque sedulo præcavendam: ceterum Gallos, se honestis concordiæ conditionibus consensuros, haud obscure indicasse, demum utcunque res esset, saltem ab eis nil metuendum, dummodo Mediolanensi Ducatu quiete frui permitterentur. Ast Julius plus quam unquam ira commotus, Cardinalium rationibus nullo pacto cessit, ipsumque Venetorum Legatum ad se venire jussit, eidem auxilii a Republica promissi cunctationem acriter exprobrans, „in crastinam adhuc „diem, inquiebat Pontifex, vobis indu„cias concedo, si vero promissa subsi„dia non advenerint, cum Ciamontio pa„cem inibo cum eorum damno, qui datam „fidem fefellerunt„ graviter etiam querebatur eandem ob rem in Arragoniæ Legatum,

Legatum, „ nisi stimulasses me, ajebat Pa- Sæcul. XVI.
„ pa, Neapolitani regni investituram e- A.C. 1510.
„ jusque diploma Reggiensi Cardinali
„ nunquam tradidissem, id tua caussa
„ feci, promisso confisus tuo, quo Hispa-
„ norum copias, quæ tamen hucusque
„ non advenere, mittendas pollicitus
„ es. „ Denique cum ultra non haberet, in quem iram suam effunderet, Bononiæ Magistratus, ac civium præcipuos adesse jussit, quibus eorum fidem sibi maxime probari significat, Bentivoliorum tyrannidem exaggerat, ac populo cuncta vectigalia remittit, unice postulans, ut Bononienses ad tuendam sacram Sedem arma capesserent. Verum omnes sese in ædibus suis continebant, Papæ precibus flocci pensis.

§. CXXIV.

Legati ad Ciamontium Marescallum pro concordia ineunda a Papa missi.

Cardinales proximum Pontificis discrimen considerantes, ac propriæ suæ securitati consulere solliciti, denuo summis precibus instant, ut eorum consiliis acquiesceret; ipsos etiam Cæsaris, ac Hispaniæ, & Angliæ Regum Legatos rogant, ut & ipsi eadem Pontifici suaderent. Ergo una omnes tanta precum *Guicc. l. 9.*

Sæcul. XVI A. C. 1510.

cum vi Papam adoriuntur, ut tandem Joanni Franciſco Pico Comiti, Principis Mirandulani Patruo negotium dari conſenſerit, ut Ciamontium Mareſcallum adiret, ac cum eo de concordia ageret. Igitur Comes ad caſtra delatus, ſummis honoribus excipitur, ſuaque dexteritate tantum efficit, ut Gallici exercitus vim cohiberet, data tamen fide, Julium legibus ſibi imponendis obtemperaturum. Ea res Calvimontium, quid decerneret, incertum tenuit; Regem enim Dominum ſuum Pontificis gratiam exoptare, haud ignorabat, & quamvis metu anathematis, quo a Pontifice perculſus erat, ſe flecti haud pateretur, nihilominus tamen excommunicationum effectum verebatur; non enim eum latebat, quod Pontificum cenſuris ex populi ignorantia, atque exiſtimatione, qua in Curiam Romanam fertur, non raro vis accreſceret, qua tamen, ſi Pontifices poteſtatis ſuæ limites excedunt, perſæpe deſtituuntur. (*) Aliunde Ciamontius Angliæ Legati minis cedebat, qui inter utrumque Regem amici-

(*) Pœnas Eccleſiaſticas vim ſuam a populi ignorantia atque opinione mutuare, hucusque Theologis incognitum erat; ejusmodi autem pœnis jure etiam affectos, fuiſſe conqueſtos, quod Papæ poteſtatis ſuæ limites exceſſerint, haud rarum eſt.

amicitiam penitus ſublatum iri, eidem declarabat, ſi Sedi Apoſtolicæ vim inferre pergeret. Ergo Ciamontius cunctis hiſce rationibus expugnatus, bidui inducias pactus eſt, quo interea tempore ſequentes inſtruebantur articuli. Sæcul. XVI. A. C. 1510.

§. CXXV.

Pacis articuli Papam inter, & Ciamontium Mareſcallum.

I. Tollantur omnes cenſuræ, dein ſemeſtres induciæ inter Sedem Apoſtolicam, & Ferrariæ Ducem ſanciantur. II. Anathemate liberentur Bentivolii, eisque bona, quæ, ipſo Papa fatente, ipſorum eſſent, reddantur; quoad reliqua vero, quæ, priusquam Bononia exceſſiſſent, poſſederant, tribunalia haud ſuſpecta eligere, eisdem permittatur, item, plena præteritorum oblivio illis integra fide concedatur, comprehenſis omnibus, qui vel directam, vel indirectam Bentivoliis opem tuliſſent, etiamſi Papæ ſubditi forent, eisque integrum ſit, in quacunque eis placuerit, Italiæ parte commorari, dummodo ſaltem octoginta milliaribus Bononia diſtarent. III. Urbs Mutinenſis Imperatori depoſiti loco tradatur, ac durantibus induciis utraque pars arbitros nominet, qui Comacienſem litem ultima ſententia dirimerent. IV. Papa circa

Sæcul. XVI A.C. 1510

ca Venetos Cameracense fœdus exequatur. V. Ludovico XII. Cotignola reddatur, eidemque ad cuncta beneficia, in Italiæ statu sita, nominatio concedatur. VI. Cardinalis Auxitanus libertati restituatur, Cosentinus vero, Sanseverinas, Sanctæ Crucis, Bajocensis, Maclovienſis Cardinales, in Pontificis gratiam recipiantur.

§. CXXVI.

Ciamontius fœdere a Papa proposito delusus.

Raynald. hoc ann. n. 23.

Hosce articulos Picus Mirandulanus ad Julium detulit, qui præter morem suum illos sereno admodum vultu perlegit, quid tamen decerneret, suspensus hæsit, cum ecce! opportune adveniunt Hispanorum copiæ, simulque Venetorum exercitum appropinquare, jamque Padum trajecisse nunciatur. Gemino hoc nuncio Papa summopere lætus, ut melius animi sui propositum tegeret, primo articulos a Pico allatos penitus non rejecit, sed ad Ciamontium denuo quosdam ablegavit, qui articulos duntaxat mitigari peterent; hac via Julius moras quærere, nectereque statuit, usque dum Marescalli furorem pari armorum potentia eludere posset. Ciamontius aut incurius, aut dolum subesse haud suspicatus, Papæ

pæ poſtulatis ceſſit; cum vero Fabricium Columnam cum quadringentis lanceariis accurrere intellexiſſet, abjecta omni concordiæ ſpe errorem ſuum agnovit, moxque Pontifex eidem ſignificari juſſit, ſe nunquam concordiam initurum, ſaltem niſi Galli haud ultra ſe Ferrariæ Duci patrocinaturos ſponderent; cum vero Galliarum Rex hujus Ducis partes tueri ſtatuiſſet, Ciamontius præcipiti fuga Criſpolano exceſſit, ſuasque copias æquis partibus Regienſi, Ruberianæ Saxulenſi, Formicanæ, & Monſequienſi urbibus impoſuit, tegens fugæ ſuæ ignominiam ſpecioſo ſubmiſſionis prætextu, quam erga Cæſaris, Arragoniæ, ac Angliæ Legatos Gallici exercitus diſceſſum inſtanter ſollicitantes profiteretur.

Sæcul. XVI. A.C. 1510

Ferron. in Lud. II. Raynald. hoc ann. n 23.

§. CXXVII.

Conſilium Papæ de Ferraria rurſum obſidenda.

Jamjam Menſis November incæperat, atque hyemis aſperitas tentoria figendi opportunitatem denegabat; unde Cardinales bellicis expeditionibus finem imponi, Papam impenſe rogabant, veriti, ne in ſimile diſcrimen, quod ægre paulo ante eluctati eſſent, denuo inciderent, nec

Guicc. l. 9.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

deerant Medici, qui Pontifici gravius infirmæ valetudinis suæ periculum exponerent, suique corporis vires novis belli laboribus impares esse affirmarent. Verum Julius successuum prosperitate flecti nescius, adeo horum rationibus non cessit, ut etiam in Ludovicum ira incensus, nonnisi prælia, atque obsidiones meditaretur, declarans, omnino velle se, Ferrariam deferri; ergo iter aggredientem copiæ sequuntur, invitis licet non modo ducibus, sed ipsis etiam militibus. Venetorum Respublica ad hanc expeditionem nonnisi mediam exercitus sui partem, ductore Mantuano Marchione, submisit, ceterorum absentiam excusans, eoquod assiduis belli laboribus fracti, ad reparandas vires saltem aliquot dierum quietem deposcerent. Interea Marchio cum suis copiis vix non totam urbem cinxit; ast diuturnæ captivitatis suæ a Venetis perpessæ injuriam haud oblitus, accepto nuncio, Palisium cum Veronensi præsidio in Mantuanam ditionem populabundum excurrisse, mox a Paulo Capello tum Venetiarum Provisore, ut cum Reipublicæ exercitu patriæ suæ succurrere posset, veniam petiit, obtinuitque, ac ipsemet Pontifex ex Provisoris suasu, Marchionis discessum ratum habuit, proin altera jam vice Ferrariæ obsidionem solvit.

Post

Post hæc Pontifex Ferraria Saxulum delatus, urbem occupavit, illius Præfecto ad primum ferme Papæ adventum deditionem faciente, nec Formicana civitas diu oppugnantium impetus sustinuit: Igitur Julius hac victoria auctus, Ferrariam reverti meditatur; ast Cardinalis Papiensis arcta amicitia huic Duci junctus, contempto sortis suæ periculo Julio exposuit, urbem nunc validiori longe præsidio, ac priorum obsidionum tempore, munitam esse, proin Papam abs dubio operam perditurum, hinc eum consultius acturum, si alterius cujusdam urbis expugnationem tentaret, ubi minus periculum, majorisque commodi spes esset: copias ergo suas potius Mirandulanæ & Concordiensi urbibus admoveret, ut aditu hac ex parte in Mediolani Ducatum aperto, usque ad interiora regionis nemine obsistente penetrare valeret. Placuit Pontifici Cardinalis consilium, urbs quoque Concordiensis mox deditionis leges accepit, cum a civibus sustinendæ obsidioni præcautum non fuisset. Hujus urbis Principem Papa, ut securius obrueret, paulo ante datis hanc in rem specialibus literis in fidem suam recepit.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

§. CXXVIII.

Mirandula a Pontificiis, Venetisque copiis obsessa.

Marian. lib. 30. Guicc. lib. 9.

Capta Concordia, Pontificis exercitus motis castris Mirandulam contendit, cui Galli festinanter quasdam peditum turmas imposuerunt, & quamvis rigidior esset tempestas, jamque anni curriculum in Decembrem inclinaret, quo mense cœli temperies ubique aspera, hoc anno in Longobardia insolito naturæ cursu inclementior sœviit, nihilominus Pontifex Mirandulæ obsidionem adornat, cujus tamen labores (ut haud mirum est) repugnante aeris, frigorisque invidia ægre accelerari poterant, cum vero hanc cunctationem summus Pontifex propositi sui tenaciffimus, suis Belliducibus exprobraret, nec tamen ejusmodi querelis obsidionis progressus maturaretur, hinc ipsus copiis suis imperare statuit, unde ad sua castra concessit.

§. CXXIX.

Bayardus Eques Papam capere molitus.

Papam castra movisse, brevi fama pertulit ad Gallorum præsidia, quæ Ruberiam, Carpium, Guardistallum, & Cor-

Corregium tuebantur, quo accepto nuncio, nominatus ille Bayardus Eques consilium cepit prorsus temerarium, & audax; summum enim Pontificem ex insidiis capere, ac denique Mediolanum abducere decrevit. Ergo cum Papam ad S. Felicem discessurum, suaque signa secuturum intellexisset, animi sui propositum Ferrariæ Duci significabat, supplicans, ut quasdam equitum suorum turmas, quæ primos impetus sustinerent, Padum trajicere juberet: ipse vero nocte appetente cum centum cataphractis iter aggreditur, Papam insecuturus, qui lectica iter faciebat, præmissis ejusdem sarcinis, ac nonnullis Curiæ suæ Ministris. Verum Pontificis saluti fuit cœli intemperies, quæ adeo turbulenta erat, ut Papa retro contendere, ac Papiensis Cardinalis monita sequi compelleretur, qui Julio auctor erat, ut discessum ad vesperam differret. Necdum ad *sanctum Felicem* reversus est Pontifex, cum jamjam Bayardus cum suis militibus ex insidiis erumpens, in Pontificios Ministros irrueret, unde Papa mox lectica descendens, citato cursu ad arcem confugit; Bayardo autem in prædam nil nisi quidam muli sarcinis onusti cedebant cum nonnullis Papæ famulis, ac duobus Episcopis ad Ferrariæ Ducem abstractis, qui Bayardum tam opportuna occasione frustratum fuisse, vehementer doluit. Sæcul. XVI. A. C. 1510.

Sæcul. XVI. A C. 1510.

§. CXXX.

Cæsaris ac Galliarum Regis Oratores ad Ferdinandum missi.

EQuidem Turronibus sancitum erat, proximo tempore Generalem Synodum esse celebrandam, ad quam tamen, ne Ferdinandus Hispaniæ Rex suos Prælatos venire prohiberet, Cæsar, atque Galliarum Rex haud temere suspicabantur; cum igitur horum præsentia oppido necessaria esset, ambo Principes ad Hispanum Legatos decernunt, rogaturos, ut disertis verbis declararet, an eorum amicus, vel adversarius esse vellet. Iisdem quoque Legatis injunctum, ut Ferdinando geminam Cameracensis Fœderis violationem exprobrarent, quarum prima quidem contigit, cum ejus Legatus, quem in aula Pontificis haberet, Ciamontium a Bononiensis urbis expugnatione præpediisset; altera autem illius pacti transgressio erat, quod subsidiariæ Hispanorum copiæ absque Cæsaris consensu e Continentis Venetæ ditione excessissent. Nihilominus præcipuum Legationis argumentum erat, ut Regem Catholicum inducerent, quatenus non modo Synodi celebrationem ratam haberet, sed etiam eidem Præsulum e Regno suo confluentium

tium frequentia auctoritatem conciliaret; hanc in rem Legatis datum est negotium, ut Regi insinuarent, Gallis, Germanis, atque Hispanis in unum coeuntibus, nil certius esse, quam Julium Pontificatu dejiciendum, in id quoque magnam Italiæ partem absque controversia conspirare, eoquod complures Julii arrogantiam, atque vexationes permoleste ferrent; reliquam Christianæ Reipublicæ partem plurimorum judicium haud cunctanter secuturam, proin Synodum optatum sortituram successum, si vero Hispani Pontifici faverent, eumque tueri niterentur, vel neutrius partis studio adhærerent, eos abs dubio ejusmodi Schismati ansam daturos, quod Ecclesiæ exitiosum non modo Hispaniam, sed cetera quoque Christiani Orbis regna indubitanter graviffimis turbis involveret.

Sæcul. XVI. A.C.1510.

§. CXXXI.

Hispaniæ Regis responsum ad Legatos.

Ergo Legati his verbis instructi, Burgis adveniunt, ac Ferdinando Regi, qui tum ibi agebat, Principum suorum mandata exponunt. His respondit Rex Catholicus: Non equidem Ciamontio deest specietenus vera de Legato meo que-

Sæcul. XVI. A.C. 1510

rendi cauſſa: aſt re ipſa hujus Mareſcalli vitæ, Regisque Chriſtianiſſimi honori conſultum volui; de cetero copiæ meæ nonniſi ad trimeſtre in Continentis ditionibus Venetis ſtipendia mereri, annuente ipſo Cæſare obſtringebantur, eas vero elapſo duntaxat hoc termino revocavi, diutius illas eadem caſtra ſequi conceſſurus, niſi Turcarum claſſe jam Hydruntum verſus appropinquante, Neapolis Regnum inopino diſcrimini expoſitum fuiſſet: his addebat inſuper: Ego quidem a Cameracenſi fœdere nullatenus receſſi, ſatis enim perſuaſum habeo, quod fœderatorum opera Neapolitani Regni urbes, quibus dudum exutus eram, recuperaverim, interim vero haud ultra me expenſas ſuppeditaturum ſpondere valeo; vix enim Neapolis ac Siciliæ proventus legitimis æque, ac neceſſariis dicti fœderis ſumptibus ſufficiunt, de Concilio autem, inquiebat Rex, quod illud optatum nanciſci poſſit ſucceſſum, Hiſpaniæ Præſulibus perſuaderi oportet, ego autem nihil boni inde augurari valeo, cunctis enim comperta ſunt diſſidia Cardinalis S. Petri ad vincula cum Ambaſiano, eadem quoque usque ad Galliarum Regem pervenerunt, atque unica mali cauſſa exiſtunt, dein etſi ſit, ut Gallia, Germania, aliique Principatus Synodum expetant, imo & ipſa Hiſpa-

Hiſpania fors accedat, ſi vero Anglia, Hibernia, Scotia, Hungaria, Bohemia, Polonia, Suecia, Dania, Norvegia, atque Helvetia ejusmodi Concilium deteſtentur, nonne exinde Eccleſia ingenti ſchismate ſcindetur? Ut vero paucis abſolvam, cum fœderatis meis in novam, eamque arctiorem ſocietatem coire non poſſum; Religionem enim Chriſtianam, ut in Africam revocarem, grave bellum geſſi, milite, auroque exhauſtus. Sæcul. XVI. A.C.1510

§. CXXXII.

Bugia a Petro Navarra expugnata.

Legatis Ferdinandi reſponſum Cæſari atque Regi referentibus, hoc in negotio haud ultra quicquam movebatur; nec tamen propterea Hiſpaniæ Regis arma conquievere, Petro enim Navarræ Comiti negotium dedit, ut tredecim naves tam bellico apparatu, quam annona optime inſtructas, quæ in portu Marſalquivirano hærebant, in altum protruderet, Bugiam occupaturus, quæ eſt Africana Tunetani Regni Provincia in Barbaria ſita, ubi ejusdem nominis urbs erat, quadam Maurorum Univerſitate celebris. Hanc civitatem Abufferizus ad Regni faſtigium erectam a Tunetano Imperio ſejunxit, *Marian. lib. 29. n. 93. Raynald. ad ann. 1510. n. 26. & 30. Gomeſ. de rebus geſt. Car. Ximen. lib. 4.*

Sæcul. XVI A.C. 1510.

junxit, eamque cum toto adjacente tractu Abdulhasi Filio suo reliquit, eandem vero tunc temporis Abdurrahamel ex Abdulhasi progenitus possedit, postquam inde Muletum Abdallam Nepotem, ac fratris sui natu majoris Filium deturbaverat, ut proin Muletus novi hujus Regni Rex esset legitimus, ac Abdurrahamel ejus Patruus illud tantum usurparet, cujus impietas, & furor eousque processit, ut non modo Nepotem suum solio spoliaret, sed illum etiam, ne capessendo regimini idoneus esset, ferro candente oculorum lumine privari juberet. Petrus comperta hujus Tyranni crudelitate exauctorati Regis fautoribus insinuari fecit, illatam se ulturum injuriam, si ejus viribus suam quoque juncturi essent operam. Placuit cunctis Navarræ consilium, unde ille hujus factionis sociis sese adjungens, illorum conspiratione urbem suæ potestati subjecit; postea novi Regis amicitiam sibi conciliaturus, chirurgorum, quos secum ex Hispania advexerat, remediis, atque solertia misero oculorum usum restituit. Hic vero recuperata videndi facultate ultro pactus est, se Regi Catholico annuum vectigal persoluturum, quod idem Bugiensium exemplum Algerii Piratæ secuti sunt. Denique Hispani continuato victoriarum cursu Tripoli-

Raynald an. 1510. n. 32.

politanum quoque Regnum armis suis subjecerunt. Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. CXXXIII.

Goa in Indiis ab Albuquercio nomine Regis Lusitani occupata.

Sub idem ferme tempus Alphonsus Albuquercius, qui in Orientalibus Indiis sui Regis vices subire jussus erat, hanc dignitatem sibi nuper collatam aggressus est, novoque felicitatis auspicio Barbaris Goannam urbem eripuit: hæc urbs tractu temporis totius Orientis in Regno Detanensi longe celeberrima, ac Lusitani Imperii in Indiis caput evasit. Non eadem fortunæ prosperitas Almeidæ, cui Albuquercius successerat, adspirabat; hic enim magni nominis Vir, cum suos apud Africæ oras ad hauriendas dulces aquas in terram exposuisset, excitatis jurgiis inter suos famulos, atque illius Regionis Caphros, ipse eodem in loco die prima Martii spiculi ictu transfossus occubuit.

Maffeius l. 4. Raynald. hoc an. n. 35. Osor. lib. 7. Baroz. dec. 2. l. 5. c. 3.

§. CXXXIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

§. CXXXIV.

Hiſpanorum clades in Inſula Gelviæ a Mauris illata.

Cum Rex Catholicus in alio bello Petri Navarræ opera conſiliisque indigeret, eidem in Africa ſubrogavit Garciam de Toleto, Albæ Ducis filium natu majorem. Hic æſtate ad medium vertente factis velis cum ſeptem millibus ſelectioris militiæ viris in altum procurrit, Petri Navarræ exercitum novis ſubſidiis auctūrus. Vix illuc appulſus, primas eo curas intendit, ut Gelviæ Inſulam expugnaret, ambitu ſuo latiſſimam, atque inter ceteras Africanæ oræ regiones magis Occidenti adjectam, quæ centum circiter Leucarum intervallo a Tripoli diſtat: igitur Garziæ claſſis prope hanc Inſulam die vigeſima octava Auguſti, quæ erat feria quarta, appulſa eſt, militesque in terram expoſiti. Aſt Mauri, qui haud procul erant, comperta Hiſpanorum exſcenſione, e ſylvarum latebris, in quibus deliteſcebant, egreſſi toto impetu in Hiſpanos ſine lege vagantes, atque æſtu ſitique pene exanimes irruunt. Garzias, cum in denſiſſimas, mediasque hoſtium turmas irrumperet, cum pluribus belli Præfectis nobilitate generis, ac animi for-

fortitudine clariſſimis trucidatus eſt. Poſthæc turbatis exercitus Hiſpani ordinibus, una omnes præcipiti fuga dilapſi ſunt; equidem Navarra, qui ultimæ aciei præerat, protinus accurrit, ac fugitivis ad ſigna revocatis, infauſti impetus damna reparare adlaborat. Aſt infirmam eſſe ſuorum vim comperiens, & ipſe navem repetendi conſilium cepit. Deſiderata ſunt in hoc conflictu Hiſpanorum quatuor millia & amplius, qua cæſa, qua capta. Navarra demum Tripolin redeunte, Mauri Zafinenſem urbem obſederunt, inde vero recedere compulſi ſunt. Sæcul. XVI. A C. 1510.

§. CXXXV.

Juramentum a Ferdinando coram Madriti Ordinibus innovatum.

Hoc item anno Ferdinandus Montiſoni Regni comitia egit, quibus abſolutis Cæſar-Auguſtam contendit, Caſtellam iturus, ut ſiniſtram Gelvenſis expeditionis ſucceſſum repararet, ſuorumque militum cædem ipſus ulciſceretur; quod tamen haud effectui datum. Aſt Madritum delatus, die ſexta Octobris coram Caſtellæ Proceribus ſolemne Sacramentum *Marian. lib. 30. num. 2. & 6.*

(*) Vide ſupra Lib. CXXL. §. 57.

Sæcul. XVI A.C. 1510.

tum jam olim juxta Bleſſenſis concordiæ pacta præſtitum innovavit, ratumque habuit, præſentibus Apoſtolico ſummi Pontificis Nuncio, Maximiliani Cæſaris, necnon Caroli Archiducis Oratoribus. Ergo jurejurando pollicitus eſt, ſe Caſtellam, ceteraque regna illi annexa juxta eorum leges, libertates, ac privilegia adminiſtraturum expleturumque omnes veri Rectoris, ac fidelis Adminiſtratoris partes, atque officia. Poſt hæc propoſuit nuptias Joannæ Neapolis Reginæ Neptis ſuæ cum Sabaudiæ Duce, quorum ſponſorum utrinque conſenſus adeo firmus erat, ut Regina jamjam Sabaudiæ Duciſſa nuncuparetur; nihilominus tamen hæ nuptiæ ſuo caruerunt effectu, Sabaudo expoſt Beatricem Luſitaniæ Principiſſam ſibi deſponſante.

§. CXXXVI.

Neapolitanorum ſeditio occaſione Inquiſitionis.

Marian. lib. 30. n. 7. Raynald. hoc an. n. 29.

Cum Hiſpani in Neapolis Regno, ut antea in Hiſpania, ſacræ Inquiſitionis tribunal ſtabilire cuperent, occaſione inde captata Neapolitani ſub idem tempus graves concitarunt tumultus: Populus enim formidabilis hujus tribunalis ſeve-

severitati haud assuetus inde nationis suæ privilegia, libertatesque labefactari arbitrabatur, quapropter seditionem in Inquisitores conflavit. Primo equidem seditiosi populi furorem sedare, gravioris erat momenti, tumultu indies excrescente, unde communis totius Regni rebellio timebatur. Obstabat tamen Pro-Regis prudentia, ac dexteritas, qui edicto publico Judæos omnes, sive Christianam (*) Religionem professos, sive ad illam non conversos nuper ex Hispania adventantes, nulla mora Regno exulare jussit: igitur urbe ab hac fæce perpurgata, ac populo in fide firmato, Pro-Rex Inquisitionem minus necessariam fore ratus, eandem abolevit, id suadentibus iis etiam (**), quorum maxime

Sæcul. XVI. A.C. 1510.

(*) *Mariana l. c. habet*, Judæos omnes, quique ex ea gente Christianis sacris abdicatis *advenerant.*

(**) *Idem ib. scribit:* Pontifex ipse, cujus maxime dignitati Inquisitiones serviunt, ne incommodo tempore eo constituto tribunali gentis tranquilitatem turbarent, auctor erat, ut amoverentur.

Sæcul. XVI. A.C. 1510

me intererat hujus tribunalis conservatio, ut Sedis Apostolicæ auctoritas magis magisque extendi, peropportune posset. Sic brevi toti Regno pristina reddita est tranquilitas, & Ferdinandus continuando Africæ bello rursum strenue incubuit.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXII.

JULIUS II. PAPA.
MAXIMILIANUS I. IMPERATOR OCCIDENT.

§. I.

Julius Papa in obsidione Mirandulana Belliducem agit.

Bayardi Equitis incursione adeo non terrebatur Julius, ut ipsus denuo in aciem copias suas educere statueret; unde die secunda Januarii Anno Salutis millesimo quingentesimo undecimo

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Marian. lib. 30. n. 10.

Sæcul. XVI. A C. 1511.

Bononia profectus, comitantibus eum tribus Cardinalibus ad ſua caſtra conceſſit, ubi in parvula ruſtici cujusdam caſa hoſtilium tormentorum fulminibus ex urbe emiſſis expoſita divertit, neglectis provectæ ætatis incommodis, necnon dignitatis ſuæ ſublimitate; nec magis ſollicitus erat de Concilio, quod (*) convocaturi eſſent, non enim ſibi timebat, ne forte eisdem ſpecioſum exauctorationis ſuæ obtentum ſuppeditaret. Omnibus hisce inſuperhabitis ipſe caſtrorum ordines obequitabat, diu noctuque tormentorum ſuggeſtus perluſtrans, oppugnantium opera urgebat, ac tormenta locari jubebat, nunc milites ſuos blanditiis, nunc minis ſtimulabat, totusque in eo erat, ut obſeſſorum, quorum Pater erat, acceleraret exitium, atque animarum, pro quibus tamen æque ac pro ſua Deo rationem redditurus eſſet, ruinam promoveret (**).

Paris de Graſſis 3. *M. S. Vatic.* pag. 22. *Hiſt. du Chevalier. Bayard. c.* 3. *Raynald. hoc ann, n.* 44. *Spond. hoc ann. n.* 1. *Guicc. l.* 9.

§. II.

(*) *Hanc reflexionem Continuator ex Spondano mutuavit, qui tamen loco citato hæc verba addit:* Alioqui contra fas & æquum.

(**) *Inſulſam Continuatoris Rhetoricam prudens lector nauſeabit. Ergone illi Reges, qui Papam ad armorum ſocietatem inducebant, eundem ad promovendam animarum ruinam excitabant.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. II.

Papa in vitæ periculo.

Nihilominus loci incommoditas, periculi gravitas, aerisque inclementia obfirmatam pugnandi aviditatem devicit; unde Julius per aliquot dies Concordiam ſecedere compellebatur, ubi nuncium accepit, conjurationem Florentiæ conflatam tandem fuiſſe detectam, quippe in Soderinum veneno necandum nonnulli conſpirabant, cum enim hic vir cetera apud Rempublicam maxima auctoritate polleret, Florentinis auctor fuiſſe credebatur, ut iſti cum Francia fœdus inirent. Equidem Papa parum hosce vulgi rumores adverſus ſe ſparſos curabat, cum enim bellandi cupiditate penitus eſſet abſorptus, haud alia ſollicitudo ejus animum occupabat, quam ut cæptos obſidionis labores perficere poſſet, unde quamvis non ita pridem copiis ſuis adfuiſſet, nihilo ſecius tamen veluti abſentiam ſuam incuſabat, moxque ad caſtra, haud eum remorante denſiſſima nivium procella, revertebatur, in quodam Sacello a Mirandulæ mœnibus parum diſſito tentoria ſua figens; cum vero domeſticorum ſuorum plures emiſſis tormentorum globis cæſi fuiſſent, & ipſe tandem locum deſerere coactus eſt, remotiorem indagaturus.

Sæcul. XVI. A.C.1511.

Ceterum nequidquam impenso milites stimulandi ardore, frustra etiam proposita diripiendæ urbis spe, segnius tamen res bellica in obsidione Mirandulæ gerebatur, ex adverso Alexander Trivultius, ejusdem nominis Franciæ Marescalli Nepos, quamvis quadringentos duntaxat præsidiarios numerasset, invicto robore oppugnantium impetus sustinuit, potissimum vero ejus fortitudinem accenderunt sperata recentis militiæ subsidia, quæ Ciamontius adducere credebatur, qua tamen spe ex ejusdem Belliducis errore frustratus est: Is enim Bononia recedens, cum ferme mensis December ad finem vergeret, a bellicis expeditionibus cessandum existimabat, unde pro more tum stabilito exercitus sui peditatum missum fecerat.

§. III.

Papa Mirandula potitus, urbemque ingressus.

Spond. hoc ann. n. 1. Raynald. hoc ann. n. 46.

Præterea Ciamontius cæptam Mirandulæ obsidionem serius compererat, & quamvis accepto rei nuncio, nulla mora accurrisset, nihilominus Pontificis solertia, qua expugnationem urgebat, longe animosior, aut saltem magis erat prospera, quam Ciamontii festinatio, qua urbi succurrere satagebat, quippe nudatis

datis Mirandolæ mœniis, foſſisque tam denſa glacie repletis, ut ad tentandum aſſultum illas viminibus, cæſisque materiis implere haud opus eſſet, tandem præſidiarii milites urbem, murorum ruinis late viam pandentibus, die vigeſima Januarii dederunt, ea lege, ut omnes belli Præfecti in captivitatem abſtraherentur. Deditione accepta ipſe Pontifex per dejecti muri oſtia Victor urbem ingreditur, tanta pompæ oſtentatione, qua majori cujusdam viginti annorum Belliducis victoria vix celebrari poſſet. Captæ urbi quingentos Hiſpanos, trecentosque Italos præſidiarios impoſuit, ut Gallis redeundi ſpem præſcinderet. Demum Mirandola profectus Bononiam revertitur, copiis ſuis Ferrariam, quam obſiderent, contendere juſſis: cum vero laboribus fractus in morbum incideret, Bononiæ ſubſtitit, paulo poſt Ravennam delatus, interea vero ejus copiæ Bondenum, Venetorum autem agmina Cencium in hyberna deducebantur. Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. IV.

Galli Mutinam capere nequidquam tentantes.

Comperta Mirandulanæ urbis expugnatione Ludovicus Galliarum Rex ſuum agnovit errorem in eo, quod Eccle-

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

siæ statibus parcere Ciamontium jussisset, quocirca deinceps Julium II. velut capitalem suum inimicum habere decrevit. Ergo Ciamontius, convocato belli Senatu, ipsoque Ferrariensi Duce adesse rogato exposuit, copias Bondenis propugnaculis admovendas, demum vero Cencienſia castra esse oppugnanda; censebat enim, quod hoc pacto, licet summus Pontifex prospero hujus expeditionis successu haud opprimeretur, saltem imminuta Gallici nominis fama reparari, & Ferrariensis Ducatus ab hostium metu liberari, ac demum Marchio Mantuanus ad Gallorum obsequia compelli posset. Displicuit Trivultio Ciamontii consilium, utilius fore ratus, si aut Bononia, aut Mutina cingeretur: ast prævalente Ferarienſis Ducis sententia, Galli in hostes movent, ipse Dux primum agmen ducit, Trivultius postremum, Calvimontio mediæ aciei imperante, jamque ad unius leucæ distantiam Bondenum nullo obsistente perveniunt: verum occurrentibus, quæ superari haud poterant, obstaculis territi, hostes suos aggredi desperabant, Duxque Ferrarienſis temerarios ausus suos damnabat; equidem Calvimontius ad Mutinenſem urbem castra movere jussit, illamque dura obsidione pressit, sed frustraneo prorsus conatu; obstabant enim aeris intemperies, & continuæ nivium

vium procellæ, ac potiſſimum invicta fortitudo Marci Antonii Columnæ, qui cum præſidiario Pontificis milite urbem tuebatur, cunctosque hoſtium impetus ſtrenue eludebat. Sæcul. XVI. A.C. 1511. *Marian. lib. 30. n. 10.*

§. V.

Mutina Cæſari a Papa velut Imperii feudum reſtituta.

Præterea Rex Catholicus, Gallis omnem occupandæ urbis ſpem præreptu-
rus, conſilium in aſtu, atque ſtratagema- *Guicc. l. 9.*
te quæſivit, Papam compellens, ut Mutinam, eoquod Imperio jure fiduciario obnoxia eſſet, Maximiliano redderet. Ergo juſſu Pontificis Marcus Antonius Columna urbem Vitfruſtro Cæſarei exercitus in Longobardia Præfecto reſtituit, Ciamontius autem, quamprimum Cæſaris vexilla muris infixa conſpexerat, urbem aggredi ceſſabat.

§. VI.

Ciamontii Mareſcalli obitus.

Mutina Cæſari reddita, paucis poſt *Claud. Seyſ-*
diebus Ciamontius Corregii morbo *ſel vit. Lud.*
corripitur, cumque fruſtratæ Bononien- *XII.*
ſis expeditionis tædio afficeretur, atque *Marian.*
acerbiores Gallorum ejus imprudentiam *n. 11.*
incuſantium cavillationes ægerrime fer-

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

ret, tam ardenti febri opprimitur, ut decima quinta ægritudinis die, undecima autem menſis Februarii Anno Domini milleſimo quingenteſimo undecimo vivis ereptus eſſet, quamvis nonniſi trigeſimum octavum ætatis ſuæ annum expleſſet. Corpus ejus Ambaſiam delatum in Templo Franciſcanorum ſepultum fuit. Obitu ſuo plures, eæque ampliſſimæ vacabant dignitates: erat enim Calvimontii, Sagonæ, Meillani &c. Toparcha, Regii Ordinis Eques, ac demum ſupremus Magiſter, Franciæ Mareſcallus & Archithalaſſus, Lutetiæ Pariſiorum, Mediolanenſis Ducatus, ſtatusque Genuenſis, necnon Normannæ Provinciæ Gubernator, denique ſupremus in Longobardia Regis Vicarius. Diverſorum diverſum eſt de hoc Viro judicium, quippe Hiſtoricorum non pauci illum in variis occaſionibus exigua uſum fuiſſe prudentia inſimulant, & ſi quid nominis ſibi comparaſſet, id non propriæ fortitudinis ſuffragio, ſed duntaxat Ambaſiani Cardinalis Patrui ſui favore ſibi conciliaſſe pronunciant: alii tamen Ciamontium commendant tanquam Belliducem dignitatibus, quibus a Ludovico XII. auctus fuiſſet, minime indignum, bello ac pace ſummum, magnisque rebus gerendis maxime idoneum. Uxorem habuit Joannam Maletam de Gravilla Marcuſſis Dominam,

Hiſt. du Chev. Bayard. c. 47.

ex

ex qua Georgium de Ambasia Calvimontii Toparcham susceperit, qui cælebs ætatis suæ anno vigesimo secundo, Christi millesimo quingentesimo vigesimo quarto mense Februario in prælio Papiensi occubuit. Secul. XVI. A. C. 1511.

§. VII.

Trivultius in exercitus Imperio subrogatus.

Ciamontio fatis functo, Trivultius inter Marescallos senii prærogativa primus, Gallici exercitus imperium suscepit, donec alius a Rege præficeretur. Tum unica Trivultium sollicitudo occupabat, ne ipsius exercitus dispergeretur, cetera quamvis summo Pontifici propensus non esset, ejus tamen indignationem, cum natione Italus esset, provocare minime audebat.

§. VIII.

Pontificii, ac Veneti Bastiæ a Trivultio cæsi.

Nihilominus exercitus sui partem, quam Ferrariæ Dux, cum novam quamdam expeditionem moliretur, sibi mitti petierat, recusare haud poterat. Nec huic Ducis consilio optatus deerat successus; Julius enim milites suos emittebat, ut Bastiam cingerent, quæ est urbs exi-

Sæcul XVI. A.C.1511

gua quatuor leucis a Mutina distans, ac parvæ Insulæ, quam Sculteña fluvius alluit, incumbens; re comperta Ferrariæ Dux equites suos Padum continuata serie obsidere jussit, peditesque navibus imposuit, opportuno sane consilio; quippe non modo equitatus, sed etiam pedites, priusquam cæpti itineris notitia ad obsidentes pervolaret, Bastiæ conveniunt, cumque ob aeris asperitatem Urbinatis Dux, qui obsidioni præerat, exploratores emittere neglexisset, præcipua obsidionalis statio a Ferrarienſi Duce intercepta est; ac ipsemet Urbinatis Dux vix non ab eodem captus. Armorum strepitu ad ceteras quoque stationes effuso, milites fuga dilabuntur, exceptis Hispanis, quos Ferrarienſis a fronte adoritur, Bastiæ præsidiariis interea a tergo hostem aggredientibus; ita ut Hispanorum agmen penitus deleretur, victores vero altera die Ferrariam ingrederentur, exiguo admodum suorum dispendio, ac majori longe fortitudinis gloria. Cecidere hostium quatuor, aut ferme quinque millia. Postmodum Trivultius Bastia Stellatem venit, ubi quingentos equites fudit, trucidato eorum Præfecto Leonardo de Prato Rhodiorum Equite, Veneti exercitus Tribuno longe celeberrimo, qui has copias in quadam latebrosa valle absconditas tenebat.

§. IX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. IX.

Ferdinandus Cæsarem a Gallorum studiis avertere conatus.

Rex Catholicus Gallorum potentiam in Italia nimium excrescere, præcipue si Julii Pontificis vires penitus attererentur, haud temere verebatur, hinc Maximiliano significari jussit, quod omnium opportunissimam occasionem negligeret, qua sine sanguinis dispendio quicquid Germani in Italia amisissent, recuperare posset; Gallis vero diutius adhærendo, Pontifici quidem ac Venetis exitium pararet, ast horum ruina tantopere Galliarum Regis potentiam augeret, ut ille demum nullo negotio totius Italiæ imperium sibi vendicare possit; ceterum Germani, inquiebat Rex Catholicus, haud solliciti sint, qua ratione urbes a Venetis usurpatas recuperent, dummodo illis potiantur, præ reliquis tamen magis consultum foret, si Cæsarea sua Majestas Mantuæ conventum ageret, eoque suum Legatum decerneret; certo certius enim eventurum, ut ipse etiam Ludovicus suos Oratores illuc missurus, nec Pontifex quoque hac in parte defuturus sit; cum hic pertimescat, ne a Synodo adversus eum convocanda exauctoretur, de cetero Venetorum Respublica, quæ aliunde cum

Petrus del Angl. epist. l. 24.

Papæ

Sæcul. XVI. A.C. 511

Papæ consiliis lubenter conspirat, facile quicquid ab ea petetur, executura est, præcipue tamen ad id adigi poterit, ut omnia, quæ ab Imperio generatim, ac speciatim a Domo Austriaca tenet, protinus restituat, hoc pacto Germanorum potentia in Italia adeo firmabitur, ut brevi pristinæ auctoritatis splendorem recuperatura sit.

§. X.

Consilium Cæsari probatum, ac Galliarum Regi perscriptum.

Captabat Maximiliani animum fiducia auctoritatem suam in Italia rursum stabiliendi, nec segnius eundem stimulabat ibidem potentiam suam supra Ludovicum extollendi voluptas. His lenociniis expugnatus Cæsar, Regis Catholici consiliis aquievit, hancque in rem ad Franciæ Regem literas dedit, significans, tentandum adhuc esse Regis Catholici consilium, ut summus Pontifex erroris sui plene convinceretur, ei autem rationi locum cedere renuenti haud ultra parcendum, de cetero se nullo pacto, aut cum Julio, aut cum Venetis inconsulto Galliarum Rege concordiam initurum, rogare tamen, ut Rex ad Mantuana comitia protinus Oratorem mitteret.

Guicc. l. 9.

§ XI.

Secul. XVI.
A.C. 1511.

§. XI.

Mantuani conventus convocatio Galliarum Regi varias ob causas probata.

Displicuit Ludovico summopere hæc Maximiliani agendi ratio, præprimis vero, recens illa Cæsarem inter & Ferdinandum amicitia ejus animum variis curis distraxit; nihilominus belli tædio affectus, totiusque Europæ invidiam veritus, Cæsaris voto aquievit, nominavitque Stephanum Poncherium Parisiensem Episcopum, Virum sacrorum Canonum peritia in toto regno longe celeberrimum, necnon in Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus versatissimum; hic ergo mittebatur, ut Mantuano conventui Orator assisteret: igitur Poncherius Mantuam pervenit tertio die post adventum Gurcensis Episcopi, qui velut Cæsaris Minister ad hanc urbem se contulerat, comitante eum Urrea, qui apud Maximilianum Ferdinandi Legatum agebat: ad eundem quoque locum accesserant Hispaniæ Regis nomine Catanensis Episcopus, necnon Hieronymus de Vico.

Sammark. Gal. Christ. Raynald hoc an. n 52. Paris tom. 3. p. 667.

Eodem tempore summus Pontifex Ravennæ agebat; vix autem comperta, quæ Gurcensi Episcopo demandata erat, potestate, Papa illius colloquium appetebat,

Secul. XVI. A.C.1511.

bat, ut ab eo Cæsaris consilia in Conventu proponenda explorare, simulque Præsulem, ne cum Parisiensi Episcopo conspiraret, abstrahere posset: cum vero Gurcensis Antistes fastidiosi arrogantisque genii vir esset, Papa ipsus eidem perscribere noluit, sed Hieronymum de Vico, qui Romæ Arragonicam legationem obibat, datis literis rogabat, ut Gurcensem ad Ravennatense iter inclinaret. Ergo Vicus, aliunde Vir dexteritate, ac animos captandi gratia nemini secundus, Mantuæ Gurcensem Episcopum accedit, tantoque verborum artificio adoritur, ut illum suis votis plene obsequentem dimitteret. Verum toto conatu obstitit Stephanus Poncherius, affirmans, quod Gurcensis Episcopus a Cæsare non Ravennam, sed Mantuam missus fuisset. Nihilominus Vicus simulato in Gallos affectu, ac singulari humanitate Parisiensi Episcopo exposuit, quod ambos ab uno solo Oratore Pontifici commendari, plurimum Cæsaris ac Ludovici interfit, id quoque Christianæ Reipublicæ salus omnino expoſcat, eoquod vel maxime expetendum sit, ut Papa exacerbatus placaretur. Poncherius his expugnatus, Gurcensis Episcopi proposito obluctari destitit.

§. XII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1511.

§. XII.

Gurcensis Episcopus, Bononiæ Papam accedens.

Ergo utrinque sancitum, ut Papa Bononiam usque procederet, eumque Episcopus ibidem conveniret, Parisiensis vero Præsul Mantuæ socii sui adventum præstolaretur. Neminem alium præter Gurcensem Romana Curia unquam pompa magis ad assentationem composita excepit, omnibus aulicis usque ad urbis portam obviam effusis: cum vero Germanus iste Præsul inter ceteros Venetæ Reipublicæ Oratorem penes Papam conspiceret, eum vehementius alloquens, temeritatem exprobrabat, qua coram Oratore Cæsaris, a quo tamen Respublica proscripta esset, comparere præsumeret. *Raynald. hoc ann. n. 52.*

§. XIII.

Gurcensis Episcopi arrogantia coram Pontifice.

Post hæc Episcopus ad sanctiorem Patrum Senatum introducitur, ubi summus Pontifex cum omnibus suis Cardinalibus adventantem expectabat, a quibus etiam singularibus honorum signis exceptus, paucis admodum verbis exposuit, se ab Imperatore suo Domino ad concilian- *Spond. ad an. 1511. n. 8.*

Sæcul. XVI. A.C.1511.

liandam pacem in Italiam missum fuisse, nec tamen illam ullatenus sperandam, nisi prius Veneti, quicquid Cæsaris esset, reddidissent. Papa e Patrum Senatu egressus, cum Episcopo colloquium ab arbitris semotum miscebat, irrito tamen successu; nihilominus haud quaquam territus Præsulem, ut eum a præconcepto averteret proposito, ita allocutus est: paucis ante adventum tuum diebus quosdam sacro Cardinalium collegio adscripsimus, unum, quem tum haud nominare voluimus, nobis reservavimus, suo tempore pronunciandum: his verbis Papa Præsuli haud obscure indicabat, quod secreta illa nominatio non alium ac ipsum tangeret, hæcque dignitas, si Episcopus Papæ votis annueret, ejus præmium foret. Ast Prælatus de mente Pontificis, promissique integritate forte dubius, hisce parum moveri videbatur, nec suam arrogantiam diminui, nec constantiam expugnari patiebatur.

§. XIV.

Colloquia inter tres Cardinales, totidemque Proceres Germanos ab Episcopo nominatos.

Ceterum summus Pontifex, ut hujus viri repugnantiam vinceret, cum forte suorum Cardinalium quosdam se ipso

ipse magis idoneos censeret, eorum tres nominabat, qui cum Episcopo privatim conferrent; hi erant, Cardinalis S. Georgii, Rheggiensis, ac Medicæus, omnes tres ex toto Purpuratorum collegio Viri longe spectatissimi. Verum Gurcensis Episcopus se haud inferiorem ratus, non cum aliis quam cum ipso summo Pontifice agere, animo constituit, neve quicquam suæ derogaret dignitati, ipse etiam pro parte sua tres nominabat Proceres, qui cum deputatis Cardinalibus conferrent. Enimvero in quacunque alia occasione Papa ejusmodi colloquium non sine indignatione dissolvisset, attamen prævaluit vehementior animi sui motus, quo Gallis infensus Regis superbiam frangere statuit, utque proposito suo satisfaceret, cæremoniis aliunde solitis supersedere censuit: quapropter dolori, quem ei Præsulis arrogantia creaverat, imperans, consultationes inter tres Cardinales a se nominatos, totidemque Germanos Proceres haberi consensit; cum autem Pontifici nil optabilius esset, quam particularis Maximiliani cum Venetis concordia, ideo hæc eadem primum erat colloquii argumentum, de quo quidem diu utrinque disceptatum fuit, nihil tamen decisum. Nihilominus quavis consultatione absoluta singuli Delegati suis Dominis gestorum rationem redde- Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

bant, a quibus nova recipiebant mandata, prout unicuique magis expedire videbatur. Ceterum Episcopus, ut Italos deprimeret, mandata nonnisi oretenus prolata exposuit, eaque adeo imperiosa, ut absque suo consilio, ac sententia nec minimum quidquam mutari permitteret.

§. XV.

Concordiæ articuli Cæsarem inter & Venetos rejecti.

Cum igitur Episcopus nihil de proposito suo remitteret, tres illi Cardinales gravi verborum pondere Germanis Proceribus significant, quod tanta arrogantia Sedem Apostolicam vilipendi prorsus indignum esset, cum id saltem decentiæ leges ab Episcopo peterent, ut in Pontificis obsequium de sua sententia in aliquo saltem puncto decederet. Post hæc Germani Proceres Cardinalium preces Gurcensi Episcopo exponebant, qui respondit, Maximilianum cum Venetorum Republica concordiam initurum, ea tamen lege, ut quicquid Imperio, ac Domui Austriacæ eripuissent, restituerent, exceptis Patavio & Tarvisio, quas urbes retinere permitterentur, pactis hisce duabus conditionibus, vi quarum I. has civitates tanquam beneficiaria Imperii præ-

Bembo hist. Venet.

dia

dia poſſiderent. II. Pro inaugurationis diplomate ducenta aureorum millia, ac quinquaginta millia quotannis penderent. Hæc pacta Reipublicæ adeo oneroſa Hieronymus Donatus, apud Pontificem Venetorum Orator, quin novis inſtrueretur mandatis, firmare non audebat. Hac ſuper re Senatores in diverſas abibant ſententias, potiſſimis eorum articulos ita expoſitos omnino rejiciendos eſſe cenſentibus. Nihilominus Epiſcopi poſtulatis reſponderi permittebant, unde ipſimet Venetorum Oratori datum eſt negotium, ut hanc in rem Reipublicæ mentem exponeret, quod & ipſe magna rationum ſoliditate exequebatur: Igitur prætermiſſa diſcuſſione jurium, quæ ad urbes a tempore Cameracenſis fœderis amiſſas Venetis ſuffragari viderentur, Rempublicam illis quibuscunque demum omnibus juribus ceſſuram poſlicebatur, ſolidis autem rationum momentis tuebatur patriæ ſuæ jura, quæ in Tarviſium, Vicentiam, Patavium, ejuſque ditiones in continenti ſitas haberet, ac hucusque conſervaſſet: ad horum etiam defenſionem Orator tam validas attulit rationes, ut hæ nullo reſponſo infirmari poſſent, ac ipſe Pontifex, ſi vel unquam, nunc quoque Venetorum cauſſam manifeſtæ, ac certiſſimæ æquitati inniti cenſuiſſet, niſi eos ad particularem cum

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Secul. XVI A. C. 1511. Cæsare pacem inclinare statuisset; unde reposuit, se justitiæ legibus obstringi, ut Maximiliano, quæ ab eis peteret, pro parte adjudicaret. Demum & ipse Episcopus Gurcensis aliquantulum propositionum suarum asperitatem mitigavit, unde concordiæ spes inter utramque partem affulgere videbatur, sequentibus propositis conditionibus.

I. Veneti, quæ in Foro-Julienſi, ac Histrienſi tractu possident, retineant; II. Pariter Patavium & Tarvisium cum suis territoriis velut beneficiaria Imperii prædia conservent; III. harum ditionum investituram accipiant, ac pro diplomate infra varios temporis terminos Cæsari quadringenta aureorum millia solvant.

§. XVI.

Mantuæ conventus dissolutus.

Verum hæ conditiones nullo fœdere firmabantur; quippe Maximilianus Gurcensi Episcopo, ne pacem cum Venetis ratam haberet, disertis verbis injunxit, nisi eodem tempore Papa cum Galliarum Rege, ac Ferrariæ Duce concordiam stabiliret. Id vero vel maxime Papæ consiliis adversabatur, qui potius pacem Cæsarem inter & Rempublicam conciliare satagebat, eo fine, ut ipsus novo rerum suarum compendio bellum in Gallos

Gallos movere posset: quapropter eo longius Papa a pace aberat, quo propius Galli accedebant, tandemque res eo protrahebatur, ut Episcopus Bononia excederet, postquam ibidem re infecta quindecim omnino dies hæsisset, moxque Mutinam concessit, nec de Curia Romana, nec de Pontifice mentionem fieri ultra sustinuit. Papa re maturius perpensa, suam in Gallos indignationem paulo apertius demonstrasse dolebat, unde quantocius Lusitaniæ Legatum sibi in paucis carum, atque aliunde Maximiliani studiis addictum ablegabat, qui Episcopo abeunti fidem faceret, quod mitiora in Ludovicum XII. statuerentur; Præsul tamen redire detrectabat, quamvis forte denuo placatus fuisset, nisi incidens eventus animum ejus penitus exulcerasset: Bononia enim excedens accepit nuncium, quod Julius induciarum, quas durante Mantuano conventu Galliarum Rex pactus erat, opportunitate usus, in Genuenses clam movisset, qua re Papa Episcopi indignationem, sibique non leve fastidium accersivit; quippe expeditionis propositum cautius occultaturus, Vintemelienſem Episcopum Mercatoris habitu indutum Genuam præmisit; ille vero boum agmen agens, deprehensus, captusque Mediolanum abstrahebatur, ubi totam rei seriem manifestabat. Equi-

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

dem reverentia erga Sedis Apostolicæ Ministrum, aliunde culpam ultronee fassum, Genuenses cohibuit, ne ab eo pœnas exposcerent, ceteri vero complices non eandem indulgentiam experti, una omnes Genuæ variis suppliciis mulctabantur.

§. XVII.

Octo Cardinales a Julio creati.

Priusquam vero Gurcensis Episcopus Bononiam adventu suo honorasset, Julius Papa paulo ante Ravennæ octo Prælatos purpura decoravit; horum primus erat Christophorus Brambiggius, natione Anglus Eboracensis Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis, Henrici VIII. apud summum Pontificem Legatus, qui hanc sibi dignitatem promeruerat, quod Regem a Gallorum partibus abstraxisset, cetera literarum expers, atque insolentis, valdeque intemperati ingenii Vir. II. Antonius Clocchi, quem alii Montanum, seu a Monte dicunt, natione Italus, Siponti Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis, postea S. Praxedis, ac Portuensis Episcopus. III. Matthæus Schiner cognomine Langius, ex Helvetia oriundus, Sedunensis Episcopus, Presbyter Cardinalis tit. S. Pudentianæ, atque Novarriensis

sis Episcopus. Hic idem Pontificis hortatu Helvetios populares suos, ut a Ludovico XII. deficerent, induxit. IV. Petrus Accoltius, patria Florentinus, Anconitanus Episcopus, Cardinalis Presbyter tit. S. Eusebii, postea Gaditanus, Maleacensis, Attrebatensis, & Cremonensis Episcopus, demum Ravennatensis Archipræsul, ac postremo Albanensi, Prænestinæ, ac Sabinensi Ecclesiæ præpositus. V. Achilles de Grassis, Bononiensis, ejusdem urbis Episcopus, Presbyter Cardinalis primo tit. S. Sixti, postea S. Mariæ trans Tiberim. VI. Franciscus Argentinus, patria Venetus, Episcopus Concordiensis, Presbyter Cardinalis tit. S. Vitalis, demum S. Clementis. VII. Bendinellus Saulius, Genuensis, Hieracensis Episcopus, Cardinalis Diaconus tit. S. Adriani, postea Presbyter tit. S. Sabinæ. VIII. Alphonsus Petruccius Senensis, Suanensis Episcopus, Cardinalis Diaconus tit. S. Theodori, sub Leone X. purpura exutus. His Onuphrius perperam adjungit Gurcensem Episcopum nonnisi sub eodem Leone X. Purpuratorum Senatui adscriptum (*).

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

§. XVIII.

(*) *Paggius in Breviario Gestorum Rom. Pontific. Gurcensem sub Julio II. Cardinalatus dignitate decoratum fuisse, ad hunc annum*

Secul. XVI. A.C. 1511.

§. XVIII.

Trivultii exercitus in aciem eductus.

Soluto Mantuæ conventu, mox acrius quam unquam exarsere utriusque partis studia. Trivultius redintegrato bello, die prima Maji exercitum mille ducentis Lanceariis, peditumque septem millibus validum in aciem eduxit, ad Padi litora castra metatus; dum interea adversam fluvii oram Papæ exercitus, cui Urbinatis Dux præerat, occupasset. Equidem ad conciliandos dissidentium animos Rex Catholicus nil intentatum reliquit, ac Cabanillæ, qui apud Franciæ Regem legationem obibat, injunxit, ut Gallo exponeret, eum Regis Christianissimi nomine prorsus indignum esse, si Papam opprimere pergeret, Pontifici haud deesse fautores, facile eum ad sua studia ultra mediam Christianorum Principum partem pertracturum, Ludovici vero Regis partium esse, ut schisma, quod in Ecclesia conflari inciperet, protinus supprimeret, bellique Religioni Christianæ nonnisi

Petr. de Angleria epist. 452. & 453. Guicc. l. 9. f. 271.

---

numer. 48. affirmat, ac referens Spondani sententiam subjungit: Continuator Hist. Ecclesiast. Abbatis Fleury, qui Spondanum transcribit, perinde sicut & ipse opinatur.

nonnisi summe exitiosi flammas extin- Sæcul. XVI.
queret, præsertim cum id eidem facilli- A. C. 1511.
mum foret, dummodo Ferrariæ Ducem tueri desisteret.

§. XIX.

Galliarum Rex contra Hispaniæ Legatum conqueſtus.

His Rex Christianissimus ita reposuit: mihi haud ignota sunt Pontificis consilia; quibus Ferrariensium exitio sibi ad invadendum Mediolanensem Ducatum magis expeditam viam parare nititur, nec me latet, quod a concordiæ consiliis haud alienum foveret animum, nisi Hispanorum armis fulciretur; Rex quidem Catholicus bellum Africanum obtendit, interea tamen suam classem in Hispania ad Mediterranei maris oras, militibus, omnique armorum apparatu instructam in duas partes dividi jussit, quarum una ad Barbariæ oras excurrit, altera vero Neapolim versus vela facit, octo armatorum millia, omnes natione Hispanos, ac selectiorem Ferdinandi militiam secum vehens; hic jam apparatus minime pacis desiderium testatum facit: si vero Rex vester integra fide concordiam meditaretur, abs dubio juberet, ut ejus copiæ a Pontificiis sejungerentur, classisque apparatu belli-

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

co nudaretur. Accepto hoc Ludovici responso, Rex Catholicus quantocius classem, copiasque revocavit.

§. XX.

Trivultius capta Concordia, versus Bononiam movet.

Coccin. de bello Ital. Raynald. hoc ann. n. 58.

Interea Trivultius copias suas Concordiensi urbi admovit, eamque deditione accepit; cum vero Mirandulanæ Comitissæ parens esset, & aliunde Julio infensus, injuriam Comitissæ a Pontifice illatam, quod ejus ditiones occupasset, ulciscigreditur; tunc temporis enim Pontifex Bononia excedere meditabatur, ubi quidem quosdam, qui tamen disciplinæ militaris leges ferme ignorabant, præsidiarios relinquebat, ipse vero discessum suum vehementer urgebat, haud sibi tutum in urbe locum existimans: cum vero Hispanorum copiæ a Rege Catholico revocatæ, atque a Pontificis exercitu sejunctæ redirent, iisdem velut præsidio usus, Ravennam reversus est. Bentivolii comperta Pontificis absentia Trivultio, quocum secreta agitabant consilia, pollicentur, se eidem suorum fautorum ministerio Bononiensis urbis portam tradituros: Ergo Trivultius mox copias suas adducit, urbemque nullo resistente ingreditur; Dux enim Urbinas, qui a Papa Patruo

patruo ſuo hujus urbis Præfectus nomi- Sæcul. XVI.
nabatur, Gallorum adventum, ac clande- A.C. 1511.
ſtina eorum commercia cum Optimatum nonnullis edoctus, non ſine ignaviæ nota unacum ſuis Officialibus, ac præſidiariis Bononia exceſſit: Igitur Pontifex cum ſe proditum cerneret, atque a civibus, etſi adverſus Gallos ſe tueri vellet, potenter defendi deſperaret, in hoſtium manus incidere merito verebatur.

§. XXI.

Bononia occupata; Bentivolii reſtituti.

Solus in urbe remanſerat Cardinalis Legatus, nomine Franciſcus Alidoſius, qui tum apud Pontificem plurimum gratia ac auctoritate valebat, hac tamen inquit Paulus Jovius, omnino indignus erat, ſibique ad tam amplos favores illicitis prorſus mediis viam paraverat. Nihilominus a Julio præter Papienſem Epiſcopatum, ac Cardinalitiam dignitatem, etiam Archiepiſcopali Eccleſiæ Bononienſi præfectus eſt, & quamvis præſens rerum ſtatus uni Viro ſpiritualem, ſimulque politicam jurisdictionem minime concedi expoſceret, hunc tamen Cardinalem Diœceſis ſuæ adminiſtratorem conſtituit, perinde acſi ſpatioſus totius orbis ambitus nullum ultra produxiſſet homi-

Guicc. lib 9. Marian. l. 30 n. 11. Paul. Jov. in elog. t. 4. Raynald hoc ann. n. 59. Ciacon. in Jul. II. t. 3. p. 229.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

hominem, cujus curæ præcipuam partæ victoriæ partem credere potuiſſet; ita nempe non raro prudentiſſimi quique in diſcernendis hominum meritis debita ſagacitare deſtituuntur, ac Principum favoribus munia quidem comparantur ab iis, quos tamen dotes ad ea munia rite obeunda neceſſariæ neutiquam commendant. Cœterum vix Pontifex die decima quarta Maji Bononia diſceſſerat, mox Cardinalis conſilii, mentisque inops hæſit.

§. XXII.

Papienſis Cardinalis Legatus relicta Bononia Ravennam profugus.

Ciacon. l. c. p. 230. Rayn. l. c.

Hic idem Cardinalis, cum ad augenda urbis præſidia mille armatos introducere pararet, a populo occluſis portis arcebatur: id vero apertum ſeditionis ſignum erat, hinc Cardinalis de ſalute ſua deſperans, inaudito ignaviæ probro tam Archiepiſcopalem Sedem, quam urbis regimen deſeruit, primo Forum Cornelii, demum ſub centum armatorum præſidio Ravennam contendit; præſidiarii quoque milites, ut ad ſua reverti poſſent, per urbis mænia proſiliebant, ac nonniſi eorum paucis, quibus animus ad quosvis caſus ferendos conſtantior erat, ſeſe in arce includebant.

§. XXIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. XXIII.

Papæ ſtatua a Bononienſibus diffracta.

Vix Cardinalis Bononia diſceſſerat, cum illico Senatores Bentivoliorum partibus palam adhærerent, eosque velut ſupremos ſuos Principes in urbem reciperent; Venetorum quoque exercitus comperta hac rerum viciſſitudine, per montium fauces ſeſe recepit, ubi tamen potiſſimi aut trucidati, aut a ruſticis exſpoliati ſunt. Tota Bononia Bentivoliis parebat, ſola arce excepta, quam tamen Joannes Vitellius, cui Papienſis Cardinalis curam demandaverat, hoſtibus tradidit, cumque eam Vitfruſtus Maximiliani Deputatus ſuæ poteſtati reſtitui petiiſſet, cives illam ſolo æquarunt, ad id adacti, eoquod Galliarum Regem arci copias impoſiturum vererentur. Poſt hæc populus ſuum in Papam odium exerrere non dubitans, ejus ſtatuam, cujus artifex nominatiſſimus erat Michael Angelus, in terram projecit, atque in fruſta comminuit. Statua hæc Julium Pontificem exhibebat inter militum turmas ſtantem, ac dexteram ad cœlum elevantem, perinde acſi exercitui ſuo bene precaretur. Eandem Julius erigi juſſerat, dum Bentivoliis urbe expulſis,

Ciacon. in Jul. II. t. 3. p. 229.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

sis, (*) Bononiensis urbis possessionem accepit: postea vero illa Bononiensi populo offensionis argumentum evasit; cum enim cives inter se sæpius muffitarent, an formidabilis hæc statua manum elevatam exhibens Papam vel populo benedicentem vel maledicentem indicaret; hinc Pontifex quondam Bononiensium quæstionem edoctus, respondit: „utrum„ que significat, prout cives vel præ„ mio vel pœna se dignos redderent.„ Porro suscitato hoc tumultu Bononienses horum verborum memores, indignationem, rabiemque suam vehementius exonerabant, adeo, ut seditiosorum ope Trivultio jam integrum esset, arma sua ad ampliores victoriarum cursus protendere; quippe Romandiolæ urbes eidem auxiliares manus præbebant, & Foro-Cornelienses, necnon Foro-Livienses civitatum suarum claves porrigebant; cum vero Trivultius ex lege Turonensis conventus non nisi Bentivoliis rursum Bononiam asserere a Rege juberetur, Ecclesiæ statum infestis armis invadere non audebat, ejusque agendi rationem Regi fuisse probatam, nova, quæ paulopost a Franciæ Aula accepit, mandata indicabant.

§. XXIV.

(*) Ope Gallorum *addunt Ciaconius, aliique Scriptores.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1511.

§. XXIV.

Plures urbes a Ferrarienſi captæ; ejusdem Ducis vindicta in Carpienſem Comitem.

Inter hæc Ferrarienſis Dux terrorem ac confuſionem hoſtilis exercitus in rem ſuam vertebat, eademque temporis opportunitate Certum, Plebiſacum, Cotignolam, Lugonem, aliasque nonnullas urbes occupabat, quibus captis Metropolin ſuam ab hoſtium metu liberavit: Præcipue vero de Alberto Pio Carpienſi Principe, quod de ipſo ſiniſtram ſummo Pontifici opinionem ingeſſiſſet, ultionem ſumpturus, potiſſimam Carpienſis Principatus partem ſibi vendicabat.

§. XXV.

Urbinatis Dux a Papienſi Cardinale de amiſſa Bononia poſtulatus.

Ceterum Julius Papa exauctorationis ſuæ injuriam adeo prope inſtare verebatur, ut ſummum Pontificatum diutius tueri vix non deſperaret. Aliquamdiu tamen Ravennæ commoratus, a Cardinale Papienſi inviſitur, ille vero, cum Bononia per ejus ignaviam imo & proditionem capta diceretur, ſiniſtram hanc

Marian. l. 9. n. 111

Raynald. hoc ann. n. 60.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

hanc de se suspicionem amoliri conatus, impacti criminis causſam in Urbinatis Ducem rejecit: Unde haud dubitabat Nepotem apud Patruum perfidiæ insimulare, eidemque objicere, quod clandestine cum Ferrariensi Duce conspirasset, eidemque summi Pontificis consilia, atque jussa prodidisset, eoquod Ducis Neptem Eleonoram, quæ Isabellæ Sororis suæ Filia, ac Francisci Mantuani Marchionis conjux erat, sibi tori sociam elegisset.

Rub. hist. Raven. lib. 8.

§. XXVI.

Cardinalis a Duce in publica platea trucidatus.

Urbinatis Dux hoc probro concitatus, ultionem decrevit: nec prompta defuit illi occasio; quippe, cum Cardinalis quadam die ad Palatium suum frequenti comitatu, magnoque famulorum, suorumque clientum numero stipatus rediret, Dux amicis, suisque militibus cinctus, in media platea Cardinalem adoritur, in eum irruit, manuque propria multis vulneribus confossum occidit. Hujus facinoris indignitas tam impotenti dolore oppressit Pontificis animum, ut lacrimis, atque ejulatibus haud imperare posset; cumque præceps ac temerarium esse soleat judicium plebis, quæ plerum-

plerumque maligna facilitate ad mali ſuſpicionem etiam ex leviſſima alicujus veritatis ſpecie propendet: hinc non deerant nonnulli, qui patrati ſceleris invidiam Pontifici per ſummam iniquitatem creare, necemque ejus juſſu illatam ſuſpicari non horrerent, imo convitiabantur alii, Ducem ex condicto, ac Pontificis conſilio fuga elapſum fuiſſe: quidam tamen Scriptores Julii innocentiam graviſſimis rationum momentis vindicare merito aggreſſi ſunt.

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

In opere, cui titulus Politica Imperialia *apud Goldaſt. p. 1053. Hiſt. fœd. Camer. t. 1. p. 440. Rayn. l. c. Ciacon p. 258*

§. XXVII.

Robertus Cardinalis a Papa ad Trivultium pro concilianda pace miſſus.

Permoleſta erat ſummo Pontifici diuturnior mora in Ravennatenſi urbe, quæ per Papienſis Cardinalis necem funeſtata erat; unde Romam verſus iter aggreſſus eſt: aſt ad doloris cumulum acceſſit, quod Ariminum tranſiens, concilii Generalis menſe Septembri Piſis celebrandi edicta conſpiceret, quæ Galli, ut Papæ terrorem incuterent, affigi juſſerant. Nihilominus Pontifex adhuc in itinere conſtitutus, ut Trivultium vana concordiæ ſpe detineret, Nannetenſem Cardinalem, qui de pace ageret, ad eum ablegat. Hic erat Robertus de Guibe apud

Guicc. lib. 9. & 10. Auberi hiſt. Card. Argentre hiſt. Britan. l. 30.

Sæcul. XVI. A C. 1511. apud Rhedones in Britannia Episcopus, cujus Mater fratrem habebat nominatissimum illum Landasium Britanniæ Ducis clientem; ipse vero, quamvis natione Gallus, nihilominus apud summum Pontificem plurimum gratia valebat, a quo Anno Domini millesimo quingentesimo quinto Cardinalium numero adscriptus est, ejusque animum Papa adeo dextere in partes suas pertraxit, ut contra ipsum Regem Pontificis partes tuendas susciperet; quapropter etiam beneficiorum, quæ in Galliis possidebat, reditibus spoliabatur: Hunc ergo Cardinalem Trivultius benevole excepit, eique hunc in modum respondit: Rex Julio Pontifici quasdam proposuit conditiones, quæ tamen ab eo fuerunt rejectæ, nunc alias offerre Regiam suam dignitatem haud decet: igitur Pontificis erit, aut priores acceptare, aut novas proponere hancque in rem temporis induciæ indulgebuntur, memori tamen mente recolendum venit, nunc mutatam esse rerum faciem. Ast de hac concordia haud amplius actum fuit; gravius enim negotium vehementer occupabat Pontificis animum: id autem erat convocatio Pisani Concilii, cui ut adesset, seque sisteret, Galli Papam vocabant.

§. XXVIII.

Sæcul. XVI.
A C. 1511.

§. XXVIII.

Concilium adversus Julium Pisis convocatum.

Nonnisi post crebras disceptationes urbs Pisana seligebatur; Maximilianus enim in quadam Imperii sui urbe, vel Constantiæ, vel alibi Synodum celebrari peroptabat; Itali vero fidei a Cæsare datæ, quam toties in aliis occasionibus fefelliſſet, (*) diffisi, patria sua excedere renuebant. Ludovicus quoque Galliarum Rex Lugdunum offerebat, cum vero hæc urbs Cardinalium voto minus arrideret, Pisana civitas seligitur, cum hæc nec Cæsari, qui supremus illius Princeps erat, nec Galliarum Regi, qui Florentinis amicitia jungebatur, nec ipsi etiam Pontifici suspecta erat, cum ipsus eandem præter status Ecclesiastici urbes, ceteris totius Italiæ civitatibus longe magis commodam censere cogeretur; Insuper consuetis militum præsidiis Concilii securitati jam satis cautum erat, vilique pretio commeatus emebatur, ipsa territorii

Raynald. hoc ann. n. 5. & 7.

(*) *Nunquam Maximilianus datam fidem violavit, nisi quando ab aliis nequiter seductus, rem pollicitus esset, cujus promisso stare, cognito errore Religio prohibebat.*

Sæcul. XVI A.C. 1511.

torii fertilitate abundantiam suppeditante; accesserat enim maris opportunitas, cum enim pelagus urbi vicinum esset, excitato forte tumultu, promptum, tutumque discessum offerebat. Ægerrime quidem Florentini hanc urbem concesserant, nec unquam assensu suo suffragati sunt, nisi data prius fide, quod nulla iis, qui Synodo interessent, vis inferretur.

Marian. l. 30 n. 12. Spond. ad ann. 1511. n. 9. Raynald. l. c. n. 2.

Electione loci facta, Galli omnes in id curas intendebant, ut Synodus convocaretur, ne vero ad agendum hunc conventum Papæ consensus deesset, eum adire decernebant. Hoc obsequii genus præprimis Maximilianus, ac Franciæ Rex Pontifici deferebant, eidem hæc significantes: postquam Cardinales ad vestræ Sanctitatis electionem convenerant, totus Purpuratorum Senatus solemni Sacramento sese obstrinxit, ut is, quemcunque inter eos ad summi Pontificatus honores assumi contingeret, evoluto biennio ab electionis suæ tempore Synodum generalem convocaret, velut unicum Ecclesiæ calamitatibus obviandi remedium; Vestra quoque Sanctitas cum ceteris idem juramentum præstitit, hucusque tamen necdum exsolvit: unde rogamus, ut mala inde aucta necnon officii sui rationem perpendat, vi cujus ea mala tandem tollere adstringitur: communis enim es Reipublicæ Christianæ Pater, proin fidelium

miseriis vehementiori ac ceteri, commiseratione sensu tangi debes, præsertim cum tuam opem implorent. Ast Julius hos sermones ægre ferens, nullum non movit lapidem, ut horum consilia sibi summe exitiosa everteret. Cum igitur Cæsar, Rexque Pontificem flecti nescium experirentur, suos Legatos ad S. Crucis, Narbonensem, & Cosentinum Cardinales, Mediolanum mittere statuunt, qui eos rogarent, ut ipsimet Synodum convocarent. Legati ergo die decima sexta Maji præfatis Cardinalibus demandatum exponunt negotium, quod illi lubenti quidem animo acceptant, trinam tamen conditionem sibi promitti postulant. I. Cæsar, atque Galliarum Rex tam Synodum quam eidem interfuturos potenti suo præsidio tueantur. II. Neuter eorum Concilii dissolutioni aut translationi consentiat, absque potioris congregatorum partis assensu. III. Observetur norma in Constantiensi Concilio præscripta, qua plenæ libertati ac securitati cautum sit.

Secul. XVI. A. C. 1511.

§. XXIX.

Concilium Pisanum Cardinalium auctoritate convocatum.

His conditionibus per Legatos suorum Principum nomine acceptatis, tres

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

præfati Cardinales cum sex aliis, (*) Concilium generale die prima Septembris Pisis celebrandum indixerunt, literasque convocationis affixerunt, quæ duo instrumenta complectebantur, quorum unum Cæsaris, Regisque Christianissimi nomine, alterum auctoritate Cardinalium Mediolani promulgatum fuit, utrumque tamen in eandem ferme sententiam conceptum videtur, ibique exponitur, eos, qui hanc Synodum convocassent, unice intentos esse, ut Ecclesiam in suo capite membrisque emendarent, manifesta crimina, obstinatos, atque correctionis impatientes castigarent, qui universali Ecclesiæ dudum gravissime offensioni fuissent: præterea dicebant, ex ipsa dignitate, qua in Ecclesia fulgerent, ipsis ad convocandum Concilium sat auctoritatis suppeditari; præsertim cum aliunde Synodi celebrandæ necessitas urgeret, eam vero a Papa indici, haud ultra sperari posset; *Synodum Constantiensem*, addunt, *de ejusmodi necessitate persuasam fuisse,*

Raynald. ad ann. 1511. *n.* 7. *Paris. de Grass. t.* 3. *p.* 680. *Ciacon. in Jul. II. t.* 3. *p.* 228.

(*) *Ex his Cardinalibus alios, nomina sua se inscüs, atque inconsultis fuisse apposita conquestos esse, potissimam vero illarum partem publicis tabulis hos tres Cardinales falsitatis arguisse, testatur Paris de Grassis tom.* 3. *p.* 680. *& Raynaldus num.* 7. *vid. §.* 31. *hujus libri.*

fuisse, indeque decreto sanxisse, singulis de
cenniis Concilium celebrandum esse, hunc ter-
minum expirasse, Julium tamen non modo
nullum convocasse, sed semper Synodum in-
dici petentium vota elusisse. Denique in hisce literis ipsum Pontificem Pisano Concilio vehementibus quidem, sed impudentissimis verbis adesse jusserunt.

Saecul. XVI. A. C. 1511.

§. XXX.

Papa convocationis nuncio turbatus.

Julius horum audacia adeo terrebatur, ut dimisso belli consilio protinus Romam reverti decerneret, ut dexteritate sua ac prudentia, si fieri posset, impendentem malorum procellam averteret: ast ardua omnino res erat, qua implicabatur, indeque, ut eluctaretur, nil reliquum habebat, quam ut Cardinalium, quos velut schismaticos detestabatur, consilia everteret, ac temerarios eorum insultus reprimeret.

§. XXXI.

Alia Synodus a Papa Romæ convocata.

Tandem pluribus mediis nequicquam adhibitis, Papa Maximilianum segnius Synodi celebrationem urgere, ac de ipsius

Bullar. t. I. Jul. II. Const. 17.

Sæcul. XV. A.C. 1511

loci selectu adhucdum suspensum hærere edocebatur; proin ex sententia Cardinalis de Monte Synodum Oecumenicam huic conventui opponere statuit, hancque in rem die decima octava Julii Constitutionem edidit ad omnes Christianos Principes directam, in qua Generale Concilium Romæ in Ecclesia S. Joannis in Laterano celebrandum indixit, cunctisque Orbis Christiani Episcopis, ut quantocius adessent, præcepit, indicta pœna exauctorationis ab eorum dignitatibus, atque privationis a beneficiis: Solemni autem hujus Synodi initio præfixit diem undevicesimam Aprilis anni sequentis millesimi quingentesimi duodecimi.

Conc. Labbe collect. t. 13. sub fin. & t. 14. Ciacon. in Jul. II. p. 228.

In hac Constitutione Papa totam suscitati tumultus seriem prosequitur, innocentiam suam vindicat, & hostium suorum temeritatem acrius exprobrat; *Quidam Cardinales*, inquit Pontifex, *qui, dum pro recuperandis nonnullis Romanæ Ecclesiæ terris Bononiam accederemus, nobiscum venire simulaverant, & nostra licentia ab urbe recedentes Florentiam diverterunt, & licet se venturos obtulissent, eosque ad nos Bononiam vocari feciſſemus, nihilominus tanquam membra insana sine legitima causſa a suo Capite recedentes, armis, satellitibusque stipati, & pro Sacerdotalibus vestibus thoracem induti, & gladiis armati Papiam se contulerunt. Quo cum per-*

pervenissent, stimulo conscientiæ agitati reditum ad nos postularunt, & pro desertionis venia supplicarunt, quam benigne obtulimus. Sed ipsi ausi sunt Pontificalem auctoritatem sibi ipsis adscribere, sine Romani Pontificis auctoritate universale Concilium convocare, locum Concilii & tempus indicere, & valvis Ecclesiarum, aliisque publicis locis per publica instrumenta, etiam falsa indictionem hujusmodi publicare, eisdemque instrumentis falsis public atque impudenter uti quosdam S. R. E. Cardinales sui propositi socios declarando, qui tamen publicis & privatis scripturis eorum propriis manibus scriptis, se illis in hujusmodi proposito, neque verbo, neque scripto nunquam junxisse, seu quomodolibet consensisse protestati sunt.

Sæcul. XV. A.C. 1511.

§. XXXII.

Vindiciæ Pontificis in hac Constitutione.

Iidem vero Cardinales Summo Pontifici objecerunt, *asserentes, decennium post ultimum universale Concilium etiam contra Constitutionem Concilii Constantiensis jam dudum effluxisse, maxime cum Papa juravisset, & vovisset, illud post biennium ab electione sua tenere, tempusque interpellare, & cum de gravibus criminibus notoriis durantibus universalem Ecclesiam scandalizantibus*

Raynald. l. c. n. 9. Act. Concil. Later. Bull. Const. 27.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

tibus in capite agendum foret, ad ſummum Pontificem Concilii congregationem non attinere, ſed ſecundo loco ad Cardinales, qui Pontifici in negligentia non adhæſerunt, convocationem Concilii ſpectare.

Ad diluendam hanc calumniam Julius reſpondit: *Hæc omnia ut falſa, ficta, commentitiaque ſunt, & non ex zelo charitatis & religionis, ſed odii fomite, & inimicitiæ procedentia, ita omnibus cupimus notum fieri, quod nihil nobis per ultimos undecim annos, quibus Cardinalatus officio functi ſumus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale Concilium, & Romanæ Eccleſiæ ſtatum in melius reformari. Quid enim Alexandro VI. magis nos odioſos fecit, niſi ſtudium generalis Concilii celebrandi? examinent quoque hi Cardinales, & inſpiciant omne ſtudium in Pontificatu noſtro circa præmiſſa: nonne omnes Principes Chriſtianos admonuimus de celebrando generali Concilio, deque expeditione in Turcas conciliariter decernenda? Nonne primo Pontificatus noſtri biennio Chriſtianos potentatus pacare ſtuduimus, ut conciliatis animis Concilium iniretur. Nulla ergo noſtra culpa dilata eſt Generalis Concilii indictio, ac celebratio. Diſtulit hæc infelicitas temporum, & inſtans neceſſitas recuperandi terras, & jura Romanæ Eccleſiæ.*

Demum proſequitur Pontifex, *ſi tam ardenter tribus hiſce Cardinalibus cordi eſt, ſe*

Sæcul. XVI. A C. 1511.

se caput generalis Concilii constituere, prius discant, & revolvant Sanctorum Patrum, & Romanorum vitas Pontificum, & antiquum morem indicendi & convocandi Concilium, traditiones & leges super his editas inspiciant, videbunt hujusmodi Concilia a solis Romanis Pontificibus esse indicta, & aliter indicta, rata non fuisse. Quod vero attinet ad Constitutionem Concilii Constantiensis: ea ad octoginta annos servata non fuit, & si servata fuisset, ex caussis prædictis eam licuit nobis transgredi; votum autem & juramentum, quod ex prædictis caussis de jure nobis transgredi licuisset, transgressi non sumus, quandoquidem legitimo impedimento detenti non potuimus observare. Quod autem confingant in nos crimina, non miramur, quoniam, teste Hieronymo, schismatici, cum dubitant caussas suas damnari, in contumelias prosiliunt. Legant gesta Concilii Constantiensis, reperient Joannem Papam XXIII, de cujus caussa agebatur, Concilium hujusmodi indixisse, proin ad summum Pontificem spectet, & pertineat congregare Concilium, etiamsi de sua caussa agatur. Sed si hæc omnia cessarent, qua ratione ad pauciſſimos Romano Pontifici eorum ambitione infensos, ac schismaticos poterit potestas universalis Ecclesiæ devolvi, imo potius ab eis usurpari? Adjiciamus ergo nunc hujusmodi potestatis abusum ostendere. Trium mensium & quatuordecim

Secul. XVI A.C. 1511.

cim dierum tempus in ſuo, ut volunt, edicto ſeu convocatione aſſignant, num poterit tam brevi temporis ſpatio remotiſſimis Nationibus Chriſtianis innotuiſſe &c. . . . Præterea loci ratio indictionem ipſam nullam reddit, quis enim ignorat, Piſas urbem ad eam deſolationem bello redactam, ut rariſſimæ domus integris parietibus in illa conſiſtant, & ferme nullæ ſint, quæ contignationibus, & ſolariis muniantur &c. . . . nec tutus eſt ad Piſas acceſſus, vel in ea manſio. &c.

Igitur ex præmiſſis, aliisque notiſſimis cauſſis, & habita ſuper his cum S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem conſilio, & unanimi conſenſu, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine indictionem ſchiſmaticæ conventiculæ, & Eccleſiæ malignantium auctores, ac ſchiſmatum ſocios, & alias ſupradictas indictiones procuratorio nomine Maximiliani electi Romanorum Imperatoris, & Ludovici Francorum Regis Chriſtianiſſimi publicatas, omniaque & ſingula in eis, & contenta, & inde ſecuta quæcunque reprobamus, revocamus, & annullamus, diſtrictius ſub anathematis, & maledictionis æternæ ac dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque ſæcularium vel regularium privationum, omnibus cujuscunque dignitatis prohibemus, ne quovis pacto ad hujusmodi conciliabulum accedant, conſilium, auxilium, vel favorem præſtent.

§. XXXIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. XXXIII.

Alia Bulla contra tres illos Cardinales præcipuos Piſani Concilii Auctores.

Edita hac Conſtitutione, qua Concilium Romæ celebrandum indixit, Pontifex aliam Bullam promulgavit adverſus Carvajalum Piſani Concilii auctorem, Cardinalem de Borgia, ambos natione Hiſpanos, necnon contra Cardinalem Briſſonetum, ſuppreſſis ceterorum nominibus, utpote quorum auctoritatem minoris habebat. In hac Bulla niſi intra ſexageſimum quintum diem ſe Romæ ſiſterent, eos dignitate Cardinalatus, cunctisque dignitatibus privatum iri comminabatur. Hac ſententia, inquit Mariana, ſeditioſi iſti Cardinales velut fulmine tacti hærebant; convocata enim Synodo Julius non modo perverſa eorum conſilia evertit, ſed & ſpecioſum adimebat prætextum, quo ſuam a ſummo capite defectionem honeſtare conabantur. Nihilominus Papa ceteroquin ad iram proclivis, cum Synodum Romæ celebrandam nonniſi invitus convocaſſet, vix ultra intra moderationis limites ſeſe continere poterat, hinc indignationem, doloremque ſuum quacunque data occaſione effundebat: Ubique divulgabat, in proxima Synodo

Guicc. lib. 10
Spond. hoc ann. num. 15.

Marian. lib. 30. n. 17.
Raynald. l. c. n. 24
Ext. de eo literæ in append act. Conc. Piſan. p. 160.

Secul. XVI. A.C. 1511.

do de rebus maximi momenti agendum esse, matrimonium Annæ Reginæ cum Rege Christianissimo nullum esse declarandum, Aquitannos & Normannos populos a fidei Sacramento Galliarum Regi præstito absolvendos, eoquod ille utramque hanc Provinciam a suis Prædecessoribus per nefas Anglis ereptam usurparet. Has tamen minas Pontifex nonnisi Gallis terrorem incutiendi animo intentabat; ita nempe

Ira, quæ tegitur, nocet
Professa perdunt Odia vindictæ locum.

§. XXXIV.

Epistola Pisanorum Cardinalium ad Romanos.

In act. Conc. Pis. sub Jul. II. anno 1511. *impress. Paris. in ann.* 1512. *p.* 67. *& seq.* *Raynald. ad ann.* 1511. *n.* 20.

Cardinales, quamvis ingenti terrore perculsi essent, in suo tamen proposito obfirmati, Pisano suo Concilio initium dare parabant; unde Procuratores, qui illud inchoarent, ablegant, atque ad Epistolam, quam Episcopus Alexandrinus nomine Cardinalium Romanorum ad eos die sexta Augusti perscripserat, respondent hunc in modum: *Quoniam desideramus reformationi & paci Ecclesiæ consulere, hinc ejus procurandæ caussa ad tempus*

pus a Romana Curia ſeceſſimus, necnon com- Sæcul. XV.
municato conſilio cum aliis Cardinalibus, & A.C. 1511.
Principibus reſpondebimus circa literas, quas multimoda relatione audivimus contra nos datas, cum humilitate tamen & veritate a nobis prodibit reſponſum.

Inprimis ergo commendabitis nos Dominationibus ſuis Reverendiſſimis, illis etiam habebitis innumeras gratias pro officio charitatis ſuæ per Paternitatem veſtram nobis oſtenſo, & verbis ſignificato, quamvis multum doleamus Cardinales Romanos præſtitiſſe aſſenſum vel conſilium in tam graviſſimis monitionibus, & cenſuris contra nos prolatis, ſignanter etiam vocando nos cum cenſuris ad locum nobis notorie non tutum. Vobis dicimus, nos hactenus manſiſſe & manere, & ſi per errorem aliquorum non ſtat, ſemper manere velle, in obedientia ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & bona fraternitate Cardinalium, de quo proteſtamur, niſi quod juxta doctrinam Innocentii IV. præceptiones Apoſtolicæ de notorio periculo ſalutis æternæ, vel corporalis vel turbationis ſtatus univerſalis Eccleſiæ, & unde multa mala ventura eſſent, audiri quidem poſſunt, ſicut a Domino dicta, ſed non impleri, vel admitti. Quinimo poſſunt, & debent declinari, & ab illis provocari, qualis nobis eſt hæc præceptio comparitionis perſonalis in urbe, quæ notorie nobis induceret vitæ periculum, & timorem juſtiſſimum,

Secul. XVI A. C. 1511.

mum, quibuscunque salvis conductibus associetur. Plures sane Cardinales, & etiam Sanctissimus Dominus Papa in minoribus multo tempore fuerunt absentes, forte minoribus de caussis, quam nos.

Dein prosequuntur: *Significabitis, quod nos pro maximis & necessariis caussis securitatis vitæ & libertatis nostræ ac reformatione Ecclesiæ ex Florentia discessimus, non ut malum aliquod, sed grande bonum Ecclesiæ afferemus, quod per nostros Commissarios ex Florentia Sanctissimo Domino nostro, & vobis significavimus, qui Commissarii vel auditi non fuerunt, vel territi, re infecta sine responso recesserunt. Nos,* inquiunt illi, *pro certo tenemus, indictionem Concilii Pisani per nos & Principes factam ex præcepto universalis Ecclesiæ justissimam esse, & jurisdictionem convocandi Synodum fuisse hac vice juris ministerio devolutam ad indictores Pisani Concilii, quod Principes viribus omnibus prosequi intendebant, & nunc certe prosequentur. Nos tamen voluimus illis conjungi, ne ecclesiasticæ Aristocratiæ jus periret; credebamus certe Sanctissimum Dominum nostrum, & Cardinales aliter ad admonitionem Principum sæcularium nobis responsuros. Ceterum in Pisano Concilio in rebus tangentibus sanctissimum Dominum nostrum, & Romanam curiam ad aliquod tempus temperabimus, dummodo ipse Dominus noster omnes has præceptiones personalis*

sonalis comparitionis, & noſtræ ceſſationis a Concilio auferat, vel ſuſpendat usque ad tempus, quo de loco tuto & neutrali Oecumenici Concilii cum ipſo Sanctiſſimo Domino noſtro conſulatur. Locus enim urbis Romæ in hac rerum occurrentia liber & tutus non eſt nobis ſignanter tam propter arces, quam propter gentes & Capitaneos aſſuetos libertatem Cardinalium facile violare; Patres enim in Concilio undequaque debent eſſe liberi, ad hoc, quod Spiritu ſancto regantur, Apoſtolo referente, ubi Spiritus Domini, ibi libertas. *Credimus igitur Reverendiſſimos Dominos Cardinales bona mente incedentes proſus in hoc nobiſcum conventuros, nec petituros a nobis, aut aſſenſuros peti, quæ ſine periculo interitus utriusque vitæ præſtare non poſſumus, & jam neceſſe erit ex utraque indictione Concilii vel utrumque teneri, quod hæreſim ſaperet, cum Eccleſia univerſalis ſit una, vel alterum concordari: cum enim a tot annis nulla fuerint Concilia generalia, & ſi quandoque aliqua congregata fuerunt, quæ a centum annis quaſi fuerunt quinque, videlicet Piſanum, Conſtantienſe, Senenſe, Baſileenſe, & Florentinum, ex multis tamen impedimentis, & cavillationibus Eccleſia cum effectu reformata non fuit, & omni die ager Dominicus tribulis obſitus in immenſum excrevit, adeo ut oporteat illum neceſſario per Concilium purgari.* Data eſt hæc trium Mediolanenſium Cardi-

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

II. Cor. 3. v. 17.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

nalium epistola Mediolani in castro S. Donnini die quarta Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo undecimo. (*)

§. XXXV.

Apologia Pisani Concilii ab ejusdem Patribus publicata.

EodemMense Septembri Patres pro Concilio suo apologiam divulgarunt, quæ in eodem Burgo prope Parmam die vigesima septima ejusdem Mensis Cardinalium, Prælatorum, aliorumque hujus Synodi membrorum nomine concinnata fuit. Querebantur illi passim verbis nimium vehementibus contra summum Pontificem, ac præprimis exponunt, nihil magis proprium esse Ecclesiæ, quæ Christi Sponsa est, quam humilitatem, constantiam, & veritatem, se hanc apologiam eo duntaxat consilio concinnasse, ut ad duplicem Pontificis epistolam asperis, & amaris verbis plenam responderent; postea humiliter ac modeste Patres se opponebant illis, qui Julio Papæ au-

In act. Pis. Conc. II. p. 5. & seq.

(*) Edmundus Richerius, qui hæc acta recitat, hanc epistolam undecima Septembris datam testatur.

auctores exstiterunt, ut Lateranense Concilium indiceret, & Pisanos Præsules censuris perstringeret, demum vero quatuordecim crimina ipsis objecta diluere, omnesque rationes, quibus Papa suam agendi rationem vindicabat, dissolvere nituntur, significantes, quod nunquam supremi Papatus aucupandi cupiditate stimulati fuerint, sed unice regimen Aristocraticum a Christo Domino D. Petro concessum restaurare velint: allegant quoque rationes, quibus permoti a Romana Curia recessissent, eoquod, inquiebant, ibi nec libertati, nec vitæ nostræ securitati satis cautum fuisset, adduntque quod mandata Sedis Apostolicæ, quando ex iis evidens periculum imminet, audiri quidem, sed non impleri possint. Fatentur se quidem armatorum præsidio stipatos auffugisse, id tamen fuisse factum causantur, ut a discrimine atque Concordiensis Episcopi insidiis tuti essent, cum alias illius fraudes ac dolos haud effugere potuissent, nisi alienis vestibus induti incessissent. Tandem ad amborum Cardinalium, qui se Pisani Concilii convocationi consensisse inficiabantur, rationibus respondent. Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. XXXVI.

Convocati Concilii obtentus.

Præterea ostendunt, equidem ex sacrorum Canonum præscripto, ac ex lege ordinaria Synodos a Pontifice esse convocandas, non tamen deesse casus, in quibus etiam absque illius auctoritate Concilium indici, ac congregari valeat. Postea Pisanæ suæ Synodi convocationem quatuor ex causis honestare nituntur, nimirum primo ob Ecclesiæ præceptum II. propter Pontificis votum, III. ob Cardinalium juramentum, IV. propter maximum scandalum evitandi necessitatem Concilium ab ipsis fuisse convocatum asserebant: Porro Ecclesiæ præceptum derivabant ex Sessione trigesima nona Concilii Constantiensis, atque rationibus eidem objectis, necnon iis, quæ Julii fautores ad excusandum hoc juramentum protulerant, respondent; demum Pontifici exprobrant, quod Romæ suum Concilium indixisset, militum turmis cinctus (*), non tam tuendæ libertatis, & Ecclesiæ reformandæ studio, quam auctoritatem suam firmandi cupidine, cum econtra ipsi Pisanam Synodum convocassent adhucdum Romæ agentes; Cæsaris enim

(*) Vide §. LII.

enim edictum jam decima sexta Januarii, Gallorum Regis autem decima quinta Februarii die datum ajebant, hanc tamen convocationem promulgare minime se ausos declarabant, eoquod metuerent Pontificis indignationem ipsis satis probatam, atque cognitam. Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Demum quæstionem discutiunt, utrum Papa in propria causa Concilium convocare valeat, & an Joannes XXIII. contra se ipsum Constantiensem Synodum indixisset; cum vero Julius eisdem angustum temporis spatium objecisset, Patres respondent, atque demonstrant, adhuc arctiorem fuisse terminum, infra quem primitivæ Ecclesiæ adesse jubebantur; urbem quoque Pisanam maxime congruam, ac congregandis Patribus peropportunam dicunt, unde in memoriam revocant primum Concilium in hac urbe anno millesimo quadringentesimo octavo ad extirpationem schismatis celebratum, necnon confluentium Prælatorum frequentiam; Romam vero, ex quo arcibus, munimentis, præsidiisque per Romanos Pontifices firmata esset, celebrandis Conciliis haud amplius aptam asserebant, cum Spiritus sanctus nonnisi animabus liberis afflaret, eoquod ibi libertas sit, ubi Spiritus Domini, proin cum Julius Romæ exercitu stipatus resideret, hæc urbs haud

Sæcul. XVI. A.C. 1511

tutum foret receptaculum illis, qui de necessitate, qua Ecclesiæ decor stabili emendatione restitui deberet, agere desiderant. Denique hanc apologiam absolvunt eludendo censuras, quas Papa contra Patres pronunciaverat, simulque demonstrant, quod ad revocandum primævum Ecclesiæ nitorem, ac veterem disciplinam Ecclesiasticam solide reddendam omnino liberi Concilii celebratio necessaria sit (*).

§. XXXVII.

(*) *Habetur etiam in actis Conciliabuli Pisani pag. 71. & seq. Concilii Pisani apologia a Philippo Decio, celebri Jurisconsulto Mediolanensi consarcinata, quæ tamen vix non iisdem principiis innititur.* Ita nempe, *exclamat Spondanus*, nulla fuit unquam tam injusta causa, quæ non etiam egregios defensores nacta fuit. Hanc vero Decii apologiam Angelus Anachorita Vallis Umbrosæ, solidius vero Thomas de Vio Cajetanus Ord. FF. Prædicatorum, Franciscus Poggius, aliique pietate ac scientia Viri clariſſimi confutarunt. *Quapropter haud satis mirari possumus, qua ratione Continuator hoc conciliabulum contra ferme omnium Scriptorum, ac nationis quoque Gallicæ Doctorum sententiam appellare audeat* Synodum Oecumenicam, *illiusque membra honorifico* Patrum *nomine dignari præsumat. Integrum omnino librum conscribere deberem, si omnium Auctorum dicta, ac censuras, quibus hunc con-*

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. XXXVII.

Instrumentum appellationis contra citationem Pontificis a Pisanis Cardinalibus subscriptum.

Postquam Cardinales cuncta, quæ Papa adversus Pisanæ Synodi convocationem decrevisset, nulla declarassent, duos Viros nominant in actis Concilii re- *Goldast. de Monarchia* I. 2.

conventum malignantium perstringunt, colligere vellem, sufficiat cum Natali *Alexandro in sua Histor. Eccles. Sæcul. XV. Dissert. XI. Articulo IV. asserere*, Pisanum hunc Conventum nec Generalis nec legitimi Concilii nomen & auctoritatem obtinere posse I. ex tumultuaria convocatione ejus abs necessitate, invito Papa nonnisi a pauciori Cardinalium Pontifici infensorum numero facta. II. Ex eo quod Julius negligentiæ & contumaciæ in convocanda Synodo, quam ob temporum tumultus non poterat, argui non potuerit Concilii celebrationem differendo. III. Quia Ecclesiam universalem non repræsentabat, utpote ex solis duobus Archiepiscopis & quatuordecim Episcopis unius duntaxat Nationis constans. IV. Ecclesiæ necessitati, si quæ fuit, Papa sufficienter providit per Lateranense Concilium generale, ac legitima auctoritate indictum. Ipsimet Cardinales hujus Conciliabuli auctores hunc conventum solemniter detestati sunt velut spurium Concilium

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

censitos, scilicet Joannem Baptistam de Theodoricis seu Theodorum Doctorem, & Franciscum de Ferio, quibus datum est negotium, ut Cardinalium nomine con-

cilium, i sique Lateranensi Concilio adhæserunt. VI. Denique omnes Principes Christiani, Regna Catholica, & Ecclesiæ particulares, atque ipsimet Reges, qui huic conventui adhæserunt, illum quasi conciliabulum ejurarunt. Nam Maximilianus Imperator *revocabat quodcunque mandatum a se qualitercunque concessum Pisano conciliabulo*, & omnia *acta & agenda per illud Conciliabulum irrita & nulla declarabat.* Ferdinandus Arragoniæ & Siciliæ Rex & Joanna Castellæ Regina præceperunt, *ne Pisanum Conciliabulum longius procederet, sed tanquam per injuriam, perperam & inique congregatum dissolveretur, & pernicioſissimum schisma tolleretur.* Ipse Ludovicus XII. Galliarum Rex conventum hunc nonnisi *prætensum Concilium* appellabat, eidemque adhærentes *pro Schismaticis* haberi voluit, ac demum, quo loco ipsemet Rex hunc cætum habuerit, Anglerius Epist. 465. 477. 484. satis aperte indicat, scribens: *Cum Cabanilla Ferdinandi Regis in Francia Orator apud Ludovicum Galliarum Regem conquereretur, quod conciliabulariis faveret adversum Romanum Pontificem, Regem subridendo respondisse, larvam esse, ac jocosam declamationem, figmentumque inane illorum consilia, occasionemque sumptam ab eis, ut*

Papam

conficerent instrumentum, in quo suam a citatione Pontificia, ac facta celebrandi Concilii inhibitione appellationem exprimerent, necnon securam in loco tuto, ac neutrius partis studiis addicto conveniendi facultatem assererent. Horum Deputatorum primus in Synodi actis Civis Romanus, artisque Medicæ Doctor, alter vero Placentinus Clericus fuisse dicitur; ambo autem Romam delati, nomine Mediolanensium Cardinalium, qui Pisanam Synodum indixerunt, Papam, ac Purpuratorum Senatum accedunt, & pacem, plenamque submissionem ac obedientiam pollicentur, demum vero legationis suæ seriem exponunt, dicentes: cum Synodus Romam convocari omnino non posset, eoquod accedentium securitati ibidem caveri nequiret, hinc necessitatis vi ab ipsis factum, ut pro restauranda Ecclesiæ disciplina Concilium liberum cogerent. Attamen rejectis horum po-

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

Act. Pis. Con. pag. 74.

Papam deterrerent, hanc farsam, hoc est, mimicum ludum. Se tantum ista fovere, ut Pontificis animum aversum attraheret. His subjungit Spondanus ad annum 1511. num. XVIII. *Attamen qui sic loquebatur, & rem mimicam esse, ut vere erat, fatebatur, nihilominus eam aliquamdiu ita prosecutus est, ut ex animo eidem adhærere videri voluerit, magno Ecclesiæ scandalo, & summo tituli Christianissimi dedecore.*

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

stulatis responsum est, nonnisi octo dierum inducias, quibus evolutis comparere tenerentur, Cardinalibus indulgeri: denuo vero illis interdici, ne Synodum convocent. Cardinales Pontifici refragantes, Deo potius quam hominibus obtemperandum rati, Pisano itineri sese accingunt, prius vero apologiam, cujus mox meminimus, ubique divulgant.

§. XXXVIII.

Secundi Pisani Concilii initium.

Act. Con. Pis. p. 79. & seq. Paris de Grass. t. 3. p. 724.

Quamvis Synodi indictio ad primam Septembris diem decreta fuisset, nihilominus nonnisi die Sabbati prima Novembris hujus anni Sessionibus datum est initium. Advenerant Pisas die trigesima Octobris quatuor Cardinales, nimirum Bernardinus Carvajalus Sabinensis Episcopus, tit. S. Crucis, & Patriarcha Hierosolymitanus; Guilielmus Brissonetus, Prænestinus Episcopus, & Narbonensis Cardinalis; Renatus de Prie, tit. S. Sabinæ, Cardinalis Bajocensis, & Albretus Cardinalis tit. S. Nicolai in carcere Trulliano. Hi quorundam absentium Cardinalium mandata deferebant, nimirum, Philippi de Lucemburgo, Tusculani Episcopi, qui vulgo Cardinalis Cenomanensis dicebatur; Francisci Borgiæ tit. SS. Nerei & Achillei, Cosentini Cardinalis; Fride-

Friderici a S. Angelo, alias dicti Cardinalis Sanseverinatis. Confluxerant quoque Prælatorum multi, nempe Lugdunensis, ac Senonensis Archiepiscopi unacum Episcopis Agathensi, Lussonensi, Rhodiorum, Magollensi, hodie Montispessulano, Lexoviensi, Ambianensi, Cabillonensi, Engolismensi, Tulonensi, Alectensi, Alorincensi, Matisconensi, & Lemovicensi: præter hos advenerant Abbates Cistercienses; S. Dionysi in Galliis S. Medardi apud Suessiones; necnon Præmonstratensis, aderant quoque Galliarum Regis Procuratores & Godefridus Bouffardus Parisiensis Cancellarius, Archidiaconus Meldensis, necnon Tolosanus nomine Universitatis in eadem urbe; unacum uno Parisiensis Academiæ Deputato; Lexoviensi Archidiacono; Ordinis Cluniacensis Procuratore; nonnullis Doctoribus Parisiensis Universitatis, ingentique inclytorum Virorum numero, Omnes hi congregati, prima die Novembris ad Camaldulensium asceterium, ubi Cardinalis S. Crucis agebat, sese transferunt, ac in horum Religiosorum Ecclesia sancto Michaeli sacra conveniunt, Dei auxilium pro congregatis exoraturi; ibique re divina per Cardinalem Bajocensem ritu solemni peracta, Ferrerius Abbas (*) utriusque Juris Doctor orationem decla-

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

(*) *Hunc Acta* Abbatem Subasiensem *appellant.*

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

declamavit, assumpto themate ex illis Christi Domini verbis, *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* In eodem sermone Cardinales, atque Prælatos adhortatur, ut superatis difficultatibus, quas piis eorum consiliis Papa objiceret, recolant verba D. Pauli dicentis: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur,* nec paucitate suorum terreantur, eoquod eorum Synodus, quæ universalem Ecclesiam repræsentaret (*) haud absimilis esset illi lapidi, qui postea *factus est mons magnus.* Denique suam orationem absolvit illis Christi Domini verbis ex Evangelio. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Matth. c. 5. v. 6.

Timoth. c. 3. v. 12.

Daniel. c. 2. v. 35.

Matth. c 5. v. 12.

Re divina de more peracta, finitaque oratione lectæ sunt literæ, quibus Cardinales Synodum convocabant. Recitantur quoque acta, ad instruendam Synodum prius concepta, necnon oppositiones illius convocationi interpositæ, unacum provocationibus ac responsis, quibus congregandi Concilii necessitatem ostendebant, ejusque indictionem vindicabant. His omnibus perlectis Franciscus de Rohan Lugdunensis Archiepiscopus suggestum conscendens, clara voce primæ

(*) *Me hercle! universalis hæc Ecclesia pusillum gregem paucosque Pastores complectitur.*

primæ Seſſionis indictionem prælegit, eamque ſequenti feria quarta die quinta Novembris in Cathedrali Eccleſia Piſis celebrandam pronunciavit, hancque indictionem ad valvas Eccleſiæ S. Michaelis affigi juſſit. Sæcul. XVI. A C. 1511.

§. XXXIX.

Piſani Concilii Seſſio I.

Præſtituta die, Synodo datum eſt initium circa horam nonam matutinam, præſentibus Lauretio Galliarum Regis Legato, Philippo Decio ejusdem Regis Procuratore, cum aliis duobus; aderant quoque præter alios Jacobus de Colindo Pariſienſis Prætor, & Antonius Foyetta. Demum perſolvebantur preces, aliæque ſolemnitates in Conſtantienſi Concilio obſervatæ. Miſſam quoque de Spiritu S. celebrabat Bernardinus Carvajalus Cardinalis S. Crucis, lectoque Evangelio, quod incipit ab illis verbis: *Vos eſtis ſal terræ* (*). Cardinalis qui ſacris operabatur, ipſus ſermonem habuit in hæc Davidis verba Pſalm. 88. v. 8. *Deus, qui glorificatur in concilio Sanctorum magnus, & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu ejus* *Act Conc. II. Piſan. p. 84. & ſeq.*

(*) *Scilicet infatuatum, quod nihil valet ultra, quam ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

Saecul. XVI. A.C. 1511.

ejus sunt. Quæ verba in sermone suo explanans ostendit, ad id unum in ejusmodi conventibus incumbendum, ut Deo ter Optimo Maximo placeant omnes; hunc enim solum eorum esse arbitrum, nonnisi ejus fidem, & cultum, ac omnium, quæ his adversantur, extirpationem esse procurandam, ac denique, ne optato frustrentur fructu, Patres adhortatur, ut ab omni labe corda, ac corpora sua omnino munda servarent, ea, quæ Deo debent, discuterent, atque effectui darent, in sacrarum literarum meditatione, nec non in traditione sacra frequenter occuparentur, ut fidei depositum fideliter servare valerent. Denique finito sermone Hymnus de Spiritu S. *Veni Creator &c.* decantatur, demum vero Lutevensis Episcopus conscenso suggestu sequentia decreta recitavit.

§. XL.

Primæ Sessionis Decretum.

Sacrosancta Generalis Synodus Pisana ad reformationem tam in capite, quam in membris, pacem omnium Christianorum, bellum contra infideles assumendum, extinquendaque schismata, hæreses, & errores in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans decernit, ordinat, definit, & declarat infrascripta:

Primo

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

Primo indictionem præsentis Concilii Pisani, literasque, & schedulas de ipsius convocatione ob præfatas caussas & evidentissimam necessitatem rite ac legitime & recte processisse, ipsamque civitatem Pisarum ad ipsum sacrum Concilium celebrandum plurimis ex caussis legitime fore delectam, commodam, & aptam, nisi postquam Pisas advenerunt Patres, ob Romanæ urbis propinquitatem cæperunt non abs re suspicari ab his, qui sacro Concilio non favent, extrinsece perturbationis molestias excitari, hinc supplet hæc sancta Synodus ex certa scientia & juris auctoritate omnem defectum, si quis forte in prædictis fuisse, aut esse videatur.

Decernit quoque & declarat omnia & singula tam per Papam, quam per alios quosvis prætextu convocationis dicti Concilii facta, ordinata, attentata, vel attentanda, sive per interdicta aliasve censuras & privationes, vel inhabilitationes de personis nostrorum Cardinalium, de dignitatibus, Ecclesiis, monasteriis, beneficiis, pensionibusque, ac juribus eorumdem, sive aliter quomodocunque in præjudicium dictæ Synodi, ejusque membrorum & quovis modo eidem adhærentium vel adhæsurorum, nulla, irrita, & inania fuisse, ac fore, illisque uti notorie nullis, irritis, & erroneis nullatenus deferendum. Nam ut Urbanus Pontifex rescripsit, quod Dominus, vel Apostoli, vel sancti Patres statuerunt, debet Romanus

Sæcul. XVI A.C. 1511.

nus Pontifex ad animam usque & sanguinem confirmare: Alioquin non sententiam dare, sed errare convincitur.

Alio Decreto eadem Synodus juxta Decretum Constantiensis Concilii in decima nona Sessione conditum statuit, *ut omnes, & singuli beneficiati huic sacro Concilio præsentes omnes reditus, fructus & proventus suorum beneficiorum durante ipso Concilio, eisdemque in eadem Synodo perdurantibus integre percipere valeant; etiamsi Curiales beneficiati sint, vel Canonicatus fuerint, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis.* Hujus vero Privilegii sequentem adducit rationem: *Quod absentes caussa Reipublicæ Ecclesiasticæ in Ecclesiis, in quibus beneficia habent, præsentes merito reputentur.*

Post hæc Episcopus nomina ac numerum eorum, qui in Synodo quibusdam officiis præficiebantur, prælegit: ex his Præsidis vices egit Bernardinus Carvajalus Cardinalis S. Crucis, Synodi custos nominabatur Odetus de Fuxo Lautreci Dominus, pluresque deputabantur Proto-Notarii, atque Notarii, quorum Princeps erat Ferrerio, cujus supra meminimus, præter alios Advocatos, Promotores, ac fisci Procuratores. Ad hanc prælectam cujuslibet nominationem respondebant Patres: *Placet*, significantes, se illorum selectum ratum habere. Demum

mum Præses Hymnum Ambrosianum præcinuit, quem Cantores prosequebantur, cantuque finito Promotores, ac Fisci Procuratores pro Synodo nominati eos omnes contumaces declarabant, qui tempore præstituto aut omnino abessent, aut absentiæ terminos justis de causis quibusdam concessos excederent. Pronunciatam hanc contumaciæ sententiam Patres quidem approbarunt, interim tamen sibi reservarunt facultatem alios Concilii Ministros nominandi, necnon ad Synodum admittendi, quoscunque vellent, etiamsi evoluto jamjam termino advenirent. Denique ad feriam sextam, quæ erat septima Novembris dies, secunda Sessio indicta est. Secul. XVI. A. C. 1511.

§. XLI.

Sessio II.

Hæc Sessio magis solemnis erat, quam prima; jam enim Officialium singuli suo quisque ordine sedebant, illosque Cardinalis S. Crucis præcedebat: postquam igitur Missa, quæ in feria secunda Pentecostes dici solet, a Narbonensi Cardinale celebrata esset, dictoque Evangelio ex capite decimo quarto S. Lucæ, quod ab illis verbis incipit: *Homo quidam fecit &c.* Ferrerius Abbas ad congregatos dixit, orationis suæ argumento ex his-

Sæcul XVI A.C.1511.

ce Evangelii verbis petito: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joan. cap. 3. v. 19.* Tota autem ejus oratio duobus duntaxat punctis circumscribebatur; unice enim agebat de necessitate seipsos reformandi, ac demum de studio ad emendationem Ecclesiæ in capite ac membris adhibendo.

§. XLII.

Hujus Sessionis Decreta.

Finito sermone, hymnoque de Spiritu sancto: *Veni Creator*, decantato, Jacobus Augustodunensis Episcopus apud Florentinos Galliarum Regis Legatus conscenso suggestu sequentia recitavit decreta: *Sacrosancta Synodus decernit ordinata in Toletano Concilio super modo sedendi & loquendi in ea fore observanda, proin Canonem super hoc editum approbat, & confirmat. ac præcipit, ut nullus aut indiscretis vocibus perstrepat, aut quibuslibet tumultibus quempiam perturbet: nullus etiam obstinatis disceptationibus, vanis fabulis vel risibus tumultuosas voces audeat effundere. Quicunque autem hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, trium dierum excommunicationis sententiam ferat.*

Altero Decreto declaratum: *Quod ex sedendi vel loquendi ordine nulli Ecclesiæ vel personæ præjudicium generetur juxta sacræ*

cræ Conſtantienſis Synodi ſanctionem, item quod per receſſum quorumvis Prælatorum non cenſeatur Concilium diſſolutum, ſed remaneat in ſua auctoritate & integritate. Poſt hæc nominabantur Judices, qui in hac Synodo cauſſas ad fidem, ſchisma, & reformationem morum ſpectantes audirent. Id muneris demandatum fuit Ludovenſi, Lucionenſi, Ruthenenſi, & Engolismenſi Epiſcopis, eisque conceſſum, ut *negotium usque ad definitivam ſententiam excluſive pertractare valeant.*

Eadem Synodus in alio Decreto prohibuit: *Ne ullus ex ſacri Concilii incorporatis ob quamvis cauſſam ad Romanam vel aliam Curiam Synodo durante invitus trahatur, ſeu quoquo modo turbetur, vel moleſtia afficiatur.* Præterea nominabantur duo Protonotarii Apoſtolici, qui ſuffragia inſpicerent, præter ſeptem Curſores, *qui annuntiarent divina officia, deputationes generales, Congregationes, publicasque Seſſiones, ſimulque citandos convocarent, aliaque peragerent, quæ ad Officium Curſorum pertinere noſcuntur.* Denique ſtatuit Synodus, *ut fieret hujus Synodi ſigillum, quod exhiberet figuram Spiritus ſancti in ſpecie columbæ, literis in circuitu extantibus:* Sacroſancta generalis Synodus Piſana. Cuncta hæc Decreta unanimi omnium conſenſu fuere approbata, poſtea vero Seſ-

Sæcul. XVI A.C. 1511.

sio tertia ad decimam quartam Novembris diem indicebatur.

§. XLIII.

Sessio III.

Ast Feria secunda, die nona ejusdem mensis Patres in ædibus Albreti Cardinalis congregati sanxerunt, maxime expedire, ut Sessiones maturarentur, cum adeo urgentes obversarentur rationes, ut omnino tertiam Sessionem aliquot diebus ante præstitutum terminum celebrari oporteret. Unde ea ad proximam feriam quartam indicebatur; neve ignorantia a quovis obtendi posset, Congregatorum definitio Ecclesiæ Cathedralis valvis affigebatur. Hac autem die Decreta prælegebantur, quorum primo sancitum, Synodum dissolvi non posse, usquedum Ecclesia tam in capite, quam in membris esset emendata, hæresesque, ac schismata succrescentia fuissent extincta, ac bella penitus sopita: Concesserunt tamen, Synodum in tutum quemdam locum transferri posse, si hac super re communi cum Pontifice consilio quicquam decerni valeat, nihilominus urbs Romana semper excepta esset. In secundo Decreto innovata fuere statuta quintæ Sessionis Constantiensis Synodi de auctoritate Conciliorum Generalium, ac definitum. I. Cum Concilium legi-

legitime congregatum a solo Christo Domino suam auctoritatem derivet, hinc omnes cujuscunque conditionis essent, etsi dignitate Papali fulgerent, eidem obtemperare teneantur in rebus, quæ fidem, schismatum extirpationem, ac reformationem Ecclesiæ concernunt. II. Omnes personæ cujuscunque status ac conditionis, etiamsi Papalis existant, si ejusmodi Synodi Constitutionibus, ac Decretis circa præfata tria capita, aliasque materias connexas sese submittere, pertinaciter detrectaverint, pro ratione culpæ puniantur, nisi forte resipiscant, si vero necessitas suaderet, ad alias quoque juris vias recurrendum; cumque in secunda Pisani Concilii Sessione statutum fuisset, quod nullus Prælatus, Doctor, aut alius quiscunque Synodo nondum absoluta discedere posset, nisi legitima ex caussa a Deputatis discutienda, ideo hanc in rem quatuor Cardinales, duo Archiepiscopi, ac quatuor Episcopi nominabantur, qui velut Judices, ac Commissarii allegatas discedendi rationes ponderarent, veniamque abeundi concederent, ita tamen, ut duo inter quatuor nominatos Cardinales, aut inter Prælatos saltem sex consentirent.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Secul. XVI
A.C. 1511.

§. XLIV.

Pisani Cardinales a Papa excommunicati, atque exauctorati.

Marian. lib. 30 n. 18.
Nic. Bosel. in addit. ad Chron Nauc. hoc an 1511.
Raynald. l c. n 32.
Petr. Delph. l. 10. c. 28.

Cum vero summus Pontifex congregatis assidue negotium faceſſeret, ægre inchoata Synodo Patres novis artibus sibi providere compellebantur : vix enim Julius Synodum convocari, ac Cardinales, qui illam celebrari desiderabant, illuc accedere compererat, cum palam illos anathemate percuteret. Hi erant Carvajalus, Cosentinus, Maclovienſis, ac Bajocenſis Cardinales, qui suis beneficiis, ac dignitatibus spoliabantur. Equidem Papa inter ceteros prima vice Cardinalem Cosentinum non nominabat, veritus, ne Regis Catholici, cui sanguine junctus erat, indignationem incurreret, postquam vero Ferdinandus summo Pontifici significaverat, nequaquam illum a debita pœna eximendum esse, eoquod Rege inscio, imo adversus illius mandata Pontifici adversaretur, suæque patriæ honorem prostituisset, mox Papa illum pari cum ceteris pœna mulctabat. Eodem supplicio in Albretum, & Sanseverinatem ejusdem delicti complices animadvertere statuit; ast obstabant oppositiones expectatione graviores; major enim sacri Collegii pars hujus sententiæ acerbitati

bitati ac rigori obluctabatur, nec deerant, qui Confratrum suorum excommunicatorum crimen excusaturi affirmarent, eos in Canones haud peccasse ex eo, quod in tuto loco pro Ecclesiæ reformatione in suo capite & membris Synodum desideraſſent, atque ejusmodi Concilium celebrari adlaboraſſent. Sæcul. XVI. A.C.1511.

§. XLV.

Gravis Papæ ægritudo.

Verum hæ rationes magis exulcerabant Pontificis animum, cunctosque ferme Cardinales sibi infensos reputabat; tanto igitur tædiorum concursu, ac neglecta valetudinis suæ cura attritus, ineunte mense Augusto in gravem morbum incidit, ac die decima septima adeo ingenti animi languore oppressus est, ut a suis domesticis pro mortuo haberetur: unde mortis fama per urbem sparsa, multi Cardinales absentes, Romam iter instituebant, ibidemque nonnulli Proceres (*) populum ad recuperandam libertatem incitabant. Nihilominus Pontifex linquentem animum non nihil revocabat, quamvis per aliquot dies a mortis periculo *Guicc. l. 10. Spond. l. c. n. 17. Raynald. hoc an. n. 61.*

(*) *Ceteri Historici referunt, hos non fuisse Proceres, sed* seditiosos *quosdam homunciones.*

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

culo haud absolutus esset, quocircaa perinde ac brevi moriturus, res suas disponere continuabat, cum vero vereretur, ne ejus Successor ab Urbinatis Duce ob patratam Papiensis Cardinalis cædem capitales pœnas expoſceret, illum a crimine absolvit, præsentibus omnibus Cardinalibus velut in Senatu congregatis. Demum Purpuratos hortabatur, ut ex Canonum præscripto sibi Successorem deligerent: quocirca Constitutionem hac super re in secundo Pontificatus sui anno conditam confirmavit. Referunt quoque Scriptorum nonnulli, Julium de proximo vitæ suæ termino adeo persuasum fuisse, ut etiam Bullam nonnisi post ejus obitum promulgandam reliquerit, qua anathemata in Ferrariæ Ducem, Bentivolios, eorumque fautores vibrata revocaverat. Utut hæc sunt, brevi sententiam mutasse videtur, quippe recepto vix animo ad pristinum, idque implacabile odium in Gallos rediit.

Hist. fæd. Camer. t. 2. l. 3. p. 48.

§. XLVI.

Julii fœdus cum Ferdinando, & Venetis contra Gallos.

Petrus Angar. ep. 465.

Interea Petrus Navarra Neapolin pervenit cum mille quingentis militibus, qui quamvis belli laboribus exhausti, armisque peſſime instructi essent, vincere tamen

men assueti erant, utpote reliquiæ generosissimorum illorum pugilum, qui tot victoriis ab Infidelibus reportatis, atque in Barbariæ oris tot urbium expugnatarum gloria illustrissimi celebrabantur: Igitur Pontifex de Gallis vindictam sumpturus, cum Petro Navarra fœderis sanciendi consilia prosequebatur, cumque Hispanorum classis quingentis cataphractis, & sexcentis levioris armaturæ equitibus, peditumque duobus millibus instructa, Malaccensi portu solvens, tandem in Italia adpelleretur, summus Pontifex totus in eo erat, ut mutua armorum societas cum Rege Catholico ac Venetorum Republica maturaretur. Ceterum Papa Auscíorum Cardinalem ex arce S. Angeli dimisit, nec tamen plena eidem libertate concessa, sed custodiæ loco illi Palatium suum assignavit, donec Bentivolii cunctos Romanæ Curiæ subditos, quos capta Bononia, in carceres detruserant, libertati restituissent. Præterea jussit summus Pontifex, ut Cardinalis in fidei suæ pignus quadraginta aureorum millia deponeret, illorum dispendium facturus, si vel Roma excederet, vel Pisas contenderet.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Guicc. l. 10. *Raynald an.* 1511. *n.* 34.

§. XLVII.

Fœdus Ferdinandi cum Papa, Venetisque promulgatum.

Denique fœdus Papam inter & Venetos,

Sæcul. XVI A.C. 1511.

tos, Regemque Catholicum die quinta Octobris firmatur, ac Romæ in Ecclesia S. Mariæ *de Populo* re divina per ipsum Pontificem peracta, ingenti Pompa publicatur. Ad honestandum hoc fœdus obtendebatur, quod schismatis declinandi haud alia via supereſſet, insuper urgeret necessitas, ut Pisana Synodus dissiparetur, quam Conciliabulum, nonnisi ad fovendum schisma conflatum appellabat Pontifex, veritus, ne in eo statuta auctoritati Apostolicæ contraria cuderentur. Præterea in eodem fœdere sancitum erat, ut Statui Ecclesiastico pristina ejus jura vindicarentur, proin Bononiæ ac Ferrariæ ditiones redderentur.

§. XLVIII.

Hujus Fœderis Articuli.

Marian. lib. 30. n. 21.

Circa articulum de militum suppetiis diu utrinque deliberatum, Hispanis, Venetisque contendentibus, parem cum illis copiarum numerum etiam a Julio suppeditandum; tandem vero inter eos conventum, ut aleret Pontifex quadringentos Cataphractos, quingentos equites leviter armatos, peditumque sex millia; Veneti autem ægre admodum promittebant octingentos cataphractos præter mille levioris armaturæ equites, ac peditum octo millia. Facta demum Hispani subsidii

dii computatione, deductisque copiis ad tuendum Neapolis Regnum necessariis, supererant mille ducenti Lancearii, mille levioris armaturæ equites, præter duodecim peditum millia. Demum ad sustentandas hasce copias utrinque sancitum, ut Papa, Venetique singulis quisque mensibus viginti aureorum millia subministrent, si vero expensæ hanc summam excederent, tertiam earum partem Hispani solverent. His stabilitis Regis Catholici Legato literæ argentariæ submittebantur, ad quarum fidem octoginta aureorum millia Neapoli numeranda essent, ut ea ex summa duorum mensium stipendia copiis prænumerari possent. Alio præterea articulo statutum, ut Veneti irruptione in Longobardiam facta hostium vires distraherent, urbesque ante Cameracense fœdus ab eis occupatas, si denuo illas fœderatorum armis recuperarent, Pontifici depositi nomine relinquerent, mediamque sumptuum partem ad instruendam classem sustinerent.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. XLIX.

Raymundus Cardona Pro-Rex Neapolitanus fœderatis copiis præfectus.

Gravior disceptatio circa supremi Beliducis electionem fœderatorum animos

Raynald. ad ann. 1511. *n.* 66.

Sæcul. XVI. A C. 1511.

mos tenebat, quippe contendebat Pontifex, quod honor Virum ad ſummum exercitus imperium nominandi Sedi Apoſtolicæ deferendus foret: Veneti ex adverſo propugnabant, ſe longævi temporis prærogativa Italicæ libertatis Cuſtodes fuiſſe, hunc vero honorem eis præripi, ſi belli Præfectum ſeligendi auctoritate ſpoliarentur: Prævaluere tamen Hiſpani Legati rationes, unoque ore concluſum, quod ſupremum exercitus Imperium Hiſpano afferendum eſſet (*). Mox plurium animis ea inſedit opinio, aut Conſalvum, aut certe Petrum Navarram a Rege nominandum eſſe; aſt neglecto utriusque obſequio, Ferdinandus Raymundo Cardonnæ Proregi Neapolitano bellici imperii ſummam detulit, qui tamen nec milites, nec Ducis partes explere didicerat, cetera Aulicus omnibus numeris abſolutus, Regis imperantis voluntati adeo ſine diſcrimine ad nutum intentus, ut juſſa æqua ab iniquis diſcernere haud valeret.

Ciacon. in Jul. II. t. 3. p. 229.

§. L.

(*) *Allegantur Ciaconius, & Raynaldus tanquam nugacis hujus contentionis teſtes, quorum tamen neuter vel verbulo illius mentionem facit.*

Sæcul. XVI. A C. 1511.

§. L.

Cæsar atque Angliæ Rex ad hoc fœdus sollicitati.

Quamvis Imperator hoc fœdere comprehendi renueret, nihilominus hanc armorum societatem nonnisi ex ejus sententia fuisse firmatam, secretiori articulo palam declarabat, quinimo in fœderis partem, si accedere vellet, vocabatur, nec quidem Galliarum Regis nomen ibidem exprimebatur, satis tamen aperte indicabatur, illum sub nomine defensoris eorum, qui beneficiarias Ecclesiæ urbes possiderent, quales erant Bentivolii ac Ferrarienſis Dux, comprehendi. Henricus vero Angliæ Rex disertis verbis nominatus, huic societati nomen dare sollicitabatur: cum autem Rex ille Julii Pontificis jura se tueri palam profiteretur, haud levem in eo spem collocabat Pontifex, auxitque fiduciam Gallos debellandi ardor Anglicæ Nationi ex primævo naturæ genio tam potenter inditus, ut cuncta retro sæcula nonnisi unicum, idque sub Richardo III. referant factum, quo Angliæ subditi ad arma Gallis inferenda suppetias toties ab eorum Regibus exactas dare recusabant. Aliunde Henricus VIII. eo tempore omnes Christianos Principes perfecta submissione erga Sedem

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

dem Apostolicam superare certabat, nec deerant Regi immensæ, quas ei Pater suus reliquerat, divitiæ, quarum ope magnos ausus aggredi potens erat. Idem quoque Legatum extraordinarium in Gallias decreverat, dato negotio, ut cum Cabanilla Hispaniæ Legato consilia conferret, atque ambo Ludovico Galliarum Regi porrecto libello significarent, ut Bononiam restitueret: ei autem rem adeo æquam renuenti nunciarent, Regem Angliæ filialis observantiæ legibus obstringi, ut sacram Sedem in suam fidem acciperet, ejusque auctoritatem tueretur. Hæ minæ perinde erant, acsi bellum nunciaretur. His Galliarum Rex haud parum concitatus, utrique sine ambage respondit: ego non minori facilitate Bononiam conservabo, ac hucusque Mediolanum propugnavi, atque hisce minis minus nihilo terreor, & rem bello decernere paratus sum: illius discrimen, quandocunque experiri voluerint vestri Reges, illorum arbitrio relinquo.

Marian. lib. 30. n. 19.
Raynald. ad ann. 1511. n. 51.
Pollyd. Virg. lib. 27.
Ferron. in Lud. XII.

§. LI.

Papa belli initium a Florentiæ expugnatione duci peroptans.

Nihilominus Galliarum Rex nonnihil anxius hærebat, dum bellicos fœderatorum apparatus, initæque societatis

tis articulos non ita pridem promulgatos perſpexerat, auxitque timorem utriusque Regis fiducia, qua proſperos armorum ſucceſſus adeo fidenter ſibi pollicebantur, ut Papam Bononiæ, ac Ferrariæ jamjam imperitantem cernere crederent; unde Julii arbitrio relinquebant, quænam harum urbium prima expugnaretur, & quamvis Pontifex Bononiæ recuperandæ deſiderio flagrare videretur, mutato tamen repente conſilio totus in eo erat, ut expeditionis initium a Florentini ſtatus expugnatione duceretur, eoquod hic iis, qui in Piſana Synodo adverſus Papam congregati erant, aſylum præberet. Præterea Papa eo firmius ſuo propoſito inhæſit, quo certius perſuaſum ſibi habebat, Gallos Romandiolam infeſtis armis invadere minime auſuros, niſi ex Hetruria annonam extrahere certo ſperarent.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. LII.

Petruccius Florentinorum invaſionem Papæ diſſuadet.

Cum vero Florentinorum Status Senenſibus haud conſpirantibus armorum vi expugnari vix poſſet, Pandulphus Petruccius Senenſis Reipublicæ Rector in conſilium advocatur, qui ibidem ſummo Pontifici gravibus rationum momentis exponit, culpam haud reparandam committi,

Sæcul. XVI A.C. 1511.

mitti, si iniquissimo hoc tempore Florentinis bellum inferretur; hanc enim Rempublicam hucusque neutri parti adhæsisse, jam vero si bello peteretur, abs dubio se Gallis addicturam, horum vero vires inde non parum auctum iri; nec Florentinos, quod Pisarum urbem in Synodo congregandis concessissent, culpæ postulandos, cum ad id armis, ac plusquam viginti armatorum millium exercitu compulsi essent. Nec tamen Petruccio aliæ deerant rationes, quibus Papam a Florentinorum bello avertere impellebatur; timebat enim, ne fœderatorum copiæ castris suis totum Senensium territorium emetirentur, villasque circumvicinas occuparent, quo facto in se Senensium invidiam concitasset. Utut res se habuerit, Hispaniæ tamen ac Venetorum Legati adductis Petruccii rationibus expugnati, Julium impense rogabant, ut primos socialium armorum conatus ad Bononiæ recuperationem impenderet; nam dicebant, diuturniori Florentinorum expugnatione frustra tempus conteri; cæsis enim Gallis Florentiam absque obsidionis impendio deditionem facturam, Gallis vero victoriam reportantibus, abs dubio eorum ope urbem in tuto collocandam. His permotus Pontifex, Legatorum votis cessit.

Guicc. l. 10.

§. LIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1511.

§. LIII.

Florentinorum consilia adversus Pisanam Synodum.

Florentinos recordatio discriminis, quod vix eluctati erant, in Pisanam Synodum acriter concitabat; unde Patres fabam, quæ in eos cuderetur, brevi animadvertentes, suæque saluti timentes, Galliarum Regem summis precibus urgent, ut trecentorum Lanceariorum suppetias submitteret; annuit Rex, simulque Odeto Fuxo Lautreci Domino nonnisi viginti annorum juveni negotium dedit, ut has copias protinus Pisas adduceret. Aft Florentini Lautrecio ingressum cum suis in urbem denegant, veriti, ne Pisani cives, prout sub Carolo VIII. contigisse meminerant, Gallos ad subigendam civitatem incitarent. Ergo Lautrecio significant, Pisanos Gallorum studiis plus æquo addictos esse, proin Reipublicæ salutem deposcere, ne Galli cum tam valido militum præsidio urbem intrarent, Lautrecus quid amplius a Florentinis obtinere desperans, consensit, ut nonnisi cum centum lanceariis Pisas ingrederetur, qua conditione acceptata civitatem adeundi veniam impetravit.

Sæcul. XVI. A.C 1511.

§. LIV.

Synodum Pisis Mediolanum transferendi ratio.

Præterea Florentini alio eventu territi, inconsultam suam, qua Synodum in sua ditione celebrari permiserant, facilitatem damnabant; Accidit enim, ut Clerici Florentini, cum Prælati supplicantium more Ecclesiam Cathedralem accederent, hos ad chorum admittere, illisque ad rem divinam ibidem peragendam necessarium apparatum concedere renuerent. Conqueruntur illi apud Magistratus, qui quamvis omnes patria Florentini essent, Clericis tamen præceperunt, ut Synodi Patribus accessum ad chorum indulgerent, facultatem interim Clericis dederunt, ut Patribus chorum ingressis, ipsi eorum cætibus non assisterent, sed mox abirent, non redituri, nisi illis inde recedentibus. Igitur hi Præsules, cum Synodum suam Florentinis indies magis exosam fieri haud obscure intelligerent, de alio loco cogitare cæperunt, demum vero novo casu turbati, omnino urbe excedere decreverunt; contigit enim, ut quidam equites Galli ad Arni pontem in quamdam Florentini præsidiarii militis meretriculam incurrerent, ac cum illa primo jocarentur, illamque, cum durioribus

Raynald. hoc an. n. 92.

ribus verbis eos exciperet, injuriis quo- Sæcul. XVI.
que afficerent; mox Florentini milites A.C. 1511
puellam erepturi accurrunt, eam tuentur, gladiosque ſtringunt; Gallis vero vim repellere conantibus, verborum contentio ad cruentam cædem degeneraſſet, niſi utriusque nationis Belliduces dimicantium furorem cohibituri, omnem ſuam auctoritatem impendiſſent; Lautrecus quoque & Caſtillionæus, cum ad hunc rumorem accurriſſent, leviter saucii receſſerunt. Patres, quoniam tumultus in quodam compito prope Eccleſiam, in qua tertiam Seſſionem eodem tempore celebrabant, contigiſſet, tanto terrore percellebantur, ut unanimi ſuffragio Synodum ſuam Mediolanum transferre decernerent, ſpe freti, ibidem ſecuritati ſuæ magis conſultum iri, eisque majorem reverentiam eſſe exhibendam, cum præſidium hujus urbis nonniſi ex gallicis copiis conſtaret.

§. LV.

Cæſar ſuis Prælatis acceſſum ad Synodum concedere cunctatus.

Potiſſimum vero anxias Patrum curas augebat Germanorum Prælatorum abſentia, qui Synodum accedere abhorrentes, ægre Cæſari dederunt, ut Auguſtæ conventus ageretur, in quo, an Germa- *Marian. lib.* 30. *n.* 24. *Spon. ad an.* 1511. *n.* 25.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

niæ Præſules ad Concilium mittendi eſſent, decerneretur. Aſt hac ſuper re nihil deciſum fuit (*); quin imo non deſunt, qui Cæſarem, ut Imperii Præſules Synodum accederent, remiſſe admodum inſtitiſſe credunt, argumento inde petito, quod propoſitioni de pace privata facillimas aures præbuiſſet. Præterea Sanſeverinas Cardinalis Maximilianum vana ſpe, frivolisque ac confictis pollicitationibus lactabat. Acceſerant inſuper fervidæ preces Petri de Urrea, qui Ferdinandi apud Cæſarem Legatus illum vehementer ſollicitabat, ut ſeſe ceteris fœderatis Principibus jungeret, nomenque fœderi daret, a quo Italiæ ſecuritas juxta ac tranquilitas dependeret, pollicitus etiam, a Fœderatis copias aurumque ſuppeditatum iri, quibus Mediolani Ducatus occupari, ac Geldriæ Dux ad obſequium revocari poſſet. Equidem Maximilianus ab hoc conſilio parum alienus erat: aſt quamvis hæc ipſa via ceteris magis expedita, magisque ſecura ſibimet-ipſi videretur, nihilominus ſemper animo fluctuans, dubiusque etiam in promiſſis vel maxime proficuis anceps hærebat.

Raynald. ad ann. 1511. num. 53.

§. LVI.

(*) *Guicciardinus teſtatur, decretum fuiſſe, Piſanum Concilium ſeditioſum ac deteſtandum eſſe.*

Sæcul. XVI. A C. 1511.

§. LVI.

Pisana Synodus Mediolanum translata.

Cunctis hisce rationibus permoti Patres Concilii locum mutare statuunt, atque in tertia Sessione illud Mediolanum transferre decernunt, ibidem continuandum, donec de tuto, commodo, ac communi loco cum Pontifice consensissent, ne vero interruptum censeretur, ad decimam tertiam Decembris diem Sessio indicta est, sancitumque, quod Patres saltem octava ejusdem mensis die Mediolanum convenirent, atque eo delati mox Cardinalem S. Crucis Præsidem adirent, ac de negotiis in proxima Sessione tractandis deliberarent: cum vero Patres Synodi locum mutasse, Pisisque excessisse brevi fama Mediolanum detulisset, urbis clerici ac Religiosi vexilla, Crucemque præferentes, hymnosque decantantes obviam procedebant, quos ipse etiam Senatus, Magistratus, Collegia, ac innumera hominum frequentia usque ad civitatis portam comitabantur, ut ibidem Cardinales, Prælatos, ceteraque Synodi membra honorifice exciperent (*). *In act. Pis. Conc. p. 105. Raynald. hoc ann. n. 42.*

(*) *De hac solemni receptione altum ubique silentium, Guicciardinus lib. 10. apud Raynaldum*

Secul. XVI. A.C. 1511.

Hoc itaque comitatu illos sonantibus omnibus campanis, tubisque, per plateas auleis ornatas ad Ecclesiam deducebant, ubi decantata Antiphona de Spiritu Sancto, Præses populo bene precabatur, ac demum singuli ad suas ædes revertebantur.

§. LVII.

Helvetiorum irruptio in Mediolanensem statum.

Guicc. l. 10. Card. Bembo hist. Venet.

Postera die octava Decembris Concilii membra in ædibus Cardinalis S. Crucis convenerunt, ut adversus Helvetios, qui

dum l. c. testatur, quod horum seditiosorum ingressu Clerus Mediolanensis funestatam urbem arbitratus, mox sponte templa clauserit, sacrorumque usu abstinuerit, tum fideles hosce rebelles, præcipue vero Bernardinum Carvajalum publicis maledictis devoverint, dicentes, cum alias Concilia ad conglutinandas Ecclesiæ dississas partes instituta essent, hoc Conciliabulum ad schisma creandum, confundendamque Ecclesiam congregari. Nec ipse Cardinalis de Prie cujus literæ exstant in appendice act. Concil. Pisan pag. 162., populum in factiosum hunc conventiculum tumultuasse dissimulat. Ast huic conciliabulo saltem magnificis verbis auctoritatem conciliare oportebat.

qui Julii hortatu in Mediolani Ducatum irruperant, consilia sua conferrent; Præterea Sessio sequens edito decreto ad decimam tertiam Decembris diem S. Luciæ sacram indicitur: verum comperta Helvetiorum in Mediolanensium ditionem incursu, ad quartam Januarii Anni sequentis millesimi quingentesimi duodecimi Sessionem protrahere compellebantur. Nunc vero hujus invasionis Helveticæ occasionem recensеamus, quæ inde contigit; cum enim Helvetii, quos Galli mercede conduxerant, a Ludovico Rege stipendia viginti librarum millibus augeri peterent, Rex inde offensus, atque Nationis hujus, quæ præceps, ac repulsæ impatiens est, indolem haud considerans, petita concedere renuit: hinc Helvetii ira concitati, cum sex suorum millibus, quos ex Friburgensi & Suitiensi pagis contraxerunt, nullo equitatu, nullisque belli tormentis præter septem minoris globi campestria instructi, in Mediolanensem Ducatum irruunt, moxque Varesium occupant, ubi quindecim ac ferme sexdecim suorum millibus confluentibus Gastoni Fuxo Nemorsii Duci bellum nunciant; hic nonnisi viginti duorum annorum Princeps Longevillensi Duci, qui Ciamontio Marescallo successerat, a Rege Mediolani Gubernator subrogatus erat, cumque Gallorum exercitus numero Sæcul. XVI. A. C. 1511.

Sæcul. XVI A. C. 1511.

valde decreſceret, nequidem ducentos Lancearios colligere poterat, non alias ſecum copias habens, quam bis mille pedites, præter urbes præſidiis munitas; nihilominus in Helvetios copias ſuas duxit; hi vero itinere Galeram verſus ſuſcepto, aliquamdiu ibi hæſerunt, cujus moræ beneficio Equites, qui in Mediolanenſi Ducatu erant, ſeſe Gaſtoni jungendi ſpacium nacti ſunt.

§. LVIII.

Helvetii haud conſpecto Fœderatorum exercitu ad ſua reverſi.

Interea Helvetii, cum Gallorum exercitu longe ſuperiores eſſent, virium ſuarum fiducia animati, Galera in aciem progrediuntur; aſt invicta Nemorſii conſtantia, & accedens etiam loci, quem exile illius agmen occupabat, opportunitas, Helvetios Galeram, unde venerant, citius reverti compulit. Verum viribus refecti Baſtiam contendunt, quam urbem Gallorum præſidio deſtitutam repererunt, cumque Gaſto Mediolanum ſeſe recepiſſet, fugientem inſecuti, eum quoque arctius cingere parabant. Hic tamen opportune epiſtolam ab Helvetiorum Ducibus ad ſuos Rectores datam intercepit, qua

qua eis significant, mirari se, quod nec ullum Papæ nec Regis Catholici, qui tamen ad primum Helvetiorum adventum Mediolanum invadere polliciti essent, exercitum vidissent, licet ipsi jam ad interiores Mediolanensis ditionis partes penetrassent, nunc vero hac super re, quid agere deberent, ulteriora Pagorum jussa se præstolari scribebant. Percepta epistolæ summa Gasto Præfecturæ suæ fines tam validis munivit præsidiis, ut Helvetii, cum a suis Rectoribus nulla mandata accepissent, ad sua reverterentur, itineris compendio usi, suumque vexillum grandius complicatum in quodam sacco reportantes, quo tamen explicato se victoriæ summa potituros existimabant, licet illud nunquam ullis partæ urbis mœnibus infixissent, illo abhinc tempore, quo in bello adversus Carolum Burgundiæ Ducem ante Nancejense prælium, ubi idem Dux occubuit, victores extiterunt. Verum vix Belitionem attigerant, cum Fœderatorum copias magnis itineribus ad Bononiæ obsidionem contendere percipiunt. Nihilominus ad castra reverti, constanter renuunt, caussati, Mensis Decembris asperitatem ad prælia, urbiumque obsidiones in Longobardia importunissimam esse.

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. LIX.

Florentini ad Gallorum partes a Rege ſollicitati.

Guicc. l. 10. Demum Helvetiis recedentibus, Galliarum Rex ingenti metu liberabatur; tum vero primum cognoverat, quam neceſſarium eſſet, ut validiorem exercitum in Mediolanenſi Ducatu aleret; quocirca ingentem pecuniarum ſummam, qua Gaſto Fuxus milites in ſupplementum legeret, a menſariis eidem numerari omnesque cataphractos, quotquot in Galliis habebat, Alpes ſuperare juſſit, exceptis ducentis lanceariis, quos ad Picardiæ fines tuendos reliquerat, veritus, ne Anglorum Rex hac ex parte in Regnum irrumperet; demum Oratori ſuo, qui Florentiæ Gallorum res procurabat, præcepit: Florentinos induceret, ut haud amplius ſuſpenſi hærerent, ſed unice Gallis ſua ſtudia devoverent. Aſt illi haud tam obtuſo valebant ingenio, ut non proſpicerent, quod ſeſe, ſi Ludovici XII. petitis annuerent, graviſſimo implicarent bello, cujus exitus valde anceps eſſet, quocirca quamvis Soderinus Reipublicæ vexilifer, Vir Gallis addictiſſimus illos ad amplectendas Gallorum partes permovere ſummis conatibus ſatageret, potiſſima tamen Florentini Senatus pars nihil innovan-

novandum, sed pristinis Rempublicam inter & Franciam fœderibus insistendum censebat; his denuo, incassum licet, Soderinus reposuit, eos opinione falli, veteribus enim Florentinorum negotiis novas, easque maximi momenti res accreviſſe, illumque a partium studio alienum animum, qui hucusque eorum saluti fuisset, brevi extremam Reipublicæ ruinam illaturum; parum enim abfuturum, quin Medicæi in Florentinum imperium reponerentur; id vero, ne fieret, præter Regem Christianissimum, nulli alteri integrum esse. Aſt Respublica insuperhabitis Soderini rationibus neutri parti sese addicere statuit. Sæcul. XVI. A. C. 1511.

§. LX.

Florentinorum Deputati ad Franciæ Regem, & Fœderatos.

Nihilominus Florentini, ut justo moderamine Soderini indignationem declinarent, in quasdam conditiones consenserunt, quarum nonnullæ Galliarum Regi, aliæ vero fœderatis eo consilio proponerentur, ut ab utriusque partis studio semoti vivere permitterentur. Hujus rei cura Valorio, & Guicciardino demandata fuit: ille ergo ad Franciæ Curiam, Guicciardinus vero ad fœderatos deputatus est; neuter tamen habuit prosperum *Guicc. l. 10.*

Sæcul. XVI. A.C 1511.

sperum Legationis suæ successum: Ludovicus enim Galliarum Rex nonnisi in probra, minasque effusus, Valorium excepit; Julius quoque Pontifex Guicciardino significabat, se absque Neapolitani Regis consensu Florentinorum petito aquiescere non posse, ipsus ergo Guicciardinus Regem accedere compellebatur; ubi tamen Prorex totum negotium Pontificis arbitrio reliquit, qui duras adeo conditiones proposuit, ut eas acceptare Oratori haud liceret. Ergo Florentini consilii inopes hærebant, eoquod Fœderatorum copiæ die vigesima nona Decembris, asperrimo licet hyemis tempore, in castra procederent, Forum-Cornelii, qui edictus ad conveniendum locus erat, petituræ.

§. LXI.

Initium imperii Cheriforum in Africa.

Paul. Jov. in elog. l. 7. Leo Afric. l. 2. c. 32. & l. 4. c. 26. Marmot de l'Afrique l. 2. De Thoce hist. l. 7.

Ab hoc anno millesimo quingentesimo undecimo Cheriforum, seu Principum Arabum imperium sua ducit exordia. Horum primus fuisse creditur Alfaquius Mahometanæ Legis Doctor, qui Anno millesimo quingentesimo octavo claresceré cæperat, seque Mahometem Ben Hamet, seu Zidametem, Cherifum Hascen appellabat, atque genus suum a Maho-

Mahomete Pseudo-Propheta ducere professus erat. Hic Cerifi nomen adoptabat, quod nonnisi posteris, qui ex Mahometis filiabus descendebant, proprium fuerat. Tres genuit Filios Abdalquivirum, Hametem, & Mahamedem, quos Religionis caussa Mecham in Medinam transmisit, ut etiam inter Africanos magnum sibi nomen conciliarent. Inde reduces ab hac barbara gente velut Viri sanctitate eximii colebantur, eoquod Morabitarum sectæ nomen dedissent: Zedametes vero duos ætate juniores Fezzam misit, qui scientiarum fama clarissimi ex Modarcani Collegii Cathedra, quæ natu majori deferebatur, disputationes publice habebant; Juniori vero Regia juventus literis imbuenda tradebatur. Pater perspecta utriusque Filii sui indole, quæ ad omnem belli scientiam nata videbatur, ad occupandum imperii solium opportune uti statuit, nec abluit eventus; sceptrum enim sibi vendicabat qua armis, qua fraudibus, potissimum vero insigni pietatis ac Religionis fuco auctoritatem sibi conciliabat, tamque potenter novi sui regni fastigium firmabat, ut illud ad suos quoque posteros transmitteret, cujus Filii Cherifi, id est, *Viri sapientes* appellati Maroccanum, Fezzanum, Tafiletanum &c. regna posterioribus annis subegerunt. Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. LXII.

Sæcul. XVI. A.C.1511.

§. LXII.

Joannis Reuchlini controversia de Judæorum libris.

Jam per plures annos Joannes Reuchlinus sibi celebre Viri doctissimi nomen emeruerat, cum omni scientiarum laude præcipue vero in linguarum Orientalium peritia celebratissimus audiret: De his vero cum quibusdam Religiosis Colonienſibus controversiam habuit, quæ ad hunc usque annum fervebat. Is erat natione Germanus, ob eruditionis suæ præstantiam ubique in honore habitus, alio etiam nomine vocabatur *Fumus*, seu ΚΑΠΝΟΣ, eoquod Germanicum verbum *Rauch*, & Græca vox *Capnion* significet *Fumum*. Primam lucem aspexit Anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto in oppido Pforzein prope Spiram; dein Vir facundissimus, ac juris, omnisque literaturæ indagator solertissimus, trium quoque linguarum, scilicet Hebraicæ, Græcæ ac Latinæ interpres peritissimus evasit. Post hæc Lutetias Parisiorum cum Episcopo Ultrajectino profectus, ibidem Hebraicæ linguæ studium prosequebatur, non quidem Joannis Petræ, ut quorumdam, atque inter eos Genebrardi opinio est, sed cujusdam Judæi in hisce scientiis versatissimi

Melch. Adam de vitis Philos. Germ.

tissimi magisterio usus, prout ex ipsis Reuchlini epistolis elucet. Huic Judæo nomen erat Jacobus Schiel Loans, Joannes autem Petra itidem natione Germanus, ac Doctor Sorbonicus Reuchlino adhuc puero nonnisi latinæ Grammaticæ rudimenta tradidit; Græcum vero idioma eum docuit Gregorius Tiphernas; ac in arte Rhetorica Guilielmus Tardisus seu Tardius, & Robertus Gaguinus eundem imbuerunt. Postmodum Reuchlinus Basileæ Philosophiæ Doctor creatus, quarto post anno inde Aureliam petebat, jurisprudentiæ operam navaturus, ibique Græcas literas publice tradens Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto Doctoratus laurea coronatus est: Idem quoque idioma Pictavii docebat, inde vero in Germaniam reversus, paulo post cum Eberhardo Comite de Wirtemberg Romam venit, ubi frequens ei erat cum Hermolao Barbaro familiaritas, a quo etiam Græcum nomen καπνιον pro *Reuchlino* accepit. Demum vero in Germaniam redux, ab Eberardo ad Fridericum II. Imperatorem ablegatur, ubi summis honoribus exceptus, ad Wormatienſia comitia, in quibus Comes Reuchlini fautor Sueviæ Dux creabatur, missus est. Tertio post suam electionem mense Eberardus e vivis excedens, ditiones suas Udalrico

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Henrici

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Henrici Comitis fratris sui filio reliquit, ast ex suis Nepotibus alius quidam, nomine Eberardus II, Suevia armis occupata Reuchlinum exulare jussit, qui Wormatiam secedens, quadruplicis imperii Historiam pro Philippi Palatini Principis institutione elucubravit: Cum vero idem Princeps Romæ adversus quemdam Religiosum, qui Monasterii sui Visenburgensis alumnis justitiam fuisse denegatam apud Alexandrum VI. querebatur, judicio contenderet, ac Papa Religioso contra Electorem jus diceret, hic ad tuenda jura sua neminem Reuchlino aptiorem inveniens, eundem Romam misit, ubi solido biennio moratus, ingenium suum sub quodam Magistro secta Judæo, Abdia nomine, hebraicæ, linguæ vero Græcæ secretis Argyrophilo præceptore usus mirifice excoluit. Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo die decima septima Julii Dissertationem de juribus Principum Germaniæ, necnon de Germanicæ Ecclesiæ privilegiis prælegit, summo Pontifice, ac Cardinalibus præsentibus. Roma redux, mutatam in Suevia rerum faciem repperiebat; Usurpatorem enim inde expulsum, atque Udalricum imperio restitutum cernebat, cum Maximilianus Cæsar huic Principi Tutores nominasset, a quibus Reuchlinus revocatus est. Eodem tempore

pore Imperatoris, ac S. R. I. Electorum nomine Suevici fœderis *Triumvir* seligebatur, Oenipontum ad Cæsarem ablegatus. Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. LXIII.

Reuchlinus propter Rabbinorum libros a Colonienſibus Theologis vexatus.

Verum tam amplos, quibus Reuchlinus claruit, honores non parum diminuit, bellum literarium, quod contra eum Colonienſes Theologi ſuſcitarunt; quidam enim præfatæ urbis Judæus, nomine Pfefferkorn, dudum inter gentis ſuæ Viros Meſſiam ſe eſſe fingebat, cum vero ſuam fraudem detectam comperiret, Chriſtianorum ſacris ſeſe addixit, ſimulque Hochſtrato Ord. FF. Prædicatorum in Germania Inquiſitori, necnon Arnaldo Tungrenſi in Colonienſi Univerſitate Theologiæ Profeſſori ſuggeſſit, quod conſultum eſſet, ut omnes Judæorum libri, utpote impietatibus, blaſphemiis, ac ſuperſtitionibus pleni comburerentur: Ambo hanc in rem a Maximiliano edictum promulgari petebant, quibus lubenter annuit Imperator: Illud vero edictum, ut revocaretur, inſtabant Judæi, qui in aula Cæſarea plurimum gratia valebant, cauſſati, quod Pfefferkornius omnia perlu-

Paul. Jov. in elog. c. 143. Dupin. Bibl. Script. t. 14. Sæc. 16. p. 2. Argentre collect. jud. de novis erroribus t. 1. p. 349. Spond. ad ann. 1510. n. 14.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

straret compita, eorum ædes ingrederetur, libros que vi e manibus ipsorum evelleret: Interea vero Reuchlinus hujus edicti executionem Stutgardiæ fieri præpedivit. Igitur Cæsar Colonienſi, Moguntinæ, Oxfordienſi, atque Heidelbergenſi Univerſitatibus negotium dedit, ut hac ſuper re, junctis Reuchlini, Victoris Corbei & Jacobi Hochſtrati conſiliis, ſententiam ſuam edicerent. Reuchlinus a ceteris interrogatus, ſcripto mentem ſuam integra fide aperuit, duo genera librorum Judaicorum diſtinquens, quorum quidam de variis argumentis ad religionem non ſpectantibus tractantes, alios autem recta adverſus Chriſtianam fidem elucubratos dixit, cenſuitque primos utilitate ſua fors haud carere, ceteros vero ſupprimendos eſſe.

Vander-Hardt. p. 16. part. 2.

Pfefferkornius, cujus quæſtui hæc Reuchlini ſententia minus favebat, eum confutaturus librum Germano idiomate edidit, quem *ſpeculum manuale* inſcripſit, cui Reuchlinus alium oppoſuit, titulumque præfixit: *Speculum oculare*, in quo conqueritur, adverſarios ſuos plusquam triginta calumnias in eum effutiiſſe. Theologi Colonienſes Reuchlini librum examini ſubjecerunt, ac omnino quadraginta quatuor propoſitiones ex eo decerpſerunt, quas latine redditas Arnaldus Tun-

Tungrenſis cum notis earum cuilibet ſpeciatim ſubjunctis publici juris fecit, illasque Colonienſes Theologi erroris, hæreſisque accuſarunt. Adverſus hos Reuchlinus latinam concinnavit apologiam Cæſari nuncupatam, qua edita coram Hochſtrato Inquiſitore, præſente Electore Moguntino, comparere jubebatur; cum vero ob grave ſenium, adverſamque valetudinem ipſus venire præpediretur, Procuratorem miſit, qui nomine ſuo Hochſtratum hujus cauſſæ judicem, utpote ſibi ſumme adverſantem, recuſaret; cum vero Reuchlini exceptio non admitteretur, Procurator Romam provocavit. Ea etiam appellatione ſpreta, Hochſtratus ſententiam pronuntiavit, qua libri, cui titulus *Speculum oculare*, lectionem prohibuit. Reuchlinus ab hac ſententia ad Sacram Sedem appellavit: Papa vero hujus cauſſæ cognitionem ad Epiſcopum Spirenſem, atque Electorem Palatinum remiſit, qui ſex nominarunt Commiſſarios, qui erant Thomas Truſches, Georgius de Swalbac, Philippus Flersheim, Virgilius Sickinger, Jodocus Gallus, & Wolfgangus Fabricius Capito. Hi Judices Spiræ congregati utrique litigantium parti diem dixerunt, Reuchlinus equidem comparuit, Hochſtratus vero recuſata hujus tribunalis auctorita-

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

Hiſt. Univ. Paris. t. VI. p. 47. & ſeq.

Jo. Sleidan. de ſtatu Rel. & Reip. l. 2. fol. 22. & ſeq.

Sæcul. XVI A. C. 1511.

te condemnatus est, eoquod citationi non paruisset.

Instructis interea Spiræ hujus judicii actis Theologi Colonienses suorum quosdam Lutetiam Parisiorum ablegarunt, qui Theologicæ Facultati articulos ab Universitate Colonienſi rejectos exponerent, ac desuper judicium ferri postularent. Parisienses Theologi conventu habito, Mense Augusto Anno Salutis millesimo quingentesimo decimo quarto sententiam ab octoginta Doctoribus subscriptam pronuntiant, qua Reuchlini librum igne comburendum censebant. Hanc sententiam jam Mense Februario a Theologis Colonienſibus executioni datam fuisse, existimat Dupinus, quamvis vero similius videatur, id nonnisi post prolatum Parisienſis Facultatis judicium contigisse. Pfeffenkornius hac victoria elatus novum opus edidit adversus Reuchlinum, cui titulum præposuit, *Cymbalum tinniens;* unde Reichlinus denuo causſam suam Romam deferre, ac decisivam a Papa sententiam exorare compellebatur. Ferme omnes Europæ Doctores Reuchlino favebant, ejusque Procuratori quamplurimi Principes ac Germaniæ Præsules literas commendatitias Romam perferendas committebant, quin etiam omnes doctrina ac politiorum artium peritia conspicui Romæ Reuchlini causſam

Argentre l. c. p. 350.

cauſſam tuebantur; abundabat enim eo tempore ampliſſima hæc Civitas Viris non ſolum Græci ac Latini, ſed etiam Hebraici idiomatis ſcientia longe clariſſimis. Ceterum hujus cauſſæ cognitio a ſummo Pontifice demandata eſt Grimano Cardinali, cui adjungebatur Anconitanus Cardinalis, ipſiusque Hochſtrati auctoritati datum, ut etiam Cajetanus itidem Cardinalis, necnon Sylveſter Prierius Magiſter Sacri Palatii, ambo Ordinis FF. Prædicatorum alumni aggregarentur. Nec tamen horum favor adeo prævaluit, ut' hi Judices Hochſtrato patrocinarentur; hinc ille haud amplius obtinere poterat, quam litis inducias; tractu tamen temporis Reuchlino adverſantes cum eo in gratiam redire compellebantur, ipſique Dominicani litis expenſas pendere, ac Romæ abſolutionis ſententiam procurare decreverant; Reuchlinus enim quosdam hujus Sacri Ordinis Viros ſemper ſibi amicitia junctos numerabat, qui illum ob eximiam linguarum eruditionem plurimi habebant; imo in ipſo diſputationum æſtu hi ipſi plures Reuchlino chartas tradebant, in quibus ejus doctrinæ applaudebant.

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

Sæcul. XVI. A.C. 1511.

§. LXIV.

Plurium Cardinalium obitus.

Hic annus Sacro Purpuratorum Collegio non ſolum funeſtus accidit ob necem Franciſci Aledoſii Papienſis Cardinalis, quem poſt captam a Gallis Bononiam ab Urbinatis Duce Julii II. Nepote trucidatum memoravimus, ſed plurium etiam aliorum Cardinalium obitum Roma luxit; e vivis enim exceſſerant, Oliverius Caraffa, Ludovicus Borgia, Petrus Iſualia Siculus, Gabriel de Gabrielibus, Fanenſis, & Franciſcus Argentinus patria Venetus.

§. LXV.

Oliverius Caraffa.

Oliverius Caraffa natione Neapolitanus, filius erat Franciſci Caraffæ, qui Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo a Florentinis in Sarnenſi prælio captus demum octogeſimo quarto ætatis anno extremum diem obiit. Oliverius ejus filius ad Archiepiſcopalem Neapolis Eccleſiam vocatus, Anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo quarto a Paulo II. Cardinalis tit. SS. Marcellini & Petri creatus eſt, poſtea Albanenſis, Sabinenſis, Oſtienſis, Sacrique Collegii Decanus

Ciacon. in Paul. II. t. 2.

canus renuntiatus. Fatis conceſſit Romæ hoc anno die vigeſima Januarii, annos natus octoginta & amplius. Idem ipſe Joannem Petrum Caraffam Nepotem ſuum, qui demum Papa abſumpto Pauli IV. nomine creatus fuit, Clericali militiæ adſcripſit. Sæc. XVI. A.C. 1511.

§. LXVI.

Utriusque Borgiæ obitus.

Petrus Ludovicus Borgia a pueritia Valentinæ Archiepiſcopali Sedi deſtinatus, atque ab Alexandro VI. Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo purpura decoratus eſt, qui idem primum titulum S. Mariæ in via lata, dein SS. Nerei & Achillei adoptabat, ſimulque Majoris Pœnitentiarii munus obibat. Hujus mortem nonnulli ad quintam Octobris diem Anni ſupra milleſimum quingenteſimi duodecimi revocant, eumque hoc caſu obiiſſe recenſent; cum enim hic Cardinalis Neapoli ultroneo ſeſe exilio mulctaret, dein vero incertus ibi rumor de Julii II. obitu per urbem ſerperet, ipſe concitatis equis Neapoli Romam perrexit: aſt ex equo lapſus mortem eo vulnere obiit. Eodem hoc anno Franciſcus Borgia itidem Hiſpanus, ac Coſentinus Archiepiſcopus, cum Piſas ad Synodum contenderet, anno ætatis ſuæ *Aubery hiſt. Cardin.*

Sæc XVI. A.C 1511.

septuagesimo vivis ereptus est. Is ab Alexandro VI. Anno Domini millesimo quingentesimo Cardinalis tit. S. Luciæ, postea SS. Nerei & Achillei renuntiatus, demum Theatinæ Ecclesiæ præfectus fuit.

§. LXVII.

Petri Isualiæ mors.

Petrus Isualles, seu Isualia Messinæ natus, qui Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Archipresbyter, ac Reginus Archiepiscopus prius erat, ab Alexandro VI. die vigesima quinta Septembris Anno salutis millesimo quingentesimo Cardinalis Presbyter primo S. Cyriaci, deinde S. Pudentianæ declaratus est, quam dignitatem, si quorumdam opinioni fides habenda, ad preces Ferdinandi Arragoniæ Regis ob præclara obsequia eidem præstita adeptus est. Id tamen Garimberto non probatur: certius autem est, quod paulo post Legationem ad Hungariæ, & Bohemiæ Reges Sedis Apostolicæ nomine subierit. Post hæc Julius II. eundem cuidam expedito militum agmini præfecit, dato negotio, ut Bononiam, quam tum Bentivolii occupaverant, invaderet; quod & ipse tentabat, siniſtro tamen expeditionis successu, quippe cæsa suorum parte, ipse non nisi ægerrime Cesenam versus

Guicc. l. 9. & 10.

Garimb. l. 4.

Ciacon. in Alex. VI. pag. 191.

versus fuga sibi consuluit, ubi non multo post tempore die vigesima quarta Septembris Anno millesimo quingentesimo undecimo mortuus est. Delatum est corpus ejus Romam, sepultumque in Ecclesia S. Mariæ Majoris. Sæc. XVI. A.C. 1511.

§. LXVIII.

Gabrielis de Gabriellibus extrema.

Gabriel de Gabriellibus, Fani in Marchia Anconitana natus, regnante Alexandro VI. erat Protonotarius Apostolicus, Urbinatis Episcopus, demumque Cardinalis: progressu enim temporis adeo sibi devinxit Julianum Ruvereum, ut ab eo, cum sub nomine Julii II. ad Petri Cathedram ascenderet, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto in Presbyterum Cardinalem nominatus fuisset; hic Vir per vitæ suæ probitatem, atque eximiam morum comitatem omnium amorem sibi conciliabat, dein nomine summi Pontificis Perusii, Umbriæque legatione fungebatur, quam tamen ob aeris gravitatem valetudini suæ adversam paulo post dimisit, hinc Romam reversus est, ubi omnem censum, ac pecuniam, quæ ex functionis suæ juribus juste sibi obvenerat, ad pedes Pontificis lætus effudit, in Sedis Apostolicæ commodum expendendam.

Sæc. XVI. A.C. 1511.

dam. Erat in dandis consiliis adeo dexter, ut nullum alium præter Gabrielem Julius II. congressui, quem Ferdinandus cum Ludovico XII. Savonæ instituit, adhibendum censeret. Denique e vita migravit feria quarta die vigesima quarta Octobris, ut referunt nonnulli, vel juxta alios decima quarta Novembris, annos natus sexaginta sex, Vaticanæ tamen Ecclesiæ monumenta illius obitum revocant ad sextam Novembris, mortuumque testantur in Palatio Apostolico, ubi apud Pontificem habitabat. Sepultus est in æde S. Praxedis, cujus titulum habebat; duos Nepotes suos Ludovicum, & Petrum Galeatium hæredes scripsit.

§. LXIX.

Francisci Argentini fatum.

Aubery hist. Card. Ciacon. in Jul. II. p. 297.

Postremus denique fuit Franciscus Argentinus, humili loco natus Venetiis, non autem Argentinæ, ut perperam Cabrera scribit, filium cum Patre confundens, qui vere ex Argentina civitate ortus erat. Franciscus, cum esset juvenis, audax, corporis dignitate præditus, magnanimus, ac naturæ beneficio eloquens, eum Julius his dotibus captus, ad honores provehere studuit, eumque variis juxta ac graviſſimis negotiis præfecit; eidem enim curam demandavit, ut pacem

cem cum Venetis conciliaret, ac seditiosos Cardinales ad obsequium revocaret. Horum meritorum suffragio ab eodem Papa Concordiensis Episcopus, demum Anno millesimo quingentesimo undecimo Cardinalis renunciatus est, cum tanta Pontificis lætitia, ut præ gaudio totus in lacrimas diffluueret, qua tamen consolatione haud diu potiebatur: Argentinus enim eodem Anno die Sabbati vigesima tertia Augusti repentino morbo correptus obiit, non sine immodico Pontificis luctu, qui, ut fertur, præ dolore ipsius animam agere videbatur. Cadaver ejus primo in æde S. Mariæ Trans tyberim conditum, postea Concordiam delatum Cathedralis Ecclesia excepit. Posteris reliquit Franciscus, ut refert Ciaconius, quædam ingenii sui monumenta, atque inter cetera tractatum de immunitate Ecclesiastica.

Sæc. XVI. A.C. 1511.

§. LXX.

Sessio IV. Pisani Concilii Mediolani habita.

Tandem Pisanæ Synodi Patres, timore depulso, præfixa die quarta Januarii Anno millesimo quingentesimo duodecimo Mediolani quartam habebant Sessionem, cui plures, quam Pisis iutereant; accesserant enim Sanseverinas, & S. Angeli

In act. II. Conc. Pisan. p. 108. & seq.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

geli Cardinales præter Præsules Catalaunensem, Bierrensem, Valentiensem, Astensem, San-Floriensem, aliumque Episcopum, unacum Abbatibus S. Antonii, Viennensi, & Clerfensi. Ibi sacro solemni de Spiritu Sancto per Renatum Prie Bajocensem Cardinalem decantato, Ordinis Præmonstratensium Procurator sermonem habuit, in hæc Davidis verba: *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem deos judicat.* Psal. 81. v. 1. Differuit is de ineluctabili necessitate Synodum celebrandi, necnon de zelo, quo Patres vacillantem Ecclesiæ disciplinam restaurare tenerentur. Postmodum fusius scelera, quæ vineam Domini depascerent, haud alio quam Generalis Synodi remedio corrigenda enumerabat. Denique Lutevensis Episcopus Synodi decreta prælegit, quorum hæc summa est.

§. LXXI.

Decreta hujus Sessionis.

Sacrosancta generalis Synodus Pisana ad hæresum, errorum & schismatum extirpationem, ac reformationem Ecclesiæ, pacemque Christianorum & contra Infideles expeditionem divinitus inspirata definit, ac declarat, quod ipsa Synodus plurimum desideret, ut omnes fideles intelligerent, quanto justitiæ & pietatis zelo progredi intendat

eum

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

cum unione & concordia Julii II. Papæ, ita ut cum eo aut Legatorum ipsius præsentia Synodus continuari debeat, & terminari; eam ob causſam & Pisis in Sessione tertia quatuor Oratores ad ejusdem Sanctitatem ſacrumque Collegium Cardinalium Romæ existentium destinavit, qui exponerent, quod Synodus superioribus diebus miserit speciales nuntios ad ſacrum Cardinalium Collegium, qui eos rogarent, ut apud Papam intercedere dignarentur, quatenus ejus Sanctitas locum aliquem communem, atque omnibus tutum ac ſecurum pro celebrando universali Concilio juxta Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis deligeret; noſtri tamen Deputati poſt multa ſuper hoc pertractata nihil prorſus obtinere potuerunt. Ea ex re, quamvis palam eſſet, Sanctitatem ejus ab hujusmodi concordia prorſus alienam eſſe, quod poſtea longe manifeſtius apparuit ex injuſta, & illegitima privationis ſententia contra quatuor ex Patribus dicti Concilii indictoribus lata, a qua antea & poſt ipſi Patres ad nos appellarunt. Ut tamen notum omnibus fiat, ſanctam ipſam Synodum in omnibus cum benignitate, humilitate, & pace ambulare, recta via ad ipſum Papam Oratores mittendos duximus cum ſpeciali mandato, ut ejus Sanctitati offerantur infra ſcriptæ civitates fere omnes Imperiales, videlicet in Italia Vercellæ, Taurinum, Caſale montis Ferrati, & Verona: extra Italiam

Sæcul. XVI. A.C 1512.

Italiam vero Gebenna, Conſtantia, Biſuntium, Metis, Avenio, & Lugdunum, in optionem & liberum arbitrium eam, quam maluerit pro loco univerſalis Concilii deligendi. Dein ſi ex prædictis locis nullum Sanctitas ſua acceptandum duxerit, offertur ei facultas nominandi totidem Civitates in Italia, quæ nec ſub temporali ipſius, nec ſub Venetorum jurisdictione exiſtant. Quod ſi nec hoc Sanctitas ſua facere voluerit, Synodus ipſa intra quadraginta dies e præſentium data, quod juris & rationis fuerit, providebit, & cum Deo efficiet Mediolani. Ad quam juſtiſſimis ex cauſſis ex ordinatione ejusdem in tertia Seſſione Concilium ipſum translatum exiſtit.

Præterea Oratores noſtri dicent Papæ, ejusque Cardinalibus, quod deſideret Synodus res Bononienſes & Ferrarienſes tractari ac proin quod in iis ipſa Synodus adſtet Sanctitati ſuæ, dummodo deponantur arma, quousque per generale Concilium hujusmodi cauſſarum judicem competentem, quid juris ſit, definiatur. Sic enim parceretur ſanguini Chriſtiano. Datum Piſis die duodecima Novembris Anno priori milleſimo quingenteſimo undecimo.

Quoniam vero noſtri Oratores accedentes Florentiam, ac deinde Florentinæ Reipublicæ Curſorem ad Romanam Curiam miſerunt, qui ſalvum conductum a ſummo Ponti-

Pontifice implorarent, non modo tamen non obtinuerunt, sed etiam ipsi tabellario adeo graves minæ illatæ fuerunt, ut re infecta fugam arripere coactus, ad eosdem Oratores redierit, ut saluti suæ consuleret. Hinc quamvis clare & evidenter pateat, ejus Sanctitatem pacem & reformationem Ecclesiæ denegare, sancta tamen Synodus concedit pro omni & peremptorio termino alium terminum triginta dierum a die præsentis Sessionis, quæ quarta Januarii anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo Mediolani celebrata est. Intra quem terminum respondeat, & acceptet, vel nominet aliqua loca juxta instructionem præinsertam.

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

Ne vero Pontifex ignorantiam obtenderet, hoc decretum palam affigi jusserunt, illudque eam vim habere pronunciarunt, perinde ac si illud ipsimet prælectum fuisset. In alio Decreto Patres adhortantur Pontificem ac Principes, ut ab armis cessarent, ne belli tumultus pio Ecclesiam reformandi proposito obsisterent. Demum Prælati post inchoatam Synodum Mediolanum delati admittebantur, prius tamen consuetum de more juramentum præstare tenebantur; cum vero plures eorum, se nunquam Concilium accessuros, sacramento spopondissent, ac juramenti religione se teneri existimarent, hinc ab omni, cujuscunque conditionis esset, jurisjurandi fide

Sæcul. XVI. A. C. 1511.

de solvebantur, simulque ab omnibus censuris a Papa in eos latis, quas omnino nullas declararunt, liberabantur. Dein aliud adhuc decretum condebatur adversus illos, qui membrorum Synodalium beneficia vel obtinerent, vel acceptarent cunctique facta hujus Decreti promulgatione, omnibus beneficiis, commendis, atque dignitatibus, etiamsi eas ab ipso Pontifice impetrassent, spoliabantur, ac ad eas possidendas inepti declarabantur, sancitumque, cunctis hisce decretis plenam atque integram fidem esse adhibendam; cum vero quamplurimi eorum, qui Mediolanum venerant, censuris a summo Pontifice in eos fulminatis gravi terrore percellerentur, eamque ob causam ingens eorum numerus, quos Præsules sibi familiares habebant, sub prætextu *monitorii* (ut vocant) a Papa editi urbe auffugerent, ideo Synodus illis sine Dominorum suorum venia recedere inhibuit. His decretis omnium consensu approbatis, de Sessione V. actum est.

§. LXXII.

Sessio V. Mediolani celebrata.

In act. Conc. Pis. II. p. 22.

Habita est Sessio V. feria quarta die undecima Februarii, ubi Cardinalis S. Crucis Synodi Præses sacris operatus est, recitatisque litaniis, ac absoluta supplica-

plicatione Ferrerius Abbas Evangelium ex cap. 18. S. Matthæi prælegit, *si peccaverit in te frater tuus corripe eum*, quem Evangelii textum Præses explanans, illius lectionem impense commendabat, fusius in correctionis fraternæ præcepta excurrens. Sermone finito innovatum est Constantiensis Synodi decretum adversus illos, qui Synodum accedentibus injuriam inferrent, aut inde recederent, statuta in ejusmodi criminum auctores excommunicationis majoris pœna: *Quoniam vero*, inquit Synodus, *illos, quos spirituales censuræ, & divinus timor a malo non prohibent, temporalium nonnunquam pœnarum metus coercet, eapropter ipsa Synodus privat ejusmodi transgressores omnibus honoribus, dignitatibus, officiis, beneficiis, indultis ac privilegiis.*

Saecul. XVI. A.C. 1512.

Postea statutum fuit, *ut Synodus de cetero in patentibus literis utatur pendente bulla plumbea, quæ in altero Spiritus Sancti effigiem in columbæ specie, verbis in circuitu existentibus*: Spiritus Paracletus docebit vos omnem veritatem, *in altero vero Sculpturæ latere hæc verba*: Sacrosancta generalis Synodus Pisana *continebit*. His ita decretis Synodus pro Civitate Bononiensi Legatum nominavit Cardinalem Sanseverinum, eidemque die undecima Februarii Legationis suæ literas expediri jussit.

§. LXXIII.

Secul. XVI. A.C. 1512.

§. LXXIII.

Sessio VI. Mediolanensis.

In act. l. c. p. 147.

Die vigesima quarta Martii, quæ erat feria quarta, Sessio VI. celebrata est, remque divinam peregit Franciscus de Rohan Lugdunensis Archiepiscopus, quam sermo, a Guilielmo Quercio Theologiæ Doctore, atque Parisiensis Universitatis Theologo declamata excepit; hic assumpto argumento ex verbis S. Pauli: *Christus dilexit Ecclesiam, ut exhiberet ipse sibi gloriosam non habentem maculam.* ad Ephes. 5. v. 25. & 27. Christi charitatem erga Ecclesiam suam, statum hominis ante lapsum, remedia post lapsum adhibenda, & externa atque interna Ecclesiæ ornamenta exposuit, ac denique disseruit de vitiis, quibus Ecclesia tam in suo Capite, quam in potissimis membris commaculatur. Absoluta oratione Fiscales Concilii Procuratores rursum paucis referebant, qua moderatione Patres erga Julium usi essent: quam parum vero hic Pontifex cunctis eorum precibus, ac sollicitationibus detulisset, cum inducias ei concessas spreverit, necnon promissa eidem facta, atque indulgentiam hactenus exhibitam flocci habuerit. Demum incusabant Papæ pertinaciam, qua omnibus propositis obluctatus esset rationibus, quibus ad reddendam Ecclesiæ

Du chesne

pacem

pacem induci debuiſſet (*). Abſoluta hac relatione Papam denuo ad Synodum vocari, ſique poſt trinam citationem comparere negligeret, contumacem declarari poſtularunt. Annuit Synodus Procuratorum votis, moxque Catalaunenſis, & San-Florinus Epiſcopi Pontificalibus ornati, ſummi Altaris gradus conſcendebant, & trina vice clamabant: *Adeſtne Julius II. Papa, vel alius ejus nomine;* poſt hæc ad medium Eccleſiæ procedentes, idem repetebant; demum ad valvas Eccleſiæ tertiam faciebant citationem: Nemine autem comparente, Synodi Præſidem de Papæ abſentia certiorem reddebant. Sæcul. XVI. A.C.1512.

§. LXXIV.

Seſſionis VI. Decreta.

His peractis diverſa condebant decreta, velut totidem Eccleſiaſticæ diſciplinæ

(*) *Hæc ac cetera temeraria verba, auſusque ſacrilegos hi graculi a Baſileenſibus corvis didicerant; nam nil antiquius ſchismaticis eſt, quam identidem vociferari:* Pax! pax! & non erit pax; *cum illi primi pacem perturbent, ſchisma conflent, atque nutriant; hi, me hercle, egregii ſunt Synodi Patres, quorum decreta Spondanus ad hunc annum num.* 14. (*Gallus licet ac in Francia Epiſcopus*) conciliarium nugas *appellat.*

Secul. XVI. A. C. 1512.

næ regulas. Primo *admonentur omnes Concilium celebrantes, ut gravitatem & honestatem, quæ Viros Ecclesiasticos decet, observent, vitam & conversationem exemplarem ducant, & cum ad dandam legem toti orbi conveniant, ipsi prius in se legem demonstrent: meminerint se esse sal terræ, in quo opus est, ut nunc saliatur mundus, sint pii coram hominibus, ut videant bona opera ipsorum; Ipsis enim inquit Apostolus: estote exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, ipsis igitur necessaria est bona conscientia propter se ipsos, bona fama propter proximos* (*). *Quoniam vero opera, quæ hoc sacrum Concilium prosequitur, nimis grandia sunt, necessario ad Dominum recurrendum est orationibus, jejuniis, & eleemosynis pro successu & prosperitate hujus Concilii.* Ut autem certa singulis præscriberentur opera, Synodus præcepit, *ut quilibet de Concilio singulis diebus brevem saltem aliquam orationem ad Deum fundat pro felici successu Synodi; singulis*

(*) Observes velim, in actis hujus Conciliabuli subjungi hæc verba: *Quantum ad conscientiam attinet, unusquisque eam sæpe examinet, & mundet, qui Sacerdotes sunt sæpe celebrent, alii vero sæpe confiteantur.* Forte Continuatori displicuit, quod a tam præciaris Patribus commendetur frequens confessio, atque sacræ Synaxis perceptio.

singulis vero feriis quintis in majori Ecclesia celebretur Missa de Spiritu sancto, in qua omnes interſint, necnon inter Missarum solemnia duo Cursores cum pixidibus recipiant, quicquid a Concilii Membris offertur. Post Missam vero Promotores Concilii distribuant hujusmodi oblationes pauperibus: tempore autem divinorum non fiant invicem confabulationes, nec lectiones, nisi forsan in libro Missali. Præterea quilibet saltem in hebdomada semel feria sexta vel alia jejunet: qui autem jejunare non potest, det pro arbitrio quamdam eleemosynam. Prælati etiam in mensis suis sobrietatem colant, atque in omni sacerdotali convivio divinarum literarum lectio misceatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Caveant insuper omnes, ne convivia vel suspecta commercia cum mulieribus habeant; vestimentis quoque utantur, prout sacri Canones instituunt, abstineant proin a coloribus a jure prohibitis, vestesque deferant talares, & tam retro quam a lateribus & desuper clausas. Deferant tonsuras suis Ordinibus congruentes & capillos ita tonsos, ut aures pateant: Curent incedendo per viam, quanto pauciores possunt, conducere famulos, ita ut Patriarchæ nonnisi octo, Archiepiscopi sex, Episcopi quatuor, Abbates duos ante se præire contenti sint. lisdem famulis præscribebat Synodus sese vestiendi, ludendi, ac conversandi rationem.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Postea statuit, ut *omnes Religiosi existentes in loco Concilii portent habitus suarum Religionum, nec sine legitima caussa vagari extra sua monasteria præsumant. Hujusmodi vero statuta ac monita quilibet Præses per membra suæ deputationis observari faciat: transgressores autem charitative corrigat.* Denique de ordine servando in Deputationibus, Congregationibus & Sessionibus actum, Decretumque fuit, *ut quatuor ordinentur deputationes, inter quas omnia Concilii membra æqualiter distribuantur, & sint in qualibet aliqui ex Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Doctoribus, Religiosis, aliisque variarum Nationum Viris; in prima autem deputatione agatur de fide, in secunda de reformatione, in tertia de Ecclesiastica libertate, in quarta de pace; in qualibet etiam deputatione eligatur unus Præses singulis mensibus per vota singulorum, & in qualibet earum deputetur unus Promotor, Notarius, & Cursor. Hæ vero deputationes congregabuntur bis in septimana, videlicet die lunæ, & die Mercurii de mane hora septima: & si in prædictis diebus occurrerit festum aliquod præcipuum, poterit in sequenti die congregari, vel in die præcedenti, sicut per Præsidem fuerit intimatum. Quolibet mense nominentur tres de qualibet deputatione, qui conveniant simul cum Præside ad videndum materias deputationibus distribuen-*

ſtribuendas, ſic tamen, ut in fine cujuslibet Sæcul. XVI.
menſis eligantur novi Deputati, & de qua- A.C.1512.
libet deputatione tantum remaneat unus, ter-
tia vero juxta plurium Suffragia in ſuo mu-
nere perſiſtat. In deputationibus nulla ſit fa-
cultas definiendi, ſed ſolum in ſcriptis redi-
gendi, quæ in Congregationibus generalibus
perfecte definiri poterunt, poſtea in Seſſioni-
bus publicentur.

His ita ſtatutis Patres Synodi indictionem, convocationem ac celebrationem tanquam legitimam confirmant, atque approbant, quatuor innixi rationibus; quarum prima erat, quod *ejusmodi Concilia celebrari Conſtantienſis & Baſileenſis Synodus præceperit. Altera, quod ſumma & evidens eſſet neceſſitas Eccleſiæ mores tam in capite, quam in membris admodum collapſos reſtaurandi, necnon pacem ac libertatem ipſius Eccleſiæ revocandi, & innumera ſcandala ac bella ſedandi, denique prælium contra orthodoxæ religionis hoſtes ineundi.* Tertiam petebant rationem *ex juramento Julii Papæ, ac Cardinalium de ipſo Concilio infra biennium celebrando, in cujus juramenti transgreſſione ajebant, idem Pontifex generalem Synodum convocandi facultatem omnimodam Cardinalibus indulſit: eam ob cauſſam Cardinalium a Romana Curia ſecedentium portio non modo majorem ſanioremque aut duas partes Collegii, verum &*

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

integrum Collegium refert in hoc casu & repræsentat. Eapropter omnes & singulas interdicti, & excommunicationis, ac maledictionis censuras & pœnas privationis dignitatum, ac beneficiorum contra Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Doctores, Religiosos, Universitates, Reges, Duces, & Principes huic Synodo Pisanæ vel adhærentes, vel in ea persistentes declarat fore, ac fuisse irritas cum omnibus iis, quæ per Papam lata vel imposterum ferenda sunt. Quinimo præcipit Synodus, ut quilibet in omnibus suis dignitatibus & officiis libere, ut prius permaneant, & in suis beneficiis persistant, ac si præfatæ pœnæ nunquam a Papa fuissent emanatæ; demum idem Concilium prohibet, ne quis tam regularis quam sæcularis cujuslibet status, gradus, & dignitatis existat, injuriam, damnum, aut calumniam inferre præsumat, indicta pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Postmodum Synodus declarat, *hujus Concilii translationem ad Mediolani civitatem ad tempus factam urgentissimas ob causas justam, rationabilem, legitimamque fuisse, ad aliumque omnibus aptiorem locum de consensu duarum partium (*) Synodalium posse inde legitime transferri,* quia vero summus Pontifex apud Ecclesiam Lateranen-

(*) *Vide supra* §. 31.

ranensem aliud Concilium Romæ indixisse dicebatur, hinc Pisani Patres ejusdem convocationem omnino nullam, atque irritam pronunciant, *eoquod duo universalis Ecclesiæ generalia Concilia eodem tempore simul esse non possint, cum directe contradicat articulo, qui* unam tantum esse dicit sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam; hinc anathematis sententiam adversus omnes, qui Romano Concilio adhærent, fulminant, declarantque, *quod Pontifici, eoquod intra triginta dierum terminum eidem concessum nullum locum pro celebrando Concilio nominasset, ejusmodi loci electio ulterius non competat, sed in eadem Synodo resideat.* Sæcul. XVI. A C. 1512.

Denique Pisani per aliud Decretum *Maximilianum Romanorum Imperatorem & Ludovicum XII. Galliarum Regem, ex quorum instinctu hoc Concilium fuit celebratum, in Synodi protectionem suscipiunt, ac complectuntur, necnon eos eorumque regna defendere promittunt contra omnes censuras, excommunicationes, atque interdicta, quæ Julius Papa adversus illos promulgare posset.* Cum vero cernerent, quod Pontifex *spretis tot tantisque humilibus supplicationibus, benignis monitonibus, justisque requisitionibus semper tamen in sua repulsa persistat, atque iteratas Ecclesiæ voces obaudire renuat;* ideo per aliud Decretum eidem

Secul. XVI A.C.1512.

injungunt, ut *omnia contra hoc Concilium attentata intra viginti quatuor dies nulla declaret, si vero elapso hoc termino non satisfecerit, contra eum pœnarum rigore procedendum minantur*, ut vero suam agendi rationem honestarent, allegabant decreta Sessionis V. ex Constantiensi, & Sessionis undecimæ statuta ex Concilio Basileensi. Ultimo tandem *hujus Decreti publicationem jubebant fieri per affixionem in valvis Cathedralium Mediolanensis ac Florentinæ Ecclesiarum, eoquod ad ipsum Papam Romæ tutus non pateret accessus; hæc tamen publicatio ita sufficeret, ac si idem Papa personaliter requisitus fuisset, cum non sit verisimile hæc non debere ad ejus notitiam confestim evolare, quæ tam potenter omnibus innotescunt.*

§. LXXV.

Fœderatorum Principum exercitus in castris.

Guicc. l. 10. Maria. l. 30. n. 28. 29. & 30.

His omnibus ita Mediolani dispositis, Papa parando bello intentus erat, donec Concilium suum, quod nonnisi ad proximum mensem Majum indixerat, ipse celebrare posset: Interim vero totus Principum Fœderatorum exercitus ineunte mense Januario in aciem processit, ductore Raymundo Cardonna Neapolitano Prorege. Erant hæ copiæ mille octingenti

genti Cataphracti, mille sexcenti levioris armaturæ equites, peditum Italorum octo millia, totidemque Hispanorum, qui non ita pridem Bastidem de Genivolo vi occuparunt, ac jussu Petri Navarræ, qui hisce copiis præerat, præsidiarios milites unaomnes jugularunt; paucis vero post diebus Ferrariæ Dux cum urbem recuperasset, omnes quoque Hispanos, qui eam tuebantur, necem suorum ulturus trucidari præcepit. Equidem Petrus Navarra tot generosos milites cruentæ huic cædi ultro exposuisse incusabatur, nec tamen culpam a se amoliri sollicitus, demum Forolivii copias suas Fœderatis adjunxit. Ceterum Papa Urbinatis Ducem Apostolicæ Sedis exercitui præfici peroptabat, Dux vero, cum Proregi Neapolitano, qui supremum imperium tenebat, cedere renueret, castris excessit; quadam enim fœderis lege cautum erat, ut Prorex non modo Pontificis, sed etiam Venetorum copiis præficeretur; interea autem Urbinatis Ducis absentia Cardinalis Medicæi sortem auxit; creatus est enim Pontificii exercitus Dux ejusque imperio subjiciebantur Antonius Columna, Joannes Vitellius, Balionius, & Raphael de Pazzis.

Sæcul XVI. A.C.1512.

§. LXXVI.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. LXXVI.

Bononia a Fœderatis obsessa.

Marian. l. c. Raynald. hoc an. n 5. Sigonius l 5. de Epis. Bon.

Tandem die decima septima Januarii Fœderati, junctis Papæ copiis, Bononiæ obsidionem moliuntur. Hæc urbs parum munita erat, nec mænia aliis propugnaculis, quam veteribus turribus firmabantur; Bentivolius enim, cum illam Pontifici eripuisset, arcem solo æquari jussit, id postulante populo; præterea nonnisi quædam collectitiæ copiæ, necnon bis mille pedites Germani Gallorum stipendia merentes, ac nonnullæ legiones ad militiæ leges compositæ urbem tuebantur, quibus Lautrecus, & Ivo Alegrius imperabant: Cuncti tamen præsidiarii spem suam præcipue repositam habebant in Gastone Fuxo, cujus auxilia præstolabantur.

§. LXXVII.

Gasto Fuxus latis suppetiis urbem ingressus.

Nec inanis erat eorum fiducia; quippe Gasto, cum Venetos in Brixiam irruptionem moliri, hancque urbem a Ludensi Comite resistendo impare defendi comperisset, exercitus sui robur eidem admovere, validasque suppetias ductore Pre-

Precyo Alegrio mittere decrevit, nec irrito ſucceſſu; Precyus enim tam proſpere per devia agmen ſuum ducebat, ut absque unius militis diſpendio civitatem ingrederetur; interea etiam Fuxenſis nuntium accepit, quod Veneti ſucceſſu fruſtrati, trajecto Atheſis fluvio pedem retulerint, veriti, ne graviori diſcrimini copias ſuas exponerent, quibus tamen ad tuendas urbes ſuas ipſimet indigerent, ideo Fuxenſis Bononiam contendere ſtatuit. Ergo motis ad Veſperam caſtris Finario proficiſcitur, nihil remorante totius exercitus ſui alacritatem aſperrima cœli temperie, ac denſiſſima nivium procella, quæ tanto ventorum impetu quaquaverſum jactabatur, ut tam hominibus, quam equis fere omne ceſſaret oculorum officium, cumque nives vix calcatæ frigore concreſcerent, pedites fallente quovis paſſu in terram corruerent. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Ceterum Gaſto Fuxenſis exercitum ducebat mille trecentis Lanceariis, peditumque quatuordecim millibus validum, compertoque ejus adventu Cardonna Bellidux, ſubductis quibusdam ex acie legionibus, Fabricium Columnam eo, quo Galli penetrare poſſent, præmiſit, ut eis aditum urbis intercluderet. Nihilominus tam ſecundum erat Gaſtonis iter, ut hoſtibus nequidem adven- *Guicc. l. 10. n. 3. Maria. l. 30. n. 30.*

Sæcul. XVI. A C. 1512.

ventantem advertentibus, ipse die quinta Februarii versus nonam diei horam matutino tempore urbem ingressus esset: Cardonna vero reliquum diei spatium militibus suis ad reparandas vires indulgens, expeditionis labores ad alteram diem remisit. Equidem is peroptabat, ut suus adventus hostibus incognitus esset, eventu tamen fortuito prodebatur: Eques enim Epirota leviter armatus, qui Gallorum signa sequebatur, urbe egrediebatur Cardonnæ castra lustraturus; verum captus ad Ducem abducitur, a quo de obsessorum statu interrogatus respondit, adhuc nihil eorum scio, nam hesterna primum die adveni; cum vero ex eo quæreretur, quem itineris comitem habuisset, reposuit, se unacum Gallorum exercitu adventasse. Ergo Cardonna exploratores mittit, rei veritatem indagaturos, cum itaque hi verbo fidem constare affirmarent, seria suscipiendi consilii deliberatio obsidentes tenuit.

§. LXXVIII.

Obsidentes de Bonnoniæ obsidione dubii.

Tandem vero, post varia consilia incassum proposita, illud præplacuit, quo conventum, ut solido triduo, si fors Gasto prælii discrimen tentaret, copiæ ad pugnam

pugnam instructæ persistant, & Fabritius Columna cum tertia equitum peditumque parte ad Renonis pontem procedat, ibique aggeribus, fossisque castra muniat, ac tamdiu Gallorum iter retardet, donec eis exercitus occurrere posset, interea vero ex quavis centuria extrahantur milites, qui hinc urbem obsiderent, illinc cuniculos agerent, ac demum fossoribus opus absolventibus Columna revocaretur ad castra, totusque exercitus in duo agmina divisus, omni ex parte assultum in Bononiæ urbem faceret, donec expugnata esset.

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

Guicc. l. 10.

§. LXXIX.

Cardinalis Medicæus de Hispanorum cunctatione conquestus.

Cum vero Cardinalis Medicæus intelligeret, decretum esse, ut Bononia toto armorum apparatu invaderetur, haud diffiteor inquit: „ Oculorum meo„ rum acies hebetata est, nec tamen „ usque adeo, ut Hispanorum artes per„ spicere haud possim; satis compertum „ habeo, Cardonnam & Navarram uni„ ce intentos esse, ut bellum ipsis sum„ me proficuum cum dispendio cetero„ rum fœderatorum protrahant, eo con„ silio, ut Sedes Apostolica, Veneti„ que ærario, viribusque exhausti, sese

„ Regis

Sæcul. XVI A. C. 1512.

„ Regis Catholici arbitrio relinquere „ compellerentur; enimvero Fœderati „ copias ſuas urbi Bononienſi admove- „ runt, Cardonna etiam eam expugna- „ tum iri fidem dedit, Navarra quoque „ ſe urbem evoluto viginti quatuor ho- „ rarum ſpatio Pontifici redditurum ja- „ ctitavit, Julius quoque ſingulis diebus „ curſores ad caſtra transmiſit, rei ſuc- „ ceſſum exploraturos, iſti tamen ſem- „ per Pontificem quæſitis excuſationibus „ detinuerunt, jam vero ego ultra mihi „ vanis iſtis lenociniis illudi haud pa- „ tiar. „ Ad hæc Prorex moroſitate Na- tioni ſuæ propria reſpondit: „ Eccleſia- „ ſticæ conditionis Viris nulla alia ſit ſol- „ licitudo, quam ut pro felici expeditio- „ nis eorum gratia ſuſceptæ ſucceſſu fer- „ vidas ad Deum preces fundant; de ce- „ tero rem gladio dirimere, militibus re- „ linquant, equidem præ omnibus Ec- „ cleſiaſtici ad bella denuncianda prom- „ ptiſſimi ſunt, eaque tamen vix cæpta „ jam peracta vellent; præterea Julius „ Regem Catholicum ſollicitavit, eum- „ que fœderi, cujus ſucceſſus anceps eſt, „ involvit, nunc etiam Hiſpanos ſuo mo- „ do agere permittat. „ Obmutuit Car- dinalis: Cardonna vero aliquot adhuc dies ſtudioſe flexuoſas obſidionis foſſas ducere cunctabatur, ne Medicæi expro- bratione ſtimulatus, opus maturare vide- retur.

retur. Tandem autem consilium mox propositum effectui dare cæpit. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. LXXX.

Assultum rupto cuniculo tentandi consilium.

Itaque Cardonna tormentorum, quæ in Romandiola erant, curam in se suscepit; Navarrus vero prope Castellionensem portam Castrensis operæ furnos suffodere jussit, ut ea ex parte, in qua erat Sacellum, cuniculus sub muro ageretur. Viginti quatuor horas obsidentium labor tenebat, & jamjam muri ruina sexaginta perticis ampla, ultraquam ad assultum opus esset, patebat; nec tamen Fœderati in urbem irruptionem tentabant, cuniculum penitus absolvi præstolantes, eo fine, ut eodem tempore in duos ordines distributi ex una parte, quam tormentorum vis aperiebat, ex altera vero, qua cuniculus mœnia nudaret, civitatem invaderent, spe freti, præsidiarios, nequidem exspectato assultu, deditionem facturos. Igitur de signo conventum, quo dato ruptoque cuniculo mox milites per muri ruinas penetrarent: revocatum etiam fuit expeditum illud agmen, quo Columna Renonis pontem tuebatur, ut totum exercitus robur in urbis excidium intentum esset. Ipse Navarrus cuniculo *Guicc. l. 10. Paul. Jov.*

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

ignem subjecit, ubi non minus amplam, ac erat illa prius tormenti ictibus disjecta, muri partem pulveris tormentarii vis in sublime extulit. Aſt hæc ipsa tam directo lapsu deorsum in eundem locum recidit, ut nunquam avulsa crederetur, quod Bononienses velut rem supra naturæ vim, ac ordinem admirabantur, hocque casu obsidentes territi assultum differebant, donec alia ex parte cuniculi acti fuissent; omnes tamen eorum conatus in irritum cecidere.

Marian. lib. 30. n. 30.
Raynald. ad ann. 1512. num. 5.

§. LXXXI.

Fœderati soluta obsidione recedentes.

Marian. lib. 30. n. 30.

Interea Fœderati, quamvis viribus superiores, de sua tamen salute solliciti, coacto belli Senatu decreverunt, quod turbidæ tempestatis beneficio tormenta abducerentur, atque unacum sarcinis præmitterentur, demum vero ad primas noctis tenebras ipse quoque exercitus insequeretur. Hoc consilium tanta celeritate, tamque alto silentio effectui datum, ut Gallorum Duci fugæ notitiam sero nimis accipienti nil reliquum esset, quam ut equites suos, qui fugienti ultimo agmini insisterent, emitteret, exiguo tamen hostium dispendio; hi enim nonnisi triginta circiter currus hosti eripere, paucosque milites capere poterant. Recesserant

rant autem Fœderati ſeptima Februarii, Sæcul. XVI.
undeviceſima abhinc die, qua urbem ob- A.C. 1512.
ſidere cæperant.

§. LXXXII.

Brixia a Venetis capta.

Præterea ereptæ victoriæ dolorem, quem Gaſto Fuxenſis Nemorſii Dux conceperat, non parum augebat fatalis nuncius, quo compererat, Venetos die quarta Februarii pridie, quam ipſe Bononiam intraſſet, Brixiam occupaſſe, atque ipſius abſentia fretos conſilium, quod dudum agitaſſent, effectui dediſſe, ipſamque etiam arcem, quæ adhucdum Gallis parebat, armis invadere paratiſſimos eſſe, eoquod hujus urbis cives Gallorum dominatum vel maxime pertæſi, ſecreta cum Venetis commercia foverent, inſuper Ludovicus Comes de Avogaro Nobilis Brixienſis Gritto pollicitus erat, ſe Reipublicæ dominio urbem, quæ patrium ipſius ſolum eſſet, redditurum: hinc Grittus Bellidux eo exercitum ſuum admovere jubebatur, qui etiam ſuma ſolertia uſus, Atheſin, ac Mincium trajecit, Gallis equitibus ad utriusque fluminis cuſtodiam poſitis nequidem hoſtem advertentibus, quo facto Grittus Caſtanedolum, urbem a Brixia quinto lapide diſſitam contendit, demum nocte appetente *Marian. lib. 30. n. 34.*

Sæcul. XVI. A.C 1512.

inde profectus, præstituto tempore ante urbis portam sibi designatam substitit. Ast Ludanus conjurationem edoctus, tam solerter cives a portarum accessu arcebat, ut nemine tumultum ciente Grittus rursum Athesim transire, ac Montanianam repetere compelleretur, eum comitante Avogaro Comite, cujus Filius captus, Brixiam deductus est. Nihilominus Galli conjuratorum potentiæ cedere cogebantur; hi enim cum Ludanum suppetiis destitui intelligerent, Venetorum copias revocarunt, quæ scalis ad tres urbis partes applicatis introductæ fuerant: Ludanus vero cum copiis suis ad arcem confugerat. Postmodum recuperata Brixia, Bergomum, ac potissimæ urbes a Gallis captæ, Venetorum imperio sese subjecerunt, eosque apertis ultro januis exceperunt.

§. LXXXIII.

Fuxensis Bononia profectus, Brixiam recuperare molitus.

Marian. lib. 30. n. 34. Guicc. l. 10. Buonacurs. in Diar.

Quamprimum Gasto Fuxensis per nuncium a Ludano Comite missum Venetorum irruptionem intellexerat, securitati Bononiensis urbis consulturus, ibidem trecentos lancearios, peditumque quatuor millia sub Duce Lautrecco reliquit, ipse vero inde profectus eodem die Stella-

Stellatam pervenit, nec nivibus, nec gelidis, iisque assiduis nebulis itineris contentionem remorantibus; demum centum quinquaginta lancearios, ac quingentos pedites ab exercitu suo sejunctos Ferrariensi urbi imposuit, ne Fœderati ejus absentia in rem suam versa, civitatem ex insidiis caperent; ipse vero ad Molendini pontem progressus, Mantuanam ditionem pertransiit, cum vero a Mantuano Duce transitus veniam petere neglexisset, hic palam conquestus est, nihilominus tamen Fuxus, postquam Balionem Veneti exercitus Præfectum apud *Turrim-scalæ* substitisse compererat, albescente cælo sese eo contulit, nec tamen Balionem reperit, utpote qui ante duas horas castris inde motis discesserat, denuo copias suas Gritto juncturus. Sæcul. XVI. A.C. 1512. *Petr. Delph. f. 10. epist. 58.*

§. LXXXIV.

Venetorum exercitus sub Duce Balione cæsus.

Grittus recta Alberæ pontem petiit, Athesim trajecturus; ast cum Brixiam contenderet, Gasto eum aggreditur, atque in Balionem tanto impetu irruit, ut is fugam cum suis copiis Athesim versus capessere compelleretur, aliis suorum, iisque fortissimis qua cæsis, qua vulneratis. Capti fuere Rangonius Comes,

Sæcul. XVI. A C. 1512

& Balthasar Ursinus, peditesque Veneti nulla ope suffulti, positis armis victorum arbitrio sese reliquere. Porro Gasto his vitæ veniam dedit, fugitivos vero usque ad Athesis litora insecutus est, ubi flumen trajecturi una omnes aquis hausti sunt, solo Balione, cum is equo veheretur, adversam fluminis oram feliciter attingente.

§. LXXXV.

Gastonis Brixiam delati apparatus ad prælium ibidem committendum

Delibutis hisce victoriæ auspiciis, Galli iter Brixiam versus prosequuntur, atque in media via expeditam Venetorum manum cædunt, ipsumque Maleagrium Foro-Livienſem, qui ei præerat, cum pluribus aliis capiunt. Tandem Gasto, emensis intra novem dierum spatium plusquam quinquaginta milliaribus Gallicis, mense Februario, ac iniquissima cœli temperie ad locum haud procul a Brixia dissitum pervenit, ubi præprimis S. Fridiani Monasterium, quod recta *Terræ-longæ* portam respicit, vi occupavit, nec quieti spacium indulsit, donec urbem expugnasset, quam postera etiam die ad deditionem provocavit, omnium præteritorum oblivionem pollicitus, si eadem die Brixiani in obsequium Gallo-

Gallorum redirent, Venetosque Magi- Saecul. XVI.
ſtratus traderent. Aſt illi ejusmodi peti- A.C. 1512.
tum nonniſi contumelioſis jocis in Regem, Gaſtonem, Gallicamque nationem effuſis excipiebant, qua injuria Gaſto magis magisque concitatus, altera die copias ſuas urbis turri admovit, poſitisque ad portam S. Fauſtinæ caſtris, gravi oratione ſuos allocutus ajebat: „ Brixiam „ aſpicite, urbem illam opulentia cele„ berrimam, ac facilis victoriæ præmi„ um, vos quidem macti virtute eſtote, „ ac proxima opimæ prædæ ſpes vos alli„ ciat, veſtrumque ardorem accendat.„ His dictis, moxque dato ad pugnam ſigno mille quingentos ſclopetarios, quos Veneti ad tuendum propugnaculum expoſuerant, una omnes ferro trucidavit. Pertinax utrinque, cruentumque initur prælium, jamque mutua cædis immanitas in quintam omnino horam effluebat, Gaſtone interim aut accelerandæ, aut perficiendæ victoriæ primas partes agente.

§. LXXXVI.

Venetorum clades, Brixia occupata.

Demum cæſo Venetorum exercitu, ſuperatisque omnibus vallis Gaſto totus in eo erat, ut Brixiam quoque armis ſuis ſubjiceret: Ergo copiis ſuis mox in duo agmina diviſis, ipſus cum uno

Sæcul. XVI. A. C. 1512

per viam breviorem civitatem versus progreditur, alterum vero ductore Paliceo ad adversam, ubi arctior erat urbis situs, partem emittit, statimque binos ausultus tentat, atque utramque irruptionem pari impetu exequitur, murisque superatis, in quavis platea novo certamine per dimicantium acies erumpere cogitur, tanta Venetorum ac Brixiensium pertinacia, ut hi vitæ veniam obtinere desperantes nequidem victorum clementiam exorarent. Capti sunt Grittus Justinianus, qui duobus abhinc diebus Brixiam venerat, necnon Manfronius, cum quibusdam aliis sese Gallorum arbitrio permittentibus, quos inter Avogarus quoque cum duobus filiis suis numerabatur; denique urbs opum abundantia præ omnibus Longobardiæ urbibus, excepto Mediolano, longe felicissima, solidis septem diebus deprædantium militum furori exponebatur; Grittus vero jure belli captus habebatur, Avogarus autem proditor eodem temporis puncto, ejus vero duo filii paucis post diebus cum præcipuis seditionis motæ sociis jussu Gastonis capite plectebantur. Varia est Scriptorum opinio de cæsorum numero; alii enim Venetorum viginti millia & amplius numerant; Itali vero Historici nonnisi decem circiter millia recensent.

Mocenigo l. 4.

Hic

Hic fuit exitus expeditionis, quam Gasto Fuxensis susceperat, qui intra quindecim dierum spacium fortissimorum Belliducum experientiam elusit, Bononiam ab exercitu viribus suis longe superiore obsessam liberavit, aeris injuriam superavit, expedita Venetorum agmina intercepit, dissipatisque eorum indigenis militibus totum exercitum prælio vicit, ac Brixiam munitissimam continentis urbem unacum eorum Belliduce cepit. Jam omnium sententia erat, tam secunda armorum auspicia continuatæ felicitatis auguria fore, totumque Fœderatorum exercitum a Gastone penitus deletum iri, demum hunc Victorem Romam perecturum, ut Julii Papæ odium, quod in Gallos exerebat, plecteret, eoque exauctorato novum Papam eligi curaret; addebant alii, Gastonem quoque Roma Neapolin usque, cujus regni dominium Ludovicus Rex affectabat, victricia sua arma protensurum, Hispanosque castigaturum. Sæcul. XVI. A. C. 1512.

§. LXXXVII.

Henricus VIII. Gallorum hostis.

Attamen Fœderati hisce adversantis fortunæ injuriis adeo non animo frangebantur, ut eorum etiam societas novis viribus potenter cresceret; Florentini

Sæcul. XVI. A.C. 1512

tini enim Regis Christianissimi amicitiæ nuncium mittebant, necnon proximam irruptionem minitabantur Helvetii, nilque propius erat, quam ut Henricus VIII. Angliæ Rex rupto cum Gallis fœdere bellum nunciaret, Fœderatisque adhæreret. Huic quoque, ut eum ad suas partes alliceret, Julius prægrandem submisit navem, vinis generosissimis, caseis, carnibusque conditis onustam: præterea quidquid delicatius, unctiusque Italica tellus profert, eidem transmisit. Advenerant hæc munera eo temporis momento, quo Regii Senatus Sessionibus initium dabatur, placuitque tantopere Anglis Papæ benevolentia, ut eundem sibi obsequiis demereri, unice intenti essent. Auxit quoque Anglorum propensum in Papam animum Murnayensis Episcopus, qui purpuram, ad quam adspirabat, promeriturus, tam gravibus rationum momentis Pontificis causſæ patrocinabatur, ut felici verborum suorum successu Angli decernerent, quod Regni Præsules Romam ad Lateranense Concilium mittendi forent, atque Pontifex omnino adversus Ludovicum, quem Episcopus Schismaticum appellabat, protegendus esset; unde Galliæ Legatus mox ex Anglia excedere jubebatur.

Guicc. l. 10.
Paul. diacon. de gestis Longob. l. 1. c. 5.

§. LXXXVIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. LXXXVIII.

Pontificis diploma hac super re ad Henricum Angliæ Regem.

Nec segnius erat Ferdinandi Regis studium, quo Henricum ad bellum Gallis nunciandum incitabat, exponens, quod Ecclesiæ salus bellum depoſceret, proin jungendæ sint vires, ut Sedis Apostolicæ auctoritas defenderetur, totoque conatu in id incumbendum, ut Pisanorum Conciliabulum dissiparetur; præterea Rex Catholicus Henrico spem fecerat, fore, ut occasionis hujus opportunitate Aquitanniam, quam Galli Angliæ Regibus Prædecessoribus suis eripuissent, facile recuperaturus esset. Tam amplæ Provinciæ spes non modo proficua, sed etiam regni auspiciis adeo glorioſa videbatur, ut Henricus haud cunctanter fœderi a Papa, Ferdinando, Venetisque sancito nomen daret: Hæc igitur genuina fuit ratio, quæ Anglos ad violandam pacem nuper cum Gallis initam impellebat. Ceterum Henricus durante Senatus sui Sessione literas accepit, quibus Papa, ut Regem ad bellum adversus Franciam strenue urgendum animaret, cunctis ejus subditis aut per se, aut per sua bona opem laturis plenam pœnarum condonationem indulsit.

Marian. lib. 30. n. 31.

Raynald. ad an. 1512. num. 90.

§. LXXXIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. LXXXIX.

Gallis adversandi obtentus a Cæsare quæsitus.

His interea gestis Cæsar de fidei suæ constantia tam frequens Galliarum Regi suspicandi præbebat argumentum, ut nonnisi necessitate compulsus, se adhucdum aliquam in eo fiduciam reponere simularet, nec se opinione sua deceptum fuisse, brevi cognoverat; postquam enim Andreas Burgius, quem ad Cæsaris aulam ablegaverat, redisset, Rex ab eo haud obscure edocebatur, nullum sibi ultra in Maximiliano præsidium repositum esse; Cæsar enim, quod Ludovico parum faveret, tot argumentis comprobatum reddebat, ut nullus dubitandi locus supereſſet. Equidem tamdiu moderationis limites non excesserat, quamdiu Pontificis potentiam viribus inferiorem experiebatur; postquam vero compererat, quod Papa Hispaniam, Angliam, Venetos, pluresque Italiæ Principes ad suas partes dextre pertraxisset, & ipse unice intentus erat, ut sub honesto prætextu a Gallorum societate deficere posset: nec deerat illi occasio; quippe cum ex Cameracensi fœdere nullum ipsi commodum accresceret, eoquod Galli, Hispani & Papa omnes urbes a Venetis occupatas

Guicc. l. 10.

tas sibi denuo assererent, tresque urbes, in quas ei jus competebat, Travisium nempe & Patavium adhucdum Venetis parerent, Veronam autem pignoris loco cedere a Galliarum Rege compelleretur, Cæsar hac de re graviter conquestus, Ludovicum ad tam duras conditiones adstringere statuit, ut etsi plurium prælio- rum victor exstitisset, asperiores leges eidem dictare haud valuisset. Sæcul. XVI. A.C.1512.

§. XC.

Immodicæ postulationes Cæsaris ad Galliarum Regem.

Quippe Maximilianus a Gallorum Rege postulabat: I. Suis expensis Patavium, Tarvisium, ceterasque Continentis urbes Imperio rursum jungendas, expugnaret, easque Cæsaris dominio traderet; II. Ludovicus Renatam de Francia filiam suam secundo genitam vix biennem Ferdinando Imperatoris Nepoti, ac Caroli Archiducis fratri natu minori Sponsam concederet, eidemque, dotis nomine, Burgundiæ Ducatum, hucusque Gallico regno conjunctum cederet, moxque Renatam ad Cæsaris aulam ibidem, usque dum Viro matura esset, educandam transmitteret; III. Maximilianus arbiter seligeretur triplicis illius controversiæ Franciam inter & Sedem

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

dem Apostolicam motæ, nimirum de unienda Ferraria, & recuperanda Bononia, ac de Pisani Concilii auctoritate; in his vero rebus Cæsaris judicio staretur; IV. Gasto Fuxensis nullam urbem oppugnaret, nec quicquam gravioris momenti aggrederetur, absque consensu cujusdam Principis Germani, qui eidem tanquam consilii sui caput adjungeretur; denique V. Gallis nihil eorum, quæ in Italia occupaturi essent, pro se retinere, aut ultra ea, quæ in Mediolani Ducatu, ac Venetorum Continenti possiderent, Imperii sui limites protendere liceret. Harum propositionum insolentia amicitiam solvendi animum satis manifeste prodebat, quamvis Cæsar inviolabilem Cameracensis fœderis fidem profiteri videretur; nihilominus Ludovicus, ne ipsus quæsito obtentui suffragaretur, Maximiliano quinquaginta aureorum millia submisit, ac præsidia urbium, quas in Continenti adhuc tenebat, duobus lanceariis peditumque tribus millibus auxit, interea vero eidem respondere distulit, donec de novi fœderis cum Helvetiis successu edoceretur.

§. XCI.

Ludovicus Helvetios a Papæ obsequio abstrahere, incassum conatus.

Ludovicus Helvetios Gallorum studiis rursum

rursum devovendi negotium dedit Lanoyo Ambianensi Principi, qui literis argentariis sat copiosis munitus, ad Badensem congressum venit, ejusque præcipuis membris multo auro corruptis ampliffima obtulit promissa, ut Helvetiorum pagos ad Gallorum partes revocaret; Sedunensis vero Cardinalis tam valide cuncta Lanoyi consilia evertit, ut Helvetii sacræ Sedi nunquam violanda fide addicti permanerent, ac nullo pacto a Fœderatorum societate avelli paterentur, imo iisdem quoque promitterent, se ad augendas eorum copias mox sex armatorum millia submissuros. Denique Lanoyus haud plus impetrare poterat, quam ut illos, qui annua a Rege stipendia perceperant, ad differendam fœderis executionem per aliquod tempus induceret, idque Gallis saluti fuit; hac enim de causa sex illa Helvetiorum millia nonnisi post Ravennatense prælium Papæ, Fœderatorumque copiis accesserant.

Sæcul. XVI. A C. 1512.

Raynald. ad ann. 1512. n. 27.

§. XCII.

Florentini Fœdus cum Gallis innovare renuentes.

Præterea Florentini, Synodo Pisis Mediolanum translata, in dies fidem suam Gallis magis suspectam reddebant; cum enim aliquot post menses fœdus inter

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

ter eos, Gallosque initum expiraret, & Ludovicus illud innovare percuperet, a suis Amicis nuncium accepit, Florentinos huic consilio graviter obluctari; eoquod Pontificis benevolentia devicti, ac non ita pridem ab anathemate censurisque, quibus ob præstitum Pisanis Conciliaribus favorem irretiti erant, soluti fuissent; insuper nuntiatum erat, quod Papa ad eos velut Sedis Apostolicæ Internuncium misisset Joannem Gozzadinum Cameræ Clericum, qui eos Pontificiæ gratiæ certos redderet, illisque gratularetur, quod Pisanum conciliabulum a sua ditione expulissent. Hunc ipsum Gozzadinum comitabatur Franciscus Guicciardinus Pro-Regis Neapolitani Procurator, quorum uterque Florentinos a prorogando cum Gallis fœdere avertere omni ope & opera adlaborabat. Valuit etiam successus, eorum tamen suasu Florentini neutri parti adhærere decernebant.

§. XCIII.

Fuxensis Fœderatorum copias aggredi, a Rege jussus.

Igitur nonnisi Ferrariæ Dux, ac Bentivolii in Gallorum fide perstitere; verum hi adversus tam potentes hostes prorsus infirmi armorum socii erant, qui potius ad attenuendas, quam augendas Ludo-

Ludovici vires idonei videbantur; quapropter Rex, cum in Fœderibus sanciendis opem desperaret, simulque longiori mora sese conjungendi, suaque consilia excoquendi spacium hostibus suis concedi intelligeret, consultius judicabat, prompto certamine, ex quo cetera penderent, rem dirimere. Unde Gastoni negotium dedit, ut hostem provocaret, ac Papæ, Regisque Catholici copias data quacunque occasione profligaret; hanc in rem Rex novis suppetiis ex Francia missis exercitum suum auxit, qui mille sexcentos lancearios, quinque peditum Germanorum millia, regiorum vero subditorum tredecim millia recensebat, cui Ferrariæ Dux cum ducentis cataphractis, validoque tormentorum apparatu proxime accessurus sperabatur. Advenerat quoque Sanseverinas Cardinalis nomine Pisani Concilii legatione functurus; quod officium Cardinalis Medicæus nomine Julii II. in Fœderatorum exercitu obibat. Sæcul. XVI. A. C. 1512.

Porro Regis Ludovici mandata Gasto ad nutum exequebatur, ac Brescia profectus, Finarium in Mutinensi ditione situm pervenerat, eidemque in Bononiensi tractu ad S. Georgium Ferrariæ Dux sese adjunxit. Fœderatorum exercitus numerabat mille nongentos cata-

Sæcul. XV. A.C. 1512.

phractos, ingentem equitum leviter armatorum numerum, peditumque viginti millia; hæ copiæ haud procul a Forolivienſibus mæniis caſtra tenebant tam valide munita, ut ea aggredi temerarium eſſet, præcipue cum illis nunquam excedere decreviſſent; Ferdinandus enim diſertis verbis jubebat, ne prælii diſcrimini ultro ſeſe committerent.

§. XCIV.

Prælium a Fœderatis declinatum.

Hujus vero mandati rationem obtendebat Rex Catholicus, quod ſiniſtro forte armorum ſucceſſu Regem Angliæ a fœdere, quod proxime firmaturus eſſet, avertere haud oporteret; Angli enim, inquiebat ipſe, in Occidaniam, atque Aquitanniam irrumpere, atque Ludovici exercitum nova expeditione diſtrahere tentabunt, quo facto Rex Franciæ mediam partem copiarum, quibus Gaſto præeſt, revocare, ſuumque exercitum diminuere compelletur; tum vero facilius Galli opprimi poterunt. Igitur appropinquantibus Gallis, Fœderati ad mœnia Fori-Cornelienſis urbis ſeſe receperunt: Gaſto autem, ut eos caſtris ſuis excedere cogeret, exercitum ſuum in Romandiolam duxit, finxitque, ſe inde recta Romam iturum, aut demum ex Marchia Anco-

Anconitana in Neapolis regnum irruptionem tentaturum. Nec dolum eventus fefellit; quippe Prorex Neapolitanus ad caſtellum Bononienſe caſtra ſua poſuit, dum interea Fuxenſis Granarolam, Solaroli caſtrum, & Cotignolam occupabat, ut ad expeditam annonæ ſubvectionem liberum ad Ferrarienſes aditum ſibi panderet. Ceterum continuo inter hoſtium agmina progrediebatur; Fœderati tamen viarum anguſtiis, ac fluminum ambitu ſeſe adeo opportune tuebantur, ut certaminis diſcrimen declinarent. Sæcul. XVI. A. C. 1512.

§. XCV.

Induciæ Imperatoris cum Venetis.

Hæc dum interea gerebantur, Ferdinandus Ludovico bellum nunciavit, ſuumque legatum, qui in ejus aula agebat, protinus ex Francia abire juſſit. Nihilominus hanc eandem belli denunciationem cuidam conditioni adſtringebat, poſtulans, ut Ludovicus illatas Pontifici injurias modo, quo ipſe peteret, reſarciret, ſi vero id exequi diutius recuſaret, Regi ſignificabat, ſe ad arma vi coactum iri. Verum his Ferdinandi minis Rex non admodum terrebatur; ſubidem vero tempus eidem nunciatum, quod Maximilianus Cæſar conciliatore Hieronymo Vico, Regis Catholici Romæ legato, *Marian. l. 30. n. 35.*

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

gato, non ita pridem cum Venetis decem Menſium inducias ſanxiſſet, ea tamen lege, ut Respublica fidem daret, ſe Cæſareæ ſuæ Majeſtati certam pecuniarum ſummam numeraturam, quæ tamen damna a Venetis Imperio illata, nec indemnitatem, quam Imperator ſibi pollicebatur, minime æquabat. Hoc nuntio Rex Franciæ territus, vehementius urgebat, ut Gaſto cum Cardonna manus conſereret, priusquam Fœderati Cæſaris defectionem in rem ſuam vertere poſſent.

§. XCVI.

Ravenna a Gaſtone obſeſſa.

Guicc. lib. 10. Spond. ad hunc ann. n. 5

Gaſto accepto Regis mandato Duces ſuos convocavit, eisque expoſuit, Fœderatos ad pugnam compellendos eſſe, eoquod nil conſultius foret, quam urbem quamdam, de cujus ſalute plurimum eorum intereſſet, aggredi; quænam vero illa eſſet, diu deliberatum, tandem vero decretum, Ravennam expugnandam eſſe; huic enim civitati præ ceteris Papam mox ſuccurſurum, perſuaſum erat omnibus. Fœderati explorato Gaſtonis conſilio expeditam militum manum ductore Marco Antonio Columna urbi imponere tentarunt. Valuit etiam ſucceſſus; quippe Columna die octava Aprilis Ravennam

vennam ingressus est, altera autem post hora Gasto eandem obsidere cæpit, prima vero castra posuit Montanam inter & Bedesin fluvios, qui ex Apeninis alpibus procurrentes vix non Ravennæ mœnia alluunt, demumque media infra urbem leuca se conjungunt, portumque exhibent, eo situ, ut dextram Gallici exercitus aciem Bedesis, sinistram vero Montana clauderet, urbs vero utramque recta respiceret; ibi Gasto pontem Montanæ fluvio imposuit, mediamque exercitus partem trajicere jussit, castrisque trans flumen positis, ad fallendum hostem impressionem facere paravit; cum vero urbem, priusquam hostes in auxilium venirent, subigere meditaretur, structis duobus aggeribus tormenta imposuit, ac solidis viginti quatuor horis urbem continuis explosionibus verberavit, nec tamen viginti perticis ampliorem in muris hiatum aperuit, unde nonnisi superior mœnium pars nudabatur: inferior autem ad senipedalem altitudinem intacta permanebat. Sæcul. XVI A.C. 1512.

§. XCVII.

Ravenna assultu invasa.

Cum vero Gallorum exercitus annonæ inopia jamjam laborare inciperet, eoquod Venetorum classis illius subve-

Sæcul. XVI A.C. 1512.

ctionem præpediret, necnon Fœderatorum copiæ urbi suppetias laturæ appropinquarent, hinc Gasto assultum tentare decrevit; quocirca ex quavis centuria decem cataphractos equis desilire jussit, & mille Gallos pedites selegit, totidemque Germanos, nec paucioros Italos atque hos omnes, cum mœnia, quæ transcendere oportebat, sex pedum altitudinem haberent, scalis instruxit, atque ad assultum eduxit; tres omnino horas immota utrinque tenuit dimicantium pertinacia, Gallique quinque aut sex vicibus repulsi, toties prælium restaurarunt, donec tandem pedem referre compellerentur, selectioris militiæ ducentis, aut ferme trecentis ante eversi muri ruinam misere trucidatis, quos inter Jacobus quoque Castillionæus de Coligni Parisiensis Præfectus, necnon Espinacius supremus rei tormentariæ Locum-tenens numerabantur.

§. XCVIII.

Gasto Fœderatis pugnam offerre paratus.

Altera die, cum Fœderatorum copiæ in aperto campo sese explicarent, ac nonnisi altero milliari a Gallorum castris Isapin inter & Bedesin abessent, Gasto nec amplius urbem tormentis quatere, nec

nec alteram irruptionem tentare, ſtatuit, ſed potius ex ipſo hoſtium conſpectu territus, tormenta reducere decrevit, atque itinera æquari juſſit, ut illa eo expeditius inde abſtrahi poſſent. Interea vero Fœderati ad Pinetenſe nemus, quod a Ravenna usque ad mare excurrit, progreſſi tam ſollicite caſtra ſua muniebant, & territorium quoddam vaſtiſſimum perinde ac ſi Gallis numero longe inferiores eſſent, foſſa non minus lata, quam profunda cingebant, ſuaque caſtra undique includebant, ut ibidem tuto copias in aciem inſtruere poſſent, hiatum nonniſi viginti pedibus largum relinquentes, ut exinde equitum turmas ad exploranda hoſtium molimina emittere valerent. Altera die, quæ erat Paſchatis feſtum, undecima Aprilis hoc anno Gaſto albeſcente cœlo totum exercitum Bedeſin flumen trajicere juſſit, relictis duntaxat mille peditibus, & lanceariis quingentis, qui contra Ravennatenſium præſidiariorum eruptiones maxime obſidionales foſſas ſub duce Alegrio tuerentur. Poſtea Gaſto toto agmine mox in aciem diſpoſito, ſigna in hoſtem convertit, eo ordine, ut exercitus tergo Ravennam verſo cavam lunam exhiberet, atque illius cornua equitatus, mediam vero aciem peditum agmina firmarent.

Sæcul. XVI. A C. 1512.

Marian. lib. 30. *n.* 40.

Sæcul. XV.
A.C. 1512.

§. XCIX.

Utriusque exercitus ordo.

Acies autem hoc modo ſtetit: Ferrariæ Dux, & Paliceus primo agmine usque ad fluvium explicato dextrum cornu tuebantur, in quo erant ſeptingenti lancearii, peditumque Germanorum ferme quatuor, aut quinque millia. Poſtea Ludovicus Brezæus ſupremus Normanniæ Seneſcallus, & Sanſeverinas Piſani Concilii Legatus mediæ aciei præerant, poſtremum vero agmen Fridericus Bozzolus ducebat: ad ſubitaneos vero prælii caſus Gaſto Fuxenſis ſelectiores locaverat equitum copias, quæ etiam peditatum tegerent, atque ad quosvis inopinatos eventus opportuno neceſſitatis præſidio accurrerent. Nil vero Fœderatorum res utilius promoviſſet, quam ſi Cardonna Gallis fluvii trajectum interclusiſſet, aciemque inſtructam tenuiſſet; ac re ipſa hoc conſilium arripere debuiſſet, prout etiam provide Fabricius Columna Cardonnæ ſuaſerat. Aſt prævaluit Petri Navarri ſententia, non tamen ſine irreparabilis culpæ diſpendio. Ceterum Columna in prima Fœderati exercitus acie octingentos cataphractos, ſexcentos equites leviter armatos, & quatuor millia peditum habebat; reliquæ omnes

Guicc. lib. 10

copiæ

copiæ in duo duntaxat contrahebantur agmina, quorum uni Prorex Neapolitanus, alteri Navarrus imperabat. Utroque exercitu sic instructo, Belliduces legiones lustrabant, cunctosque ordines obequitabant, ac milites suos ad pugnam accendebant, eisque animos addebant: quinimo Scriptores Itali æque ac Hispani Gastoni de Fuxo prolixum sermonem ad suos milites attribuunt, omnesque eloquentiæ fontes exhauriunt, totoque ingenio vehuntur, ut ampliſſima Gastoni verba accommodare valeant. Sæcul. XV. A.C. 1512. *Mariana l. 30. n. 40. Guicc. lib. 10.*

Jam in conspectu utraque acies erat, utrinque certaminis avidissima, cum Gasto copias suas, licet horrendæ hostilium globorum tempestati expositæ essent, duabus horis subsistere jubet, tormentorum suorum successum præstolaturus, quæ in dextero cornu prope Bedesin locaverat: ea vero, cum exiguam hostibus stragem inferrent, quantocius ad lævum cornu transtulit, eorumque primis emissionibus sinistra Fœderatorum peditum acies prosternebatur. Nulla mora Fabricius Columna & Piscarius Tribunum ablegant, qui Cardonnæ significaret, quod totum agmen, si diutius intra aggeres hærere compelleretur, Gallorum tormentis periret. Attamen Prorex haud flecti poterat; interea vero Gallis denuo

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

tormenta sua non sine magna Fœderatorum strage explodentibus, tandem Columna, Piscarius, ceterique Duces inultam mortem ibi oppetere dolentes, ex suis aggeribus excedere cogebantur, invito licet Cardonna, qui tamen & ipse, ut horum cladem præpediret, illos quoque imitari compulsus est.

§. C.

Pertinax utrinque pugna.

Rubeus l. 8. Guicc. l. 10. Nicol. Basel append. ad Chron. Naucler.

Posthæc prælium ad belli leges instructum fuit initum, magisque exarsere utrinque dimicantium studia; Piscarius enim Marchio, ut Gallicorum tormentorum furorem averteret, equites suos leviter armatos eduxit, strictoque gladio in equestre Gallorum agmen toto impetu irruit, cataphracti vero collato utrinque pede primi cominus pugnam perturbatis licet ordinibus, neglectisque militaris disciplinæ legibus conseruere. Pugna varia, atrox erat, pertinax, & anceps, his atque illis sæpe exitialis, fortuna enim victoriam alternabat; tanto tamen furore uterque exercitus primum excipiebat impetum, ut quamplurimis ultro citroque cæsis, aliis majore adhuc numero vulneratis, non pauci ad pugnandum inhabiles redderentur: Equites quoque peditesque confuso agmine, ac pro-

promiscuo, mutuoque interitu desævie- Sæcul. XVI.
bant, & quasi singuli inter se dimicabant, A. C. 1512.
pari utrinque fortitudinis ardore, atque æquali cædis aviditate; cum autem Galli equites Fœderatis numero superiores essent, hos a fronte urgebant, atque in transversa eorum latera irruebant, quamvis hostium repugnantiam expectatione majorem experti essent, tandem vero tanto furore, tantaque vincendi cupiditate in Fœderatos effundebantur, ut hi numero oppressi, cum omni ferme ex parte lacesserentur, & undique cincti essent, paulatim loco moti pedem referrent, atque non modo ordinibus, sed etiam cunctorum animis omnino turbatis, unaomnes fuga dilaberentur, Piscario Marchione, cum in prælii ardore equum suum amisisset, a Gallis capto.

§. CI.

Gallorum agmen a peditibus Hispanis cæsum.

Ceterum primo hoc prælii impetu Petrus Navarrus de statione sua minime discesserat; postquam vero Equitatum fusum fugatumque intellexerat, & ipse quoque periculum sibi proxime imminere ratus, Hispanos pedites, quibus præerat, in Gallos duxit, tantaque rabie in eorum legiones irruit, ut cunctis, quos *Marian. l. 30 n. 40.*

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

quos ei obvios infausta fors dederat, trucidatis, ceteros perruptis eorum ordinibus, eodem temporis puncto in fugam ageret. Hispani prospero pugnæ successu animis erecti, haud impari fortitudine in Vascones, Italosque pedites irrumpebant, eosque vix edita pugna propulsabant, ac præcipiti fuga salutem quærere compellebant. Ast horrenda magis erat Germanorum perturbatio: hi enim ferme omnes gladio jugulati occubuerant; Galli equites hac cæde comperta, peditumque suorum fuga uno impetu in Hispanos effundebantur, tantoque furore eos invadebant, ut brevi communis inter hostes confusio esset, eorumque legiones perfringerentur. Tum vero similis ruinæ strages erat, jacebant in ipsa prælii acie quamplurimi Hispanorum Duces in ora proni; ipse quoque Petrus Navarrus in captivitatem abstrahebatur; alia ex parte Alegrius quidem in quoddam agmen Italorum effusus, illud profligavit, ipse tamen cum quibusdam aliis vulneratus obiit.

§. CII.

Gasto Fuxensis Nemorsii Dux prælio occisus.

Gasto Fuxensis prospero hoc successu elatus, hostilis peditatus reliquias, quæ

quæ valido adhucdum agmine conſtabant, penitus delere, animo conſtituit; cum vero Palicius Gaſtonem ſago undique ſanguine tincto indutum conſpiceret, vulnere affectum exiſtimans, a reſtaurandi prælii conſilio avertere omnibus viribus conabatur, eidemque exponebat, quod partæ gloriæ ſatur eſſet; cum generoſos adeo milites, qui vitæ ſuæ jacturam nonniſi aliena cæde compenſare aſſueti eſſent, ferocius laceſſere, omnino temerarium ſit. Aſt Gaſto prudentibus hiſce conſiliis, monitisque ſurdas præbebat aures, ſpretisque Palicii rationibus, primus ipſe copias ſuas educens Hiſpanos rurſum adoriebatur. Hi vero, cum hoſtem inſtare intelligerent, ſigna in eum convertebant, atque invicta animi virtute dimicabant, in quo prælio Gaſto incautius, longiusque abreptus, equo ſuo dejiciebatur, eumque mox Hiſpanus, quem ipſe vulneraverat, in terra ſupinum, latusque dextrum erigentem haſta ſua transfixit, Ducemque tum non niſi viginti quatuor annos natum trucidavit. Hujus mortem Ludovicus Rex tam acerbo dolore planxit, ut Palicii epiſtolam, qua hic Ducis fatum ſignificabat, perlegens exclamaret: *utinam Italiæ univerſæ jactura Gaſtonis Fuxenſis Nepotis mei, totque ſtrenuorum militum vitam redimere poſſem; ſimiles victoriæ inimicis contingant.*

Incly-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Cl Seyſſel & Joann. Autum hiſt. Lud. XII. Paul. Emil. in Lud. XII. Paul. Jov. Guicc l. 10. Brantom. elog. hom. illuſt. Hiſt. Bagard. l. 52.

Marian. lib. 30. n. 42.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Inclytus ille Bellidux Joannis de Fuxo, Stamparum Comitis, ac Narbonæ Vice-Comitis Filius erat. Matrem habuit Mariam Aurelianenſem, quæ Caroli Aureliæ Ducis filia, necnon Iſabellæ de Francia Ludovici XII. ſoror fuit. Idem a Rege Mediolani Gubernator, ac ſupremus in Italia exercitus Imperator nominabatur. Corpus ejus non tam funebri, quam triumphali pompa Mediolanum deferebatur, ejusque exequias Medicæus Cardinalis Julii II. Legatus, Piſcariæ Marchio, & Petrus Navarrus comitabantur, qui omnes tres prælio capti pedeſtres, ac humili ornatu Gaſtonis manibus parentabant. Cadaver ad latus ſummi Altaris depoſitum eſt, erectumque trophæum vexillis ac devictorum armis decoratum; Verum hæ exuviæ, hoſtiumque ſpolia paulo poſt everſa fuere, poſtquam Galli exeunte hoc anno e Mediolani Ducatu expellebantur. Sedunenſis quoque Cardinalis Nemorſii Ducis corpus ex Eccleſia Cathedrali projici, illudque clam in æde Sanctimonialium D. Marthæ ſepeliri juſſit, eoquod Ducem anathemate perculſum, armaque contra ipſam Sedem Apoſtolicam tum gerentem mors intercepiſſet. Tertio autem poſt anno Gallis Mediolanum reverſis denuo Gaſtoni ſolemne monumentum erigebatur, quod tamen rurſus everſum

sum est. Hodiedum vero in muro cujusdam areæ apud præfatas Moniales a latere Ecclesiæ hujus Principis imago impressa conspicitur. Sæcul. XVI. A.C.1512.

§. CIII.

Galli parta victoria stationem in acie tenent.

Præterea Lautrecus penes Gastonis corpus equo dejectus, multisque vulneribus confectus, in prælii acie velut exanimis relinquebatur; cum vero eundem nonnulli in hoc miserabili statu reperirent, postquam ultimum Hispanorum agmen sese receperat, illum adhucdum spirantem cernebant, unde illum ad castra deferebant, imo ea etiam corporis agitatione Lautrecus linquentem animam revocabat, ac diuturno morbo pressus, tandem pristinam valetudinem recuperabat, relicto haud alio infortunii sui vestigio, quam facie enormiter fœdata. Ceterum Gallis prælii campus, Fœderatorum tormenta, vexilla, atque sarcinæ cesserunt. De cæsorum numero variant Scriptores, utrinque vero quindecim millia, quorum una pars ex Gallico, duæ ex Fœderato exercitu erant, desiderata fuisse, certiori calculo definiri poterit. Ex Gallis præter Gastonem trucidati fuere Ivo Alegrius, Molardus Vas-

conum

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

conum & Empserus Germanarum legionum Tribuni, necnon Baro de Granmontio, Maugironus & plurimi alii. Fœderati luxerunt Menaldum Cardonnam, Petrum Dacunam, pluresque centuriones; solus vero ex Pontificis exercitu Pazzius Italorum Tribunus cecidit. Capti sunt Joannes de Cardonna, Bitunti Marchio, Fabricius Columna, Piscariæ Marchio, Navarrus, Cardinalis Medicæus Papæ Legatus, centumque alii Nobiles ac Tribuni.

§. CIV.

Ravenna assultu capta atque a Gallis direpta.

Marian. l. 30 n. 41. Raynald. ad ann. 1512. n. 21. Rubeus hist. Rav.

Fuxensi mortuo, exercitus imperium Palicio deferebatur, qui victrices copias suas mox Ravennati urbi admovens, ad eandem muri ruinam, a qua pridie repellebatur, exercitum duxit. Inde factum, ut Marcus Antonius Columna, qui urbi præerat, missis quantocius Deputatis deditionem fieri postularet, de cujus tamen legibus cum ageretur, Germani unacum Vasconibus, ubi muri hiatus patebat, assultum tentabant, ac post mediæ duntaxat horæ labores per disjectam mænium partem urbem ingressi, eam diripuerunt; Galli enim parta victoria ferociores ac Gastonis jactura magis exacerbati, viola-

violatis deditionis legibus, urbem miſe- Sæcul. XVI.
re devaſtabant, tantaque erat in Ra- A.C. 1512.
vennatenſes Gallorum crudelitas, quantam, qui oculis non ſubjecere, animis concipere non poſſunt; omnes enim humanitatis limites exceſſerat effera militum licentia, nulloque habito reſpectu ſacra æque, ac profana hiſce indomitis, impotentibusque furiis exponebantur. quinimo etiam referunt Hiſtorici, quemdam Jachinum peditum centuriorem eo impietatis deveniſſe, ut ex quibusdam Eccleſiis ſacra lintea auro intertexta aufferret, atque ex iis ſacras veſtes conficeret, talique apparatu Ravennatem urbem pervagaretur, de ipſis ſuis ſacrilegiis impudentius ſeſe jactitans; hic tamen meritas poſtea impietatis ſuæ pœnas dedit. Porro tam opima in urbe præda inveniebatur, ut divitiarum copia militum exſpectationem ſuperaret, Gallique miſeræ urbis hujus ſpoliis diteſcerent; Nec tamen hic ſtetit victorum inſolentia; ipſam enim civitatem comburere decreverant, jam jamque ignem ſubjecerant, Palicius tamen opportune ſuperveniens, incendii calamitatem prævertit. Altero poſt die Marcus Antonius Columna, qui ad arcem confugerat, deditionem obtulit, quæ eidem concedebatur, ea tamen lege, ut nec ipſe nec milites ejus ſolido trimeſtri ad-

Sæcul. XVI. A.C.1512.

versus Gallos arma sumerent; sub iisdem quoque conditionibus Julius Vitellius Episcopus Tivernensis urbis suæ portas Victoribus aperuit; postea vero omnes Romandiolæ urbes Sanseverinati Cardinali Pisani Concilii Legato sese subjecerunt, Forolivio, ac Foro-Cornelio exceptis. Ast hic stetit secundi prælii successus, ipsismet Gallis victoriæ cursum remorantibus.

§. CV.

Papa, omnesque Romani hujus victoriæ fama territi.

Guicc. l.10. Raynald. hoc ann. n. 22.

Insignis hujus victoriæ fama late ubique diffusa Romanos cives haud minori terrore oppressit, perinde acsi Galli jamjam urbis portas invaderent: unde Cardinales ad Pontificis palatium accurrunt, ad ejus pedes sese provolvunt, urgent & instant, ut tam suæ quam Collegii saluti prospiceret, postea eidem exponebant, quod merito timendum sit, ne Proceres Romani seditionem moveant; eoquod jam plures eorum secreta cum Gallis consilia cuderent, atque inter eos non infimus esset Urbinatis Dux, nec temere conjici posse ajebant, quod Dux ducentos suos Lancearios, aut peditum quatuor millia juncturus sit copiis. quas Pompejus Columna, Robertus

bertus Urſinus, Antonius Sabellius, Petrus Marganus, & Laurentius Mancinius in variis ſtatus Eccleſiaſtici urbibus conſcripſerant. His perceptis nil propius videbatur eſſe, quam ut Papa importunis Cardinalium precibus cederet, cum ecce! Ferdinandi, Venetorumque Legati opportune accurrunt, ac Papam metu liberant, illatæque cladis acerbitatem pro viribus diminuunt, & huic malo expeditum adeſſe remedium exponunt, necnon ſubjungunt, Helvetios numero longe plures proxime adventuros, quam ad reparandam eorum jacturam, qui Ravennatenſi prælio occubuiſſent, neceſſarii forent; ac Angliæ Rege Gallis bellum nunciante, brevi eorum victoriis finem imponendum, eoquod potiſſima fœderati Equitatus pars unacum Cardonna & Carvajalo feliciter victorum manus effugiſſet, Hiſpani vero equites, haud dubie fœderati exercitus robur, compoſite ſeſe recepiſſent, denique militarem Gallorum turbam occiſo eorum Duce corpus eſſe ſine ſpiritu inquiebant. Sæcul. XVI A.C. 1512.

§. CVI.

Papa a Cardinale de Medicis animo erectus.

Verum cuncta hæc rationum momenta anxias Papæ curas parum ſeda-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

bant; Cardinalium vero, qui eidem, ut in exteri Principis ditionem confugeret, ſuadebant, conſilia iniquo ferebat animo, veritus, ne aut ignaviæ, aut pannici timoris calumniam, atque ludibrium incurreret, ſi forte non adeo urgens periculum reapſe ſubeſſet. Ut ergo facilius ſeſe expediret: ſatius eſt, inquit, Gallos pacis ſpe detinere, Florentini enim illius conciliatores erunt; interea vero Baſciæ Architalaſſo meo negotium dabo, ut ſuas triremes ad civitatem veterem adpelleret, ſicque ceteris perſuaſum erit, me conſcenſis navibus Neapolin petiturum. Cum jamjam Papa hæc conſilia exequi decerneret, ejus animum adeo dextre Cardinalis Medicæus erigebat, ut Pontifex omni metu depulſo priſtinam ſuam ſerenitatem revocaret; Cardinalis enim a Palicio captus, tam ſcite Piſani Concilii Purpuratos ſibi devicerat, ut ab eis de toto Gallicarum rerum ſtatu exacte edoceretur: quocirca Julii Pontificis gratiam ſibi demereri perſuaſus, eidem omnia, quæ percepiſſet, manifeſtare ſtatuit: hanc ob rem a Palicio veniam petiit, ut pro privatis ſuis negotiis Julianum Medicæum, Rhodiorum Commendatorem, Patruelem ſuum Romam mittere poſſet, pollicitus, ſe Papam, ſuosque amicos, ut lytrum penderent, inducturum, inſuper etiam eidem ſpem

Buanocourſ. in Diariis.

Raynald. l. c. n. 23.

spem fecit, se recuperata mox libertate pacem inter Sedem Apostolicam, Gallosque conciliaturum. Annuit Palicius hoc promisso captus. Sæcul. XVI A.C. 1512.

§. CVII.

Julianus Medicæus ad Papam a Legato Cardinale missus.

Ergo Julianus Medicæus Romam venit, atque ad secretum admissus colloquium summo Pontifici hæc exposuit: notum sit sanctitati vestræ, quod Galli in Ravennatensi prælio ingentem cladem sint perpessi, & Palicius cum Sanseverinate Cardinale simultates habeat, insuper Galli ferme innumeris Ravennæ spoliis onusti signa deserunt, & quod plus est, Helvetiorum exercitus jamjam Mediolanensis Ducatus fines attigit; proin Palicius compellitur, ut ad tuendam hanc ditionem selectiores suas copias abducat. Denique nil eorum oblitus erat Julianus, quibus Pontifici persuaderet, victores in nupero prælio ipsis devictis longe magis acerba cæde prostratos fuisse, & Gallorum exercitum penitus ad incitas redactum, proxime autem in favorem fœderatorum ab Italis seditionem in Gallos concitandam esse. Julius hac narratione permotus, haud ultra de pace serio agere constituit, unice intentus, ut

Sæcul. XVI A. C. 1512.

copiis suis restauratis exercitum oppido validum in aciem educeret. Quapropter Patrum Senatum præter morem convocavit, ac Julianum adesse jussit, ut congregatis totam rei seriem exponeret. Nec tamen ejus sermo Cardinalibus omnem metum depulit, quapropter adhucdum plures eorum Ludovico XII. favebant; licet hic ante Ravennatensem pugnam Fabricium Carrettam Finarienfis Cardinalis fratrem Romam ablegasset, ut conditiones pacis omnino proficuas Pontifici offerret.

§. CVIII.

Amplæ pacis conditiones a Rege Pontifici oblatæ.

Bembo hist. l. 12. Raynald. hoc ann. n. 24.

Hæ vero pactiones potissimum tres complectebantur articulos, qui hucusque præcipuum erant Regem inter & Papam simultatis argumentum. Ergo Ludovicus hæc proposuit, I. Bononia a Gallo restituetur Pontifici; II. Pisami vicissim promittent, quod suam Synodum Mediolanum translatam omnino extinquere velint. III. (*) Ferrariæ Dux

(*) O ludricam Scænam! paulo ante Concilium convocare pro reformanda Ecclesia omnino

Dux illata Pontifici damna, injuriamque reparabit, dummodo ei a cenſuris liberato illius ditio denuo reddatur, ac ipſe priſtinis immunitatibus frui permittatur. Præter Cardinalem Strigonienſem etiam Nannetenſis Epiſcopus, nomine Guibe, itidem Cardinalis, licet hucusque nunquam alicui parti ſua ſtudia addixiſſet, vehementer tamen inſtabat, ut hæ conditiones acceptarentur; his etiam accesſerunt tam validæ Sacri Collegii preces, totiusque populi vota, ut Papa eorum deſideriis cedere videretur; quamdam enim pacis formulam die vigeſima Aprilis firmabat, quam Cardinalibus concordiæ conciliatoribus quantocius tradidit, eo etiam tempore Ferdinandi, ac Venetæ Reipublicæ Legatos ad ſe venire juſſit, eisque ſignificavit, ſe id conſilii arripuiſſe, ut Ludovicum pacis ſpe detentum a reparando ejus exercitu averteret; hac enim via bellum priori atrocius parandi ſpacium acquiri ajebat. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. CIX.

---

minino neceſſarium jactabatur, nunc vero illius diſſolutio ad redimendam belli vexam acceptatur.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. CIX.

Ludovicus a Julio deluſus.

Gomeſ. in vita Ximen.

Firmiter equidem Julii Papæ animo reſtaurandi belli conſilium jam antea inſedit, in hac tamen ſententia magis firmabatur crebris Regis Catholici adhortationibus: Ximenius quoque Cardinalis vehementer Papam ſtimulabat, ne hoſtium ſuorum numero terreretur, hancque in rem eidem offerebat, quicquid virium ſuarum eſſet, eoquod gratitudinis legibus ſe adſtrictum putaret, ut diſertis verbis conteſtaretur, ſe ad nutum Sanctitatis ſuæ omnes, quascunque colligere poſſet, pecunias ſubmiſſurum. Julius harum ope fretus, Ludovicum inani ſpe ludere pergebat, unice intentus, ut victoriæ fructus colligendi ſpacium Gallis præriperet, qui haud dubie facilique negotio victricia ſua arma ulterius protendiſſent, ſi alia via rebus ſuis proſpexiſſent. Interea Cardinales Papam aſſiduis precibus urgent, ut Sedis Apoſtolicæ Nuncium in Gallias mitteret, qui fœderis articulos Romæ ſubſcriptos firmaret; Julius quoque, ut tutius Cardinales circumveniret, Tiburis Epiſcopum Avenionenſem Legatum ablegat, dato negotio, ut Ludovicum ad firmandos hos articulos induceret, & ſic acce-

accedente etiam Pontificis auctoritate, atque consensu, pax eo citius conficeretur; nihilominus Pontifex hunc Præsulem publicis concessæ auctoritatis, facultatisque literis instruere, studiose neglexit: eo tamen insuperhabito, Rex nomen suum apposuit, nec majori diligentia sibi præcavit, quam ut singulis hisce tribus articulis conditiones, quas ratas habuisset, inseri juberet. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. CX.

Palicio fugiente plurimi a Gallis deficiunt.

Palicius pacis, quæ Romæ ac Parisiis firmata esset, fiducia motus, Sanseverinati Cardinali in Romandiola trecentos Lancearios, peditum sex millia ac mediam tormentorum partem reliquit, cum ceteris vero copiis toto pedum studio Parmam contendit, inde Mediolanum sese recepturus. Itali, cum Gallos hac fuga victoriarum cursum sistere intelligerent, datam illis fidem impune frangendam arbitrabantur: Unde Urbinatis Dux nulla mora Julio Papæ suo Patruo sua obsequia obtulit, & cum illo in gratiam rediit: ut vero ab ejus mente præteritorum criminum memoriam deleret, ipsus ducentos Lancearios suos, peditumque quatuor millia Gallorum auro *Guicc. l. 10.*

Sæcul. XVI
A. C. 1512.

conscriptaPontificiis copiis junxit. Pompejus quoque Columna, & Robertus Ursinus, eoquod Ducis inconstantiam imitarentur, præmium inde reportabant, hic Reggiensi Archiepiscopatu, ille dignitate Cardinalitia decoratus. Denique etiam Proceres Romani, qui nuper arma adversus Papam capere parabant, jam in ejus gratiam reverti certarunt, atque venia a Julio obtenta pecunias, quas a Galliarum Rege ad conscribendos milites acceperant, reddere neglexerunt. Ceterum Helvetiorum jamjam Mediolanum invadentium adventus Palicium e Romandiola excedere compulit.

Ludovicus sese a Julio delusum intelligens, Cardinali Medicæo libertatem reddere recusavit, optandumque fuisset, ut illum arctioribus vinculis constrictum tenuisset, cum hic Gallorum in se benevolentia abuteretur; nam idem militibus ob censuras a Papa in eos vibratas, quamvis illæ reapse vana essent fulmina in Auctoris sui caput tandem recasura, terrorem incussit, illisque exposuit, eos unacum suo Rege ejusmodi censuris irretitos esse: demum vero injecto metu eisdem pollicitus est, se illos dummodo cum armis suis a signis discedere, secumque Ducum suorum equos abducere vellent, a sacris hisce vinculis auctoritate Papæ soluturum; hanc enim sibi ab eo-

dem

dem datam esse potestatem. Indigno hoc zelo Cardinalis tantum valebat, ut plures inclyti admodum milites a Gallorum vexillis avocarentur, quod facinus severa pœna dignum fuisset, nisi reverentia, qua Galli semper in Romanam Sedem insuperhabita ejusdem arrogantia ferri solent, illos retinuisset. (*)

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. CXI.

(*) *Cui, amabo, tam insulsa, tam impia & sacrilega garrulitas stomachum non moveat, qui totum belli exitum Gallis adeo funestum ex hac ipsa Continuatoris relatione percipit, minime deprehendit, quod intentata anathematis pœna in Papam auctorem suum reciderit. Asi quotiescunque aliquis Pontifex in quosdam Franciæ Ministros censuram tulit, toties queritur Continuator, quod Papa potestatis suæ limites exesserit, quod ejus fulmina mere inania, bruta, & vana sint, quodque summa sit Romanæ Sedis arrogantia; intactas vero ejusmodi censuras, ac Papæ potestatem relinquit Continuator, quoties Pontifices ejusmodi anathemata in Franciæ hostes vibrarunt; eapropter avide expectant Lectores, ut tandem Continuator leges præscribat, juxta quas ejusmodi anathemata ac pœnæ censeri debeant legitimæ, efficaces, atque intra concessæ potestatis limites fulminatæ.*

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. CXI.

Sessio septima Synodi Pisis Mediolanum translatæ.

Act. Conc. II. Pis. p. 183. & seq.

Interea Pisani Patres Synodum suam Mediolani continuabant, cum vero viginti quatuor dies, quos Pontifici eo fine præscripserant, ut infra hunc terminum pœnas in eos latas revocaret, jamjam evoluti essent, hinc die decima nona Aprilis feria secunda septimam Sessionem celebrarunt. In ea Tristanus Salazart Archiepiscopus Senonensis Sacrum de Spiritu Sancto peregit, lectoque Evangelio ex capite 10. S. Lucæ deprompto, *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, Joannes de Messiac jurium Doctor, necnon ex Abbatis Cluniacensis, ejusdemque Ordinis Procuratoribus unus sermonem habuit in hæc Joannis verba: *Docebit vos omnem veritatem*, quæ desumpsit ex ipsomet Evangelio in Missa decantato. Enimvero illius oratio gravibus admodum verbis concepta erat, nec ejus culpæ imputari poterat, quod Patres ad eliminandas corruptelas, atque tollendam populi offensionem, de qua querebatur, non illico manum admovissent, quippe vehementer adhortabatur eos, *ne infelicitate temporum & armorum strepitu accepto ab Ecclesiasticæ Reforma-*

formationis opere desisterent, confutavitque illorum pessimos errores, qui ipsos Conciliares Patres schismaticos nuncupabant. Absoluto hoc sermone Synodi Promotores Concilii Patribus literas porrigebant, supplices, *ut Julius Papa tanquam contumax sententiam suspensionis tam in spiritualibus quam in temporalibus & ab administratione Papali ipso facto incurrisse, ipsaque administratio ipso jure devoluta ad Pisanum Concilium declararetur.* Sæcul. XVI. A C. 1512.

Id postulantibus Promotoribus Catalanensis, & S. Florii Antistites trina vice in infimo Altaris gradu, dein in medio Ecclesiæ, ac denique ad fores Papam vocabant: Verum cum nec ille, nec ullus alius ejus nomine compareret, Præses pronuntiabat, hujus negotii decisionem ad aliud tempus remittendam, ac maturiori adhuc deliberatione discutiendam, ut utilitati Ecclesiæ, ac Pontificis honori magis consultum esset. Ergo nonnisi decreta recitabantur, seu potius ea, quæ in præcedenti Sessione statuta fuere, repetebantur; quippe nonnisi ordinem, modumque, quo in deputationibus procederent, stabilientes, decretum hac super re conditum confirmabant.

§. CXII.

Secul. XVI. A. C. 1512.

§. CXII.

Sessio VIII. Mediolanensis.

In act. ib. 89. & seq. Die vigesima prima Aprilis, quæ erat feria quarta, habita est Sessio numero octava, ubi Missa de Spiritu Sancto ab Episcopo Magelonnensi (hodie Montispessulano) decantata, recitatum est Evangelium vigesimæ quartæ Dominicæ post Pentecosten ex capite 24. S. Matthæi, *cum videritis abominationem desolationis in loco sancto.* Postea Antonius Seurre Parisiensis Doctor, ac Meldensis Canonicus prolixum dixit sermonem, in quo sæpius adludebat in Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, selegitque textum ex illis Evangelii verbis: *Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* *Matth. c. 24. v. 28.* Absolutis hisce solemnibus Promotores novum libellum adversus Papam porrigunt, quo eum a sui muneris functionibus suspendi postulabant, innixi Decreto Sessionis XI. Concilii Basileensis, eoquod is post plures citationes comparere neglexisset, jamque quartum in mensem responsi expectatione Patres frustrasset. Hoc facto Præses præcepit, ut summus Pontifex denuo vocaretur a duobus Cardinalibus nimirum Albreto, & Lugdunensi, necnon a Senonensi Archiepiscopo, Agathensi & Tulonensi Præsulibus,

sulibus, ac duobus Abbatibus. Hi omnes pro more, ut jam retulimus, trina vice Papam per Guilielmum Nossai Concilii Protonotarium citarunt, nullo autem ejus nomine comparente, Bajocensis Cardinalis hujus absentiam Præsidi significabat; unde postulantibus Fisci Procuratoribus atque Promotoribus denuo contumaciæ sententia in eum ferebatur, ipse vero Augustodunensis conscenso suggestu clara voce decretum suspensionis prælegit, his verbis conceptum: Sæcul. XVI. A. C. 1512.

§. CXIII.

Decretum Pisani Concilii de suspensione Julii II. Papæ.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sacrosancta generalis Synodus Pisana in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentans, & Mediolanum ad tempus translata, ad perpetuam memoriam. In act. Concil. II. Pisan. p. 93. & seq.

Inter sacratissima generalium Conciliorum instituta illud summopere est præcavendum, ne peroptabile necessariumque Ecclesiasticæ libertatis, ac reformationis opus tam in capite, quam in membris aliquo modo interrumpi, aut impediri contingat. Omnis præterea obex removendus, omnisque adversa aufferenda occasio. Auferte, *inquit Dominus per Esaiam*, offendicula de medio

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

medio populi mei, & *Apostolus*, modicum enim fermentum universam massam corrumpit. *Cum itaque auctore Deo ad Christianum populum, & præsertim Ecclesiasticum statum de manu tartarei Goliath, & Philistæorum ruina eripiendum, id est de criminum incursionibus, quibus & in capite, & in membris languescens periclitatur, & labat orthodoxa Mater Ecclesia, tanquam ab omnibus pietatis zelatoribus desiderabilis David in virtute Dei exurgens hoc sacrum Concilium vario impedimentorum genere sit impetitum, atque lacessitum, & a sui primordio usque in præsens varie turbatum, atque invasum ab eo præcipue, a quo præ reliquis promoveri ac foveri deberet; nunquam tamen destitit hæc sancta Synodus omni, qua potuit, sollicitudine, humilitate, mansuetudine, ac benignitate ipsum sanctissimum Papam iterum atque iterum per viscera etiam misericordiæ illius, quem juxta Apostolum Deus dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, obsecrare, supplicare, monere, & requirere, ne inconsutilem Christi tunicam scinderet. Ast cum iterata supplicatione, ac indulgentia semper idem Papa abutens, contra approbatissimorum Conciliorum decreta gravissimis commi-nationibus, interdictis, privationibus aliisque censuris ac sententiis quolibet insidiarum genere, & quacunque potuit militari manu Oecumenicum hoc Concilium impedire, dissolve-*

re

re infamare, perturbare, destruere, & in nihilum redigere summam operam impenderit. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

His præmissis Patres prolixo admodum sermone ea enarrabant, quæ solerter adhibuere, ut Papam ad fovendam Synodum inducerent, tandem vero ita concludunt: *Quare omnes & singulos Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Abbates & Prælatos Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, capitula, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Universitates, & Communitates, Vicarios S. R. E. Vasallos, Gubernatores, Feudatarios & subditos, omnesque Ecclesiasticas etiam Regulares & sæculares personas cujuscunque gradus, dignitatis, præeminentiæ, status, & conditionis existant, universumque simul populum Christianum exhortatur hæc Synodus, atque interdicit, ne Domino Julio Papæ ab omni Papali administratione, ut promittitur, jure suspenso obediant, vel intendant, declaratque ac determinat irritum ac inane, quicquid a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter in contrarium attentari contigerit. Declaramus enim, illum manifestum esse hujus sancti Concilii perturbatorem, contumacem, & in aperta rebellione persistentem, schismatis excitatorem, induratum, & obstinatum, atque eo ipso incurrisse pœnas in sacris decretis Constantiensis & Basileensis Synodi latas,*

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

atque ab omni in ſpiritualibus Papali adminiſtratione ipſo facto ſuſpenſum eſſe & fore, ipſamque adminiſtrationem ad ipſam Synodum fuiſſe, & eſſe ipſo jure devolutam: ſtatuit quoque, & ordinat Synodus hujus decreti publicationem in præſenti Seſſione factam, ejusque affixionem in valvis Mediolanenſis, necnon Florentinæ, Genuenſis, Bononienſis, & Veronenſis Cathedralium Eccleſiarum, ad inſtar edicti Prætorii vim habere monitionis & executionis, univerſosque ita arctare, acſi perſonaliter intimatum fuiſſet.

Datum in Seſſione publica in Cathedrali præfata Eccleſia ſolemniter celebrata die vigeſima prima Aprilis Anno a Nativitate Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo.

Perlecto hoc Decreto duo Protonotarii a Concilii Patribus ſciſcitabantur, an illud edictum ratum haberent, omnesque reſponderunt: *Placet.*

§. CXIV.

Concilii II. Piſani Mediolanum translati exitus.

Ep. Pet. Card. ad Pat. Conc.

Hoc ultimo decreto ferme tota exhauſta eſt Piſani Concilii auctoritas; Galli enim cum poſtea a Cæſare relicti eſſent auffugerunt, & Prælati quoque Mediolano Lugdunum contenderunt, ubi quidem Synodum ſuam proſequi nitebantur, aſt inanes

anes fuere eorum conatus; quamvis enim Franciæ Rex hoc Concilium ab Ecclesia acceptari, immodica cupiditate flagraret, ac propterea varias vias tentare impelleretur, nihilominus cuncta illius molimina successu suo frustrabantur: Cum autem Blesis Rex ageret, eum adeunt Bajocensis, sanctæ Crucis, & Sanseverinas Cardinales, suadentque, ut ad Septentrionis Reges quemdam ablegaret, qui eos ad acceptandum hoc Concilium sollicitaret. Annuit Rex, selegitque Petrum Corderium, qui, comitantibus eum pluribus aliis, primo Scotiam petiit, Regique Jacobo, ac sui Regni Præsulibus Legationis suæ seriem exposuit. Rex quidem Corderium benigne excepit, seque Ludovici consiliis suffragaturum spopondit: Ne vero in re tanti momenti temere quicquam decerneret, Regni sui Prælatos, Proceresque Edinum ad celebranda comitia convocavit, quibus Corderius quoque aderat. Præsules prolixo admodum sermone de Synodo, & Pontificis auctoritate differebant, ac se cujusdam lucubrationis a Cajetano editæ, de qua proxime sermo redibit, principiis innixi, palam enunciarunt; ignorare se ajebant, qua ratione Pisana Synodus tanquam legitima haberi posset, cum absque summi Pontificis auctoritate, imo eo omnino obluctante convocata esset. Corderius, cum

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

firmioribus principiis imbutus, ac insuper ea rite proferendi gratia præditus esset, Prælatorum dubia dissolvit, tantaque soliditate, atque efficacia Synodum Pontifice superiorem esse demonstravit, ut Scotiæ Rex quibuscunque Ludovici postulatis cedere sponderet, quamvis adderet, sibi summopere displicere, quod Galliarum Rex cum summo Pontifice simultates foveret: hunc ergo ut in Papæ gratiam revocaret, se nil intentatum relicturum, eaque de caussa speciatim se Romam, Pisasque Legatos missurum, Scotiæ Rex spopondit. His perceptis Petrus Corderius e Scotia in Daniam profectus est, sed pariter oleum & operam perdidit, Rex enim ipsi hæc declaravit: molesta mihi est animorum dissensio, qua Galliarum Rex a summo Pontifice avulsus est; hæc enim Christianæ Reipublicæ exitialis esse noscitur, unde protinus regni mei Præsulum comitia convocabo, ut quid hac in re agendum sit, decernatur: ceterum siquid meum consilium valet, cisRhenum convocandam censeoOecumenicam Synodum, cui Germaniæ Principes, Reges, ceterique interesse possent, ego vero nulla mora Legatos meos Romam mittam, qui summo Pontifici hoc consilium suggerant: præterea Moscoviæ quoque, ac Russiæ Duces sollicitabo, ut & ipsi Oratores suos ad futurum Con-

Concilium decernant, eorum vero, quæ in ejusmodi Synodo definientur, Regi exactam communicabo notitiam. Hic tandem fuit Corderianæ Legationis exitus, Legato autem reduce Pisani Concilii Patres jamjam Lugdunum commigrabant, quos tamen datis literis de tota rei serie, prout mox recensuimus, Corderius certiores reddidit.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. CXV.

Ludovicus Mediolanense Concilium regio diplomate edito acceptans.

Nihilominus insuperhabito siniſtro legationis successu, Ludovicus Galliarum Rex decretum de suspensione Pontificis diplomate die decima sexta Junii dato acceptavit, illudque in toto suo regno effectui dari jussit, adjecta inhibitione, ne quis beneficia cujuscunque generis a Papa impetrare, aut suarum Constitutionum, quas forte conditurus esset, rationem habere præsumeret: Edicti vero sui hæc summa est.

Extat in actis Conc. Pisan. in quarto.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex! &c.

Cum per Sacrosanctam universalem Ecclesiæ militantis Synodum, debite ac legitime pro reformatione Ec-

Extat in act. Conc. Pisani in 4to.

Sæcul. XVI A.C. 1512.

clesiæ in suo capite & membris congregatam, ac non ita pridem ad Mediolanensem urbem nostram translatam summus Pontifex cum solemnitatibus in tali casu requisitis atque observatis juxta decreta Basileensis & Constantiensis Concilii fuerit a summi Pontificatus administratione suspensus, prout elucet ex Bullis hac super re confectis, ac datis die vigesima prima Aprilis anno millesimo quingentesimo duodecimo, necnon ad nos ab eadem Synodo eo fine transmissis, ut in illis con enta acceptemus, atque in nostro regno servari & observari faceremus, hinc ex Senatus nostri sententia, justisque ac honestis ex caussis, quæ in præfatis Bullis allegantur, necnon ex motu proprio ac scientia desiderantes, ut Ecclesiæ abusus tam in capite quam in suis membris corrigantur, ac solida pax & unio stabiliatur, necnon præfati Concilii Constantiensis & Basileensis decreta effectui dentur, præsens decretum acceptavimus, ac volumus, & præcipimus, ut illud etiam in nostro Regno, terris, ac ditionibus juxta suum tenorem ac formam quoad singula capita observetur, & custodiatur. Hæc facientes declaramus, a die præfatæ suspensionis omnibus Bullis a dicto Concilio edendis fides adhibeatur, ac juxta illas lites dijudicentur, ac dirimantur. Prohibuimus etiam, ac prohibemus singulis nostris subditis, ne a præfato summo Pontifice durante hac suspensione impetrentur quorum-

rumcunque beneficiorum provisiones, sub pœna multæ arbitrariæ. Volumus etiam, ut ejusmodi provisionum delatores comprehendantur, ac velut nostrarum legum ac statutorum transgressores castigentur, impetrantes vero compellantur, ut irritari permittant, quæcunque ab eis contra præsentem acceptationem ac declarationem nostram fuere attentata. Præsentibus hisce præcipimus amicis & fidelibus nostri Parisiensis Senatus Ministris, ut juxta voluntatem nostram præfatum suspensionis Decretum ad acta referant, & promulgent unacum acceptatione, & declaratione nostra &c. Hæc enim est voluntas nostra. Datum Blesis die decima sexta Junii Anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, regni nostri decimo quinto.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Relatæ fuere hæ Regis litteræ ad acta Regii Senatus die vigesima quinta ejusdem mensis.

§. CXVI.

Galliæ Regnum a Julio interdicto subjectum.

Julius indignitate facti ultra modum commotus, Constitutionem edidit, qua cuncta hucusque Pisis, Mediolani, ac Lugduni attentata declaravit irrita, neculteriorem indulgentiam exhibuit Carvajalo, Brissonneto, Periero & Sanseverinati Cardinalibus; eos enim velut schis-

Raynaldus n. 63 & 64.

Sæcul. XVI. A.C. 1512

maticos, & Hæreticos in ſuam ipſorum ruinam toto impetu ruentes, ac nonniſi ſanctæ Eccleſiæ, quæ eorum tamen Mater eſt, unionem diſcindere ſollicitos increpavit: cum autem hac Conſtitutione indignationi ſuæ arctiores adhuc poſuiſſet limites, eandem in ipſum etiam Franciæ Regnum extendit, Regemque Ludovicum anathemate perculit, ac Regnum interdicto ſubjecit, omnesque ſubditos, præcipue Normanos, & Vaſcones a fidelitatis Sacramento abſolvit; cumque Lugdunenſis civitas Cardinalibus, ceterisque Piſanis Præſulibus receptaculum indulſiſſet, quos tamen velut rebelles, atque a fidelium cætu ſegregatos ac perditionis filios, ut inquit Papa, habebat, ideo Lugdunenſes a jure liberas nundinas agendi ſpoliare, easque Genevam transferre conatus eſt.

§. CXVII.

Ludovicus huic interdicto obluctatus.

Galliarum Rex, licet peſſima fuerit rerum ſuarum conditio, nihilominus ſeſe huic Conſtitutioni oppoſuit, quinimo, ut inquit Thuanus Præſes, *eo usque profectus eſt, ut ſpretis multis multorum, quibus alioqui plurimum tribuebat, ſuaſionibus moribundi ſenis inanes diras contraria anathematis denuntiatione revinciret, cuſo etiam Nea-*

Neapoli aureo nummo, qui effigiem ſuam ex una parte, & inſignia Neapolis ac Siciliæ ex altera referebat cum hoc elogio: Perdam Babylonis Nomen. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. CXVIII.

Cajetani liber de auctoritate Papæ & Concilii ad Piſanos Patres miſſus.

Jam menſe Januario, anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimo duodecimo delatus eſt ad Piſanos Patres liber Thomæ de Vio, qui diebatur Cajetanus, eoquod Cajetæ, quæ eſt Neapolitani Regni civitas, die vigeſima Februarii Anno Salutis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono primam lucem aſpexiſſet. In hoc libro Auctor diſſerit de Pontificis poteſtate ſupra Concilium, ſeu potius de auctoritate Papæ & Concilii inter ſe collata; cum vero Piſani poſt maturam diſcuſſionem hunc librum dogmata Regnorum Regimini pernicioſa continere iudicarent, illum ad Univerſitatem Parſienſem mittere cenſuerunt, addita quadam epiſtola, cui quinque Cardinales, Lugdunenſis & Senonenſis Archiepiſcopi, Lucionenſis, Magalonenſis, & Engolismenſis Præſules, necnon duo Abbates die decima Januarii nomen ſuum appoſuerunt. Epiſtola his verbis erat concepta:

In act. Piſ. p. 15. Argent. Coll. jud. t. 1. p. 352. Spond. ad hunc an. n. 15. Rayuald. ib. num. 11.

Saecul. XVI. A.C. 1512.

Sacrosancta Generalis Synodus Pisana in Spiritu sancto legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentans, & per continuationem Mediolanum ad tempus translata, dilectis filiis, Rectori, Doctoribus, Magistris & Regentibus almæ Universitatis studii Parisiensis, Salutem & omnipotentis Dei Benedictionem. Dilectus Filius Gaufredus Boussard, Cancellarius Parisiensis jussu nostro tradet vobis libellum quemdam suspectum, & plenum injuriis contra Concilium Constantiense, & Basileense, ac nostrum, & contra Joannem Gersonem optimum Ecclesiæ defensorem, compositum per quemdam Fratrem (*) Cajetanum, hominem audacem & periculosum, quem desideramus pro suo demerito castigari. Ideo hortamur vos in Domino, ut libellum ipsum diligenter examinetis, & discutiatis, mittatisque ad nos celeriter determinationem vestram doctrinalem, qua possimus juxta ejus audaciam cum vestris sapientissimis Consiliis prudenter procedere &c. Datum Mediolani in generali Congregatione nostra die decima Januarii.

§. CXIX.

(*) *Erat is Cajetanus Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister.*

§. CXIX.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Epistola Galliarum Regis hac super re ad Universitatem Parisiensem.

Paulo post Ludovicus Franciæ Rex die decima nona Februarii hanc in rem ad eandem Universitatem Parisiensem literas dedit regio sigillo munitas, quarum tenor est. „ Carissimis ac multum dilectis: Percepimus, quod Pisanum Concilium nunc Mediolani congregatum „ per carum ac dilectum nostrum Gaufredum Boussard Magistrum Universitatis nostræ Cancellarium ad vos miserit librum, a vobis perlustrandum, „ atque examinandum, quem non ita pridem elucubratum fuisse comperimus, „ in præjudicium Sanctorum Ecclesiæ „ Conciliorum, atque in contemptum „ auctoritatis illorum; in eo enim, ut „ nobis relatum fuit, plures continentur „ graves enormesque errores minime tolerandi; cumque sacrosancta Ecclesiæ „ Oecumenica Concilia semper juvare, „ ac fovere, eorumque auctoritatem, ut „ par est, tueri decreverimus, precamur vos, ut quamprimum hunc librum „ receperitis, eundem sedulo examinetis, validisque rationibus confutetis, „ si illum veritati adversari creditis. „ Hoc si feceritis nobis gratissimum præ-

Act. Pis. p. 156.

„ stabi-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

„ stabitis obsequium. „ Datum Blesis &c. Ut ergo Parisiensis Facultas Regis mandato, ac Pisani Concilii desiderio satisfaceret, conventu habito, tribus Academiæ Doctoribus Jacobo Alaix, Joanni Majori, & Lucionensis Ecclesiæ Professori Theologo negotium dedit, ut adversus Cajetani librum calamos suos acuerent, ex quibus etiam Jacobus sua responsa, quibus titulum *de Auctoritate Ecclesiæ* præfixit, typis evulgavit. Nihilominus inquit Argentreus: *Nullum omnino Decretum Parisiensium Magistrorum adversus libellum Cajetani reperitur in Tabulis Universitatis Parisiensis, quippe ne schismati locum darent, a dicenda sententia abstinuerunt. Unanimi tamen suffragio improbabant, quod Cajetanus auctoritatem Conciliorum Constantiensis & Basileensis infirmare tentaret.*

Argentre loc. cit.

§. CXX.

Analysis hujus libri.

Thom. de Vio de Auct. Pap. Pogg. de auct. Pap. & Conc. Dupin. Bibl. Script. Eccl. Sæcl. XVI. t. 14. p. 124.

Hoc Cajetani opus inscribitur: *De Auctoritate Papæ & Concilii sive Ecclesiæ comparata*, & dividitur in viginti octo capita. Præcipuum vero, quod stabilire aggreditur, dogma est, quod Pontificis auctoritas sit suprema in Ecclesia, cum Christus Dominus soli Petro claves tradidisset, ut ipse ejusque Successores supre-

premum universalis Ecclesiæ regimen gererent; cum vero eidem fors opponi potuisset, quod Apostoli æque ac S. Petrus a Christo Domino potestatem suam accepissent, quæstionem hanc examinandam suscepit, utrum omnes Apostoli immediate a Christo suam potestatem accepissent, & an illa, quam receperunt, æqualis fuerit cum potestate D. Petro collata. Post hæc adductis textibus atque argumentis ultro citroque allegari solitis, concludit, Apostolos in munere Apostolico fuisse æquales, atque immediate a Christo Domino potestatem Apostolatum exercendi recepisse, affirmat tamen, eos, in quantum erant oves Christi, Petro inferiorem accepisse jurisdictionem; hunc enim solum & supremum gregis sui Pastorem a Filio Dei constitutum. Hoc stabilito inter S. Petri & ceterorum Apolorum potestatem quinque differentias assignat. *Prima est*, inquit Cajetanus, *in modo dandi & accipiendi potestatem, quia Petro data est ordinarie, aliis autem ex speciali gratia. Secunda est in officio, quia Petrus factus est Vicarius generalis Jesu Christi, alii vero facti sunt velut Legati, seu Delegati ejus. Tertia est in objecto potestatis, quod aliorum potestas jurisdictionis non erat supra se invicem, sed super alios, Petri vero potestas erat & super reliquos Apostolos. Quarta est in perpetuitate potestatis,* Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Sæcul. XVI A.C. 1512.

ſtatis, quia aliorum poteſtas finienda erat cum vita eorum: Petri autem poteſtas usque ad conſummationem ſæculi perſeverat, quia ei non eſt data tantum pro ſe, ſed pro omnibus Succeſſoribus ſuis. Quinta & ultima eſt in ipſa eſſentia poteſtatis, quoniam auctoritas communiter Apoſtolis data fuit velut potentia executiva: Auctoritas vero data ſoli Petro eſt auctoritas Regiminis. Verum hæc differentiæ prorſus novæ eſſe videntur.

Poſtea hanc diſcutit quæſtionem: An ſuperior ſit Pontificis, quam Concilii Oecumenici poteſtas, vel utrum Eccleſia vel univerſalis Synodus ipſo Pontifice plus auctoritatis habeat; circa hoc Cajetanus conſiderat Eccleſiam ſeu Concilium, *vel prout eſt celebratum cum Papa ejus capite, vel ſaltem auctoritate ejus auctorizatum, vel quatenus ſumitur, ut diſtinctum contra Papam & caput. Si ergo Eccleſia vel Concilium ſumitur unacum Papa, tunc Pontifex cum reſiduo Eccleſiæ non eſt majoris poteſtatis, jurisdictionis ſpiritualis, quam ipſe ſolus. Si vero Concilium ſumitur ſine Papa & capite, tunc Papa eſt ſupra Concilium, quia eſt corpus enormiter diminutum, quia eſt truncus absque principali membro.* Cum autem Conſtantienſis & Baſileenſis Synodi huic doctrinæ omnino adverſentur, hinc earum auctoritatem

tem labefactare, atque diserta utriusque verba distinctionibus sine ratione excogitatis eludere nititur. Sæcul XVI. A.C. 1512.

Posthæc ostendit, quod *secluso Papa non sit in Ecclesia potestas legislativa*, nec auctoritas judicandi Personas, aut perfectum Concilium celebrandi. Fatetur tamen, quod in certis casibus Ecclesia secluso Papa auctoritatem habeat convocandi Concilium. *I. Si Papa requisitus nollet necessarium congregare Concilium. II. Si Papa propter hæresin est deponendus: III. Si Papa unus aut plures in certa electione laborant*, in hoc autem casu, inquit Cajetanus, *ne perplexa sit Ecclesia, Concilium habet potestatem duntaxat judicandi verum, si sciri potest, & si sciri nequit, providendi, quod Electores in unum eorum, vel alium conveniant.* In aliis autem quibuscunque eventibus, si certus extat Papa, nec ille hæreticus est, Generalis Concilii convocatio fieri nequit, & si fieret, ejusmodi Synodus inutilis, nulliusque momenti foret, cum Pontifex potestatem habeat irritandi, quicquid illa faceret, vel statueret.

Ægre tamen se expedit ab ea difficultate, quam sibimetipsi objectat, quærens, qua ratione Synodus, si nullam in Pontificem auctoritatem habeat, illum tanquam hæreticum dejicere valeat; nihil-

omi-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

ominus præprimis eorum reſponſionem profert, qui tenent, quod Pontifex amiſſa fide haud ultra membrum Eccleſiæ maneat, atque eo ipſo auctoritate ſua privatus, Pontifex eſſe ceſſet; hoc tamen reſponſum Cajetano minus probatur, non enim Papa in hæreſin prolapſus, *ipſo facto* exauctoratus eſt, ſed duntaxat exauctorandus: *dicunt aliqui*, ſubjungit Cajetanus, *quod quamvis Papa in aliis caſibus nullum habeat ſe ipſo ſuperiorem in terris, excepto caſu hæreſis.*

Hanc vero reſponſionem Cajetanus rejicit, ac tria diſtinquit, ſcilicet: I. Papalem auctoritatem: II. Ejus Perſonam: III. Conjunctionem Perſonæ cum auctoritate. Quamvis, inquit, Auctoritas Pontificia deſcendat immediate a Deo, hujus tamen auctoritatis conjunctio cum hac Perſona ex hominum, ſcilicet electi, atque eligentium conſenſu perficitur. Igitur poteſt homo fieri Papa, & ceſſare, dependenter a poteſtate humana, quin hæc ſit ſuperior vel æqualis, ſed inferior, ita ut nullum ei jus competat in poteſtatem Pontificiam, ſed duntaxat in unionem hujus poteſtatis cum tali homine.

Cum autem Cajetano objici potuiſſet, quod nec alia ratione ceteri Epiſcopi a Concilio, ac ſuperioribus Judicibus fuerint exauctorati; non enim deſtructa fuit

fuit auctoritas Episcopalis, quæ in illis est, sed solum hæc a persona, quæ illam possidebat, disjungitur. Hanc oppositam sibi rationem Cajetanus diluit, respondens, quod hoc eventu potestas illius, qui Episcopum deponit, superior existat. Verum contra hoc inferri posset, quod ideo superior sit, quia Synodus vel Judex superior auctoritatem & jurisdictionem possidet, quæ ipsi necessaria est, ut talem personam sua auctoritate exuere valeat; jam vero eadem ratio pugnat in Pontifice hæretico erga Concilium. (*) Immerito ergo Cajetanus fatebatur, quod Papa ob hæresin bina vice monitus a Synodo deponi posset, cum alibi Papam Synodo superiorem esse docuisset. Præterea aliam profert doctrinam

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

(*) *Privatum Episcopum etsi hæreticus non sit, Universali legitima Synodo inferiorem esse, nemo unquam dubitavit, Synodum vero Pontifice legitimo superiorem esse, omnis retro ætas ante Pisanum I. Concilium ignoravit; nullus enim unquam Pontifex rite ab ullo Concilio in judicium vocatus vel judicatus est, sed in Pontifices vel non nisi schismatici Conciliares, vel legitima Concilia in schismaticos Pontifices auctoritatem exercuerunt. Veri quoque Pontifices solum charitatis intuitu non subjectionis ratione crimina sua coram Conciliis expiarunt.*

Sæcul. XVI
A. C. 1512.

nam hucusque non auditam, afferens: Papam ob nullum aliud crimen præter hæresin exauctorari posse, huic innixus principio, quod in solo hæresis casu jus divinum depositionem exigat, eaque cetera omnia crimina superet, necnon infidelitas vel hæresis directe opposita sit dotibus in Pontifice requisitis.

His stabilitis sex speciales casus exponit, in quibus Papa deponendus dicitur. I. Si Papa perpetuo captivus detinetur, negat tamen Cajetanus Papam in hoc casu deponi posse, nisi certo constet eum obiisse. II. Si propter dementiam perpetuam inutilis est Ecclesiæ, *in hoc quoque eventu* dicit, *quod Papa non possit deponi, cum enim sit mortuus vita rationali, sine Concilio generali possunt Cardinales procedere ad alterius electionem, perinde acsi in veritate per mortem sedes vacaret.* *III. Quando omnes Cardinales statim post Canonicam electionem Pontificis morerentur, ita ut non possent publicare illius electionem.* In hoc casu affirmat Cajetanus, *quod Ecclesia non deponat Papam in foro suo, licet deponat Papam in foro conscientiæ, quia tum nullus certus est Pontifex.* *IV. Quando Cardinales etiam viventes non possunt facere fidem de electione sua Canonica in unum,* exinde, asserit Cajetanus: *Nil aliud infertur, quam quod Papa incertus Ecclesiæ possit deponi, quod gratis conceditur.* *V. Quando*

do propter communem errorem, aut generalem subditorum malitiam præsumitur, quod nunquam præstabunt obedientiam tali electo Pontifici. In hoc casu Cajetanus affirmat, Papam nullatenus deponendum, *non enim mali ex iniquitate commodum reportent, bonis autem non deerit Dei adjutorium. VI. Quando Papa verus juramento vel voto seipsum ad cessionem obstrinxisset, sed cum scandalo populi differret;* ad hunc casum Cajetanus respondet, *quod licet Papa ipsus teneatur in conscientia, Ecclesia tamen non possit ipsum invitum ad hoc cogere, nec deponere, quia potestatem coactivam super fidelem Papam non habet.* Sæcul. XVI. A C. 1512.

Præterea Cajetanus apologiam libri sui *de auctoritate Papæ* & Concilii conscripsit, eamque in duas partes divisit; in harum prima duo opinionis adversæ fundamenta discutit, quorum primum ex jure naturæ depromi solet, vi cujus communitas libera & perfecta, qualis est Ecclesia, gaudere videtur potestate sibi caput constituendi, illudque corrigendi, puniendi, ac deponendi, si forte auctoritate sua abuteretur. Hoc tamen ipse principium confutat, respondens: *Natura Ecclesiastici regiminis ab ipsa sua nativitate non a communitate, sed a capite homogeneo Jesu Christo initium sumpsit originis, perfectionis, & potestatis, igitur ad ipsum Principem, non ad communitatem Ecclesiæ spectat*

Sæcul. XVI A.C. 1512.

in sua absentia ordinare de Vicario, & hoc ipsum Salvator noster per semetipsum exequi dignatus est, dum Petrum Apostolum solum ejusque Successores instituit suum Vicarium post resurrectionem : Ast hac ratione argumentum non dissolvitur (*). Alterum, quod Cajetano objiciebatur, principium erat fundatum in jure divino, seu in textibus sacræ Paginæ, ubi ejusmodi auctoritas ac potestas videtur Ecclesiæ tribui, v. g. in S. Matthæi cap. 18. v. 17. *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ad quod respondet Cajetanus quod hoc modo Ecclesiæ nomen, ad quam frater deferri jubetur, non de sola universali Ecclesia intelligatur, sed de illa, cui peccans frater subditus est; hæc vero non est quæcunque fidelium collectio, sed Episcopus, qui illius caput existit. Denique Principium, quo potestas Ecclesiastica toti Ecclesiæ data esse statuitur, evertere conatur, comprobans eandem soli Petro creditam fuisse, ab illo autem ad alios Presbyteros atque Ecclesias dimanasse. Nihilominus, si Papa moreretur, omnesque totius orbis Episcopi conveni-

(*) *Forte ideo, quia Cajetanus disertis verbis non addidit:* Non ad Communitatem Ecclesiæ, nec ad schismaticos Præsules spectat ordinare de Vicario, punire eum, corrigere ac deponere.

venirent, tunc in hoc eventu Cajetanus fatetur, quod illis in universam Ecclesiam potestas (*) competeret, exceptis iis, quæ summi Pontificis propria ac particularia sunt. In secunda apologiæ suæ parte oppositiones sibi speciatim adversus ejus tractatum factas confutare aggreditur. Huic apologiæ Cajetanus ultimam manum admovit Romæ die vigesima nona Novembris Anno Salutis millesimo quingentesimo duodecimo. Sæcul. XVI. A. C. 1512.

§. CXXI.

Siciliæ Prorex ad reprimendos Neapolitanos in Italiam venire jussus.

Interea cum Cardinalis Surrentinus, cui Cardonna Neapolitani Regni administrationem detulerat, probe perspiceret, quod sibi plures copiæ omnino necessariæ essent, ut exorto bello populum in officio contineret, ac seditiosos a capessendis armis præpediret, hac ex causa Moncadam, quo nemo magis hoc regnum Gallis rursum subjici formidabat, Neapolin ablegavit, ac omnes copias, quæ Tibure venerant, contraxit, & quibusdam etiam equitum agmi- *Marian. lib. 30. n. 42. in fin.*

(*) *Supple Extraordinariam. Si quis adversæ sententiæ argumenta penitus enervata desiderat, consulat vastum, atque eruditum opus R. P. Hieremiæ a Bennetis de Privilegiis Romani Pontificis.*

Sæcul. XVI. A.C.1512.

nibus auctus, mare trajecit, populi tumultibus obviaturus. Raymundus vero Cardonna Ancona profectus, die tertia Maji Neapolim venit, exercitum suum redintegraturus, novisque militum supplementis firmaturus, ut totis viribus belli discrimen adire, suisque hostibus vicem rependere posset.

Paris de Grassis. t. 3. p. 938.

Verum ejus consilia successu carebant, quippe Angliæ Rex, inita cum Ferdinando pace Eboracensem Cardinalem ac Archiepiscopum Romam decernebat, plena potestate munitum, vi cujus nomine Regis sui fœderi accedere valeret. Datum quoque fuit negotium Eboracensi Cardinali, ut Maximilianum ad inducias, quas Angliæ Rex, ac Venetorum Respublica inter se sanxerant, etiam assensu suo firmandas induceret, ac Ferdinandum Arragoniæ Regem, quatenus hoc fœdus omnibus viribus tueretur, excitaret. Valuit quoque Legationis successus, cum negotium maturaret non tam Legati sollicitatio, quam ampliſſimæ utilitatis spes, quam ambo Reges ex mutua armorum societate sibi pollicebantur. Cæsaris quoque animum Ferdinandus ad sua vota potenter inclinabat, pollicitus, se eidem Burgundiæ Ducatum denue afferturum; quamvis id nulla vero similis ratio suaderet. Ipse etiam Ferdinandus eodem proprii commodi impulsu permotus seipsum vicit, conces-

sit-

sitque, ut Consalvus, quem tamdiu a publicis muneribus excluserat, in Italiam rediret, regii exercitus imperium denuo susceperturus. Hanc rerum vicissitudinem Papa non modo a Cardinale, sed ab ipsomet Rege Ferdinando edocebatur. Sæcul. XVI. A.C.1512.

§. CXXII.

Julius re comperta sancitæ pacis pacta honesto obtentu eludens.

Tam fausto nuncio Julii desideria expleta videbantur, unde minori moderatione jam in prosperis quam antea in adversis rebus usus nil intentatum reliquit, ut caussam obtendere posset, ob quam a fœdere inito, Regique Galliarum transmisso recedere posset. *Maria. l.30.*

§. CXXIII.

Anathematis comminatio adversus Regem Cardinalium rogatu omissa.

Jamjam Pontifex in eo erat, ut Galliarum Regi literas mitteret, quibus, antequam anathema promulgaret, eundem admonebat, ut Cardinalem Medicæum in Ravennatensi prælio captum libertati restitueret, si vero Rex parere renueret, in illum censurarum severitate animadvertere declaravit. Id vero cum absque Cardinalium sententia exequi nollet, convocato Patrum Senatu, eisdem literas a se scriptas prælegit. Hi vero, cum *Guicc. l. 10. in fine.*

Sæcul. XVI A.C. 1512.

animum tranquilitate magis placatum foverent, nec non majori, ac ipse Pontifex perspicacia omnino futura mala, quæ ex nimio rigore oriri possent, prospicerent, Julio exponebant, quod consultius esset si Ludovicum Regem, ut Cardinalem eorum Confratrem liberum dimitteret, precibus urgeret, ipsamque anathematis comminationem interim differret, donec cuncta Regem flectendi media incassum exhausta essent. Cessit Pontifex Cardinalium consilio.

§. CXXIV.

Rex copias ex Italia Anglorum bello revocare compulsus.

Cum igitur Ludovicus pacem a Papa impetrare desperaret, bellum parare compellitur, adeo tamen siniſtro successu, ut ipse Mediolanensi Ducatu penitus exueretur, & Galli e tota Italia pellerentur: quippe Anglorum exercitus, cujus adventum minime suspicabatur, jamjam in limine regni sui constitit, ad omnem horam in Gallos irruere paratus. Quocirca Ludovicus ducentos regii satellitii Nobiles, ac bis mille quingentos selectioris militiæ pedites ex Italia revocare cogitur. Præterea Jacobus Sily supremus in Normannia ærarii Præfectus, Statusque Mediolanensis Procurator, cum Regi suo obsequium præstare crederet, si

Perron. in Lud. XII.

si eundem in Italia pariter tertia expen- Sæcul. XVI.
sarum parte eximeret, omnes exteras co- A. C. 1512.
pias dimisit, quas ad tuendum Mediolani Ducatum antea conscriptas, jam vero huic ditioni haud ultra necessarias existimabat, nimia facilitate persuasus, Fœderatos post Ravennatensem cladem unice intentos, ut proprios quisque status tueretur, de alienis vero minime sollicitos fore. Dimissis ergo sic copiis Palicio nonnisi mille trecenti cataphracti, peditumque decem millia supererant, quæ tamen copiæ reprimendo hostium incursui jamjam imminenti impares erant, in quibus rerum angustiis prehensus in Sanseverinate opem quæsivit, eum rogans, ut cum copiis suis, quæ Romandiolam defendebant, accederet. Cardinalis nulla mora Palicii precibus annuens, præsidium Ravennatensi arci imposuit, ceteras vero omnes Romandiolæ urbes civium fidelitati commisit, qui tamen a Gallorum præsidiariis exonerati, mox in Pontificis obsequium revertebantur; quamvis ceteroquin propensum in bella Julii animum minus probarent.

§. CXXV.

Concilium Lateranense a Papa adornatum.

Gallici exercitus numero in Italia valde imminuto, necnon Palicio Ducatum

Sæcul. XVI A C. 1512.

tum Mediolanenſem tueri vix non deſperante, crevit ſummi Pontificis fiducia, qui votorum ſuorum metam conſecutus videbatur, cum Helvetiorum non modo ſex millia, ut promiſerant, ſed ſexdecim aut omnino octodecim millia adventarent, atque Hiſpania novas militum ſuppetias in Neapolis Regnum decreviſſet, & opportune etiam Angliæ Rex ſeſe Fœderatorum partibus addixiſſet. Tanto ergo proſperitatum concurſu fretus Pontifex, totus in eo erat, ut hoſtium ſuorum credulitatem in rem ſuam verteret, atque Piſanum Concilium a rebellibus, ut inquiebat, ac ſchismaticis Cardinalibus conflatum deprimeret. Quapropter Romæ illi Concilio, quod die octava Julii anno milleſimo quingenteſimo undecimo ad Lateranenſe Palatium convocaverat, Romæ initium dedit. Jam prævia ſedulitate in quodam Patrum Senatu ex octo Cardinalibus Congregationem inſtituit, in qua præcipue ea, quæ in Concilio exponenda forent, maturo judicio diſcuterentur, ac non minus ordinate, quam ſedulo inſtruerentur, quæcunque ad diſciplinæ reparationem, morum emendationem, ac reprimendam Curiæ Romanæ licentiam, irrepentesque abuſus demum tollendos neceſſaria viderentur.

Marian. lib. 30. *n.* 43.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER CXXIII.

JULIUS II. PONT. MAX. MAXIMILIANUS I. IMPERATOR OCCIDENT.

§. I.

Toletanus ac Hiſpalenſis Archiepiſcopi a Papa ad Synodum invitati.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Sub idem tempus Neapolis ac Siciliæ Epiſcopi plures obtendebant rationes, ob quas a Diæceſibus ſuis abeſſe recuſabant: Unde Julius Papa nil intentatum reliquit, ut eos Romam adire permoveret; Hiſpaniæ quoque Epiſcopos ad Lateranenſem Synodum accurrere peroptabat, nil tamen ardentius in

Marian. lib. 30. *n.* 43.

Sæcul. XVI A.C. 1512.

in votis habebat, quam quod Hiſpalenſis ac Toletanus Archiepiſcopi venirent, utpote Viri toto Regno illuſtriſſimi, ac ſcientiarum laude longe clariſſimi, quorum ultimus erat Cardinalis Ximenius, meritorum præſtantia nominatiſſimus. Hi ergo ſi in Concilio præſentes forent, Decretis condendis ampliorem auctoritatem acceſſuram, haud immerito ſperabat Pontifex; quapropter Hiſpalenſi Archiepiſcopo purpuræ quoque dignitatem obtulit, ut forte honoris ſtimulo concitatus, itineris ſuſcipiendi obſtacula ſuperaret. Aſt ambo hi Præſules Romam adire præpediebantur.

§. II.

Initium Concilii Lateranenſis Romæ ſub Julio II.

Lab. coll. Conc. gener. t. 14. p. 4. Guicc. l. 10. Spon. ad an. 1512. n. 7.

Nec tamen horum abſentia ſummum Pontificem abſterrebat, quominus tertia Maji die Lunæ in feſto Inventionis S. Crucis Anno Domini milleſimo quingenteſimo duodecimo Concilium Lateranenſe ejusdem nominis quintum ſolemni ritu auſpicaretur. Igitur Julius Pontificis habitu ornatus ad Baſilicam proceſſit, eum comitantibus quindecim Cardinalibus, octoginta ferme Archiepiſcopis, cunctis natione Italis, ſex Abbatibus ac Ordinum Generalibus. Hæc ſolemnia auguſtiſſi-

guſtiſſima prorſus pompa celebrabantur, Sæcul. XVI.
„ tamque luculenta religionis ſigna ede- A.C.1512.
„ bantur, inquit Guicciardinus, ut du-
„ riſſima quæque corda ad pietatem com-
„ moveri potuiſſent, niſi quorumdam
„ animos ſiniſtra de Pontifice opinio præ-
„ occupaſſet. „ Poſt hæc Solemne ſa-
crum peragitur a Raphaele Oſtienſi Epi-
ſcopo, Cardinale S. Georgii, S. R. Ec-
cleſiæ Camerario, ſacrique Collegii De-
cano, ac demum Evangelio per Arragoniæ Cardinalem decantato Farneſius Cardinalis tit. S. Euſtachii epiſtolam recitavit, qua ſummus Pontifex Purpuratos, & cetera Synodi membra hortatus eſt, ut Deo magis, quam hominibus placere, bonumque Eccleſiæ promovere ſtuderent. Ea perlecta Pontifex Seſſionem primam ad decimam Maji, quæ erat Feria ſecunda, indixit, denique priusquam hæc ſolemnia abſolverentur, Ægidius de Viterbio Fratrum Auguſtinianorum Generalis Miniſter, magni tunc nominis Orator prolixum ſermonem declamabat.

§. III.

Oratio pro ſolemni initio Concilii Lateranenſis ab Auguſtinianorum Generali habita.

Igitur, ut congregatorum benevolenti- *Marian. lib.*
am captaret, velut vaticinans, inquit: 30. *n.* 45.

Anni

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Anni fluxere aliquot, ex quo universæ Italiæ ex Joannis Apocalypsi sumpta dicendi occasione, magnas Ecclesiæ calamitates instare sum vaticinatus: certam tamen ex iis malis emergendi aliquando spem promitti. Lætor Patres, atque ex animo gaudeo nostrum vaticinium inane non extitisse. Rebus enimvero in extremum discrimen adductis & in tetram malorum caliginem, quasi post obscuræ noctis tenebras melioris spei lumen ostenditur, serenum post sævam ventorum, & turbinum tempestatem. Posteà Conciliorum necessitatem atque excellentiam explanat, Patresque hortatur, ut in unum congregati junctis viribus magis expedita, magisque efficacia inquirant media, quorum ope pretiosum fidei depositum servare, ac doctrinæ puritatem tueri possent. Demum verbis admodum gravibus nuperas calamitates describit. *Quis non videat*, prosequitur, *non gemat hujus ævi ærumnas continuas & graves? Mores populi in omnem licentiam solutos, imperitiam, ambitionem, impudicitiam, ubi minus decebat grassari: siccis oculis quis aspiciat Italiæ campos humano manentes sanguine magis, quam de cœlo imbribus, undantes per urbes, & oppida gladios, innocentiam oppressam? Hæc aliaque multa mala vestram opem, Patres, expectant, ea sublata spe, unde remedium nostris miseriis petatur?*

Sadolet in Epist. ad Card. Bembo.

In collect. Conc. P. Lab. t. 14. p. 18.

Exstat in dict. Conc. Later. p. 7. ex edit. Binii t. 4. part. 2.

Nec

Nec Pontificis merita extollere obli- Sæcul. XVI.
tus ait: *Magnam Provinciam, Pater san-* A.C. 1512.
cte! susceptisti, multa aggressus es, & per-
fecisti præclare, sublata latrocinia, aperta
itinera, plures ad sacrum imperium urbes
restitutæ, quam a quoquam alio ab omni me-
moria Pontificum. Magna sunt hæc atque
præclara quis neget? Omnium tamen maxi-
mam a tua prudentia cuncti præstolamur
opem. Principibus Christianis pacatis in
communem hostem omnium opes, viresque
converte. Id ut facilius contingat, positis
armis absonis ea arripiamus, quæ nostræ mi-
litiæ sunt consentanea. Iis vitia & omne genus
scelera multa quamvis & fœda, sunt impug-
nanda. Denique ad sanctos Apostolos Pe-
trum, & Paulum orationem dirigens in-
quit: *Vos imprimis Petre & Paule clara*
inter cœlestes lumina, Ecclesiæ sanctæ, at-
que hujus urbis tutellares, clamores nostri
& singultus ad misericordiam flectant. Ec-
clesiam vestram juvate, vestro, inquam, cruo-
re consitam, cultamque vineam, divinam Chri-
sti, & vestro sanguine irriguam hæredita-
tem, & quam a Tyrannorum sævitia libe-
rastis, ne eorum manibus extirpetur, & pe-
reat, qui se filios ejus & familiares profi-
tentur, benigne facite. Cunctos hos Patres,
& sanctos Præsules confirmate cœlesti ope,
ut mentis oculis in Deum solum conjectis, ac
nihil præterea captantes, quæ nostra vulne-

ra

Sæcul. XVI. A.C. 1512. *ra poſtulant, & tantæ miſeriæ exigunt, ea adhibere remedia ne metuant.*

§. IV.

Seſſio I. Concilii Lateranenſis.

Labb. l. c. p. 27. & 50. Poſtmodum ſequenti feria ſecunda, decima Maji prima Seſſio celebratur, in qua Cardinalis S. Marci rem divinam peregit, ac Bernardus Spalatenſis Archiepiſcopus ſermonem habuit. Aderant in hac Seſſione quindecim Cardinales, Alexandrinus, atque Antiochenus Patriarchæ, decem Archiepiſcopi, quinquaginta ſex Epiſcopi, duo Abbates, ac quatuor Ordinum FF. Prædicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, FF. Minorum, & Carmelitarum Præpoſiti Generales præter Regis Catholici, Venetæ ac Florentinæ Reipublicæ Legatos. Præerat autem ipſe ſummus Pontifex, qui etiam peractis de more ſupplicationibus, litaniis, aliisque precibus, lectoque per Arragoniæ Cardinalem Evangelio ex Capite decimo S. Joannis: *Ego ſum Paſtor bonus*, orationem habuit, Synodique Patres admonuit, ut ſolerter ordinarent ea omnia, *quæ ad Eccleſiæ pacem & ſtatum pertinent, ad ſchismatis extinctionem, dictæque Eccleſiæ reformationem, necnon contra Infideles per Chriſtianos Principes expeditionem, pacemque inter eos componen-*

ponendam. Facta hac adhortatione ipse Pontifex Hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* auspicatus est, quo absoluto Cardinalis Farnesius Bullam indictionis sacri Concilii, postea vero Apostolicas prorogatæ Sessionis literas hoc anno quinto decimo Kalendas Maji seu decima septima Aprilis datas prælegit; idem quoque aliud Breve Apostolicum die vigesima nona Aprilis editum, quo Sessio denuo dilata est, recitavit, adjunxitque aliam Bullam, qua Pontifex statuit, ut sacra per omnes urbis Romanæ Ecclesias quotidie ad gratiam divinam pro felici Concilii successu implorandam celebrarentur, concessis ad hæc sacris Indulgentiis. Legebatur etiam Toletani Concilii canon, quo modestia, silentium atque unio præcipitur. Denique declaratum: *Quod si aliqui ex considentibus non fuerint in sedibus debitis collocati, ex hujusmodi Sessione nulli Personæ præjudicium generetur.*

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. V.

Ministri Concilii.

His peractis nominabantur Synodi Officiales, ac primo quidem Constantinus Cominatus Macedoniæ Dux, & Achaiæ Princeps, qui in Montferratensi ditione quasdam terras possidebat, Generalis Concilii Custos seligitur, eique in

Labbe coll. Conc. t. 14. p. 46.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

hoc officio urbis Conservatores, & Romani Officiales adjunguntur: Equites vero S. Joannis Jerosolymitani Breve Apostolicum accipiebant, quo eis significatum, illorum fidei ipsius summi Pontificis custodiam in Synodo delatam esse: Julius enim ad bella propensus, ad sua castra hos milites pertrahere cupiebat: Hi tamen minus de Religionis suæ commodis, quam Papæ consiliis in hac Synodo actum iri persuasi, ejusmodi turbis utpote eorum instituto minus congruis sese implicare detractabant: hinc quo minus Romam venirent, Guidonis de Blanchefort Magistri sui absentiam obtendebant: nihilominus tamen, ut quodammodo Papæ jussis morem gererent, Fabricio Caretto, Generali Ordinis Procuratori negotium dabant, ut ex Italia & Pontificis ditione quosdam Equites convocaret, quos suæ custodiæ caussa Julius circum se haberet. Præterea quatuor designantur Notarii Apostolici, qui sedulo, quæ scriberentur, inspicerent, & subscriptionibus suis munirent. Hi erant Nicolaus Lipomanus, Franciscus Spinola, Alphonsus Lerma, & Paulus de Cesis, quibus suberant quatuor Secretarii, duoque alii, quos ab epistolis habebant, necnon quatuor suffragiorum Scrutatores præter quinque Advocatos, tres Procuratores, & quinque rituum Magistros.

Hist. de Malthe t. 2. p. 408.

Spond. ann. 1512. n. 8.

Ex

Ex his omnes, qui præsentes erant, solemne Sacramentum ad pedes Pontificis præstiterunt, absentes vero in manibus Cardinalis tit. S. Georgii, Romanæ Ecclesiæ Camerarii idem deferre jussi sunt. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. VI.

Sessio II. Concilii Lateranensis.

Sessio secunda die decima septima Maji, feria secunda, qua indicta fuit, itidem celebrabatur, cui æque ac in prima summus Pontifex præsidebat. Re divina per Cardinalem S. Martini in montibus peracta, Thomas de Vio Cajetanus, Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister sermonem habuit, in quo vehementer contra Pisanos Conciliares declamavit, quo finito quidam Papæ Secretarius conscenso suggestu legit quoddam Henrici VIII. Angliæ Regis mandatum, quod fœdus cum eodem summo Pontifice initum concernebat; eo autem prælecto, Thomas Phædra Papæ Bibliothecarius, ac Synodi Secretarius legit aliud mandatum Ferdinandi Arragoniæ Regis, quo tam suo, quam suæ Filiæ, Joannæ Castellæ Reginæ nomine Hieronymum de Vich ordinarium suum in Romana curia Oratorem, nunc quoque specialem Procuratorem declaravit in omnibus, quæ Synodi negotia respicerent. Datæ sunt hæ *Labb. t. 14. p.* 56. & 68. 60.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

literæ Burgis die secunda Decembris anno Domini millesimo quingentesimo undecimo. His ita recitatis, atque Evangelio per Cardinalem Arragonium, & Hymno de Spiritu sancto per summum Pontificem decantato Bernardus Zane Spalatensis Archiepiscopus, Papæ jussu alta voce Bullam de Synodi approbatione perlegit, atque ab omnibus tum præsentibus petiit, an ea, quæ in hac constitutione continerentur, illis placerent? Cunctis ergo respondentibus: *Placent*, quidam Synodi Procurator publicum illius instrumentum confici postulabat. Tertia denique Sessio ad tertiam Decembris diem prorogata est, tum ob æstivos calores, tum ut iis, qui nondum advenerant, tempus daretur commodum, præcipue vero Gurcensi Episcopo, cujus adventus indies exspectabatur.

§. VII.

Ravenna a Fœderatis recuperata,

Hoc temporis intervallo Fœderatorum res tam ampla cæperunt incrementa, ut omnis parta tuendi spes Gallis penitus præcisa esset. Vix Palicius copias, quibus Sanseverinas Cardinalis imperabat, ex Romandiola retraxerat, cum jamjam Antonius Columna exercitum suum in aciem educeret, cujus adventum Ravennates

Rubeus hist. Raven.

nates edocti, illum propius ad urbem suam accedere rogant, atque ingressum concedunt, junctisque cum eo viribus arcem, in quam Galli confugerant, cingunt, brevique eos ad deditionem compellunt, concessa nihilominus præsidiario militi vitæ venia, ac salva abeundi facultate. Columna data fide deditionis legibus subscripsit, nec tamen promissis stetit, sed Turcarum more desæviit; gregarios enim milites eminus plumbeis glandibus trajici, & alios jugulari præcepit, Duces vero reliquit vindictæ populi ob nuperam urbis suæ devastationem adhucdum in Gallos concitati: Ravennatenses igitur hos omnes vivos collotenus defossos, cunctisque civium insultibus expositos fame necarunt. Hæc crudelitas merito Florentinis terrorem incusserat, ne Gallis devictis, cum & isti assiduo studio illis faviſſent, parem cum Gallis hisce sortem subire cogerentur: quocirca fœdere cum Francia innovato, copiarum subsidia Gallis suppeditarunt, quibus illorum absentia, quos supremus in Normannia ærarii Præfectus dimiserat, suppleri posset.

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

Raynald. hoc ann. n 55.

Vide supra §. *CIV.*

§. VIII.

Octodecim Helvetiorum millia in Italia.

Palicius his suppetiis auctus, in exercitu suo mille ducentos lanceariοs, peditum

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

tum Gallorum quinque, Germanorum vero quatuor millia recenſebat, haud computatis illis copiis, quas prope Parmam reliquerat, ut vel Mediolanum tuerentur, ſi hoſtis ex Apenini alpibus erumperet, vel Bononiam ſeſe reciperent, ſi Fœderati ad hanc ditionem arma converſuri eſſent: Potiſſimum enim Palicius Helvetiorum adventum verebatur, quorum octodecim millia exeunte menſe Majo e patria ſua diſceſſerunt; quamvis facta prima recenſione non niſi ſinguli unicum florenum Rhenanum accepiſſent. Hos Cardinalis Sedunenſis haud procul a Curia collegerat, obtento a Griſonibus libere transeundi copia, qui quamvis cum Gallis fœdere juncti eorum ſtipendia merentur, veterem tamen cum Helvetiorum Pagis amicitiam fovebant. Tandem ultima Maji die ad Tridentinam ditionem Cæſare tranſitum permittente, pervenerunt, ac ſeſe in Veronenſi tractu Venetorum copiis adjunxere, quo unico Palicius haud parum turbabatur, neſcius, in quam partem hæc procella ſeſe exoneratura eſſet. Eo tempore is penes Ollrum flumen caſtra metabatur, præpediturus, ne Helvetii per Brixianum, ac Bergomenſem agros in Mediolani Ducatum penetrarent; aſt Helvetios aliam viam arripuiſſe edoctus, Valeſii ad Mincium tentoria erexit, indeque ad ſupremum Normani

Buonacourſ. Guicc. l. 20. Pariſ. de Graff t. 3. p. 854.

manni ærarii Præfectum literas dedit, significans, ut quantocius in Mediolanensi ditione milites conscriberet, cum ejus culpa exercitus adeo viribus ac numero imminutus esset, ut sese hostibus opponendo omnino impar foret, nisi novis militum supplementis augeretur. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. IX.

Helvetii junctis Venetis Mediolanum ingressi.

Interea Fœderati, postquam copias suas Venetis junxerant, de itineris sui ratione admodum dubii hærebant; Cardinalis enim Sedunensis ac Provisor Grittus Mediolanum recta petendum censebant: Bononiensis vero Episcopus, qui Julii Papæ negotia procurabat, ante omnia Ferrariæ obsidionem urgebat. Ast ubi quatuor Albanenses tabellarium, qui Palicii epistolam ad Normanni ærarii Præfectum deferebat, interciperent, eamque ad Grittum mitterent, convocato Senatu, atque epistola ex Gritti jussu ibidem perlecta, communi suffragio decretum est, quod Pontificis, Regisque Arragoniæ exercitus in Romandiola relinqueretur, ceteræ vero copiæ Mediolanum invaderent, eoquod Palicius cum decem aut duodecim suorum millibus in aperto campo adversus Fœderatorum exerci-

Secul. XVI. A.C. 1512

tum plusquam triginta armatorum millibus validum decertare minime ausurus esset. Ergo Veneti in Veronensi tractu Villæ-Francæ castra ponunt, Mincium trajecturi, idque nullo ferme negotio perficiunt, Cæsare tum Veronam occupante. Equidem Gallici agminis Dux superato ocius amne tentoria sua Castilione Stiverorum fixit, hostibus Valegium relinquens: ast hi Gallis excedentibus, mox urbem capiunt, ac Mincium trajicientes, in Mantuanam ditionem erumpunt, cum Dux Mantuanus transitum intercludendo prorsus impar esset: quocirca Palicius per Ollrum fluvium ad Pontevicum sese recipere compellebatur.

§. X.

Imperator suas copias a Gallorum exercitu revocat.

Raynald. ad ann. 1512. *n.* 57.

Recensebat tum temporis Palicius præter copias, quas Bononia accersiverat, sex peditum millia, quæ Mediolani a Normanni ærarii Præfecto conscripta suis brevi jungenda sperabat; his copiis auctus Fœderatis sese opponere valuisset Palicius, eo vel maxime, quod Helvetii dilata æris militaris solutione, sensim labores pertæsi ad sua reverterentur. Ast obstitit Palicii conatibus Cæsaris mandatum

tum, quo Germani, qui Gallorum ſtipendia merebantur, protinus ſigna deſerere, Patriamque repetere jubebantur, indictis pœnis, iisque ſeveriſſimis. Erant Germanorum quatuor omnino millia ex hæreditariis ditionibus collecta, ac Maximiliani utpote Cæſaris, necnon Auſtriæ Archiducis imperio ſubjecta. Incaſſum Palicius omnes artes exhauſerat, ut eos detineret; obtulit illis aurum, atque ampliſſima addidit promiſſa; aſt cunctis hiſce minime expugnabatur Germanorum fidelitas, ferme enim omnes a ſignis diſcedebant: Unde cum totus Gallorum exercitus ad quinque vel ſex millium manipulum redactus eſſet, Palicius ſeſe fœderatorum copiis objicere haud auſus hoſtium arbitrio campeſtrem Mediolanenſis tractus planitiem relinquere ſtatuit, ex cujus uberi ac pingui ſolo Fœderatis non modo annonæ abundantia, ſed etiam Helvetiis ſtipendia numerandi facultas accreſcebat, Palicio autem inde acceſſit expedita aut Cremonam verſus fugiendi, aut urbes ad Abduam ſitas ingrediendi opportunitas, ſi forte hoſtes nequidem tentata Mediolani obſidione, recta in Ducatum ſeſe effuſuri eſſent. Sæcul. XVI. A. C. 1512.

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. XI.

Exercitus Fœderati progressus.

Præplacuit etiam Fœderatis Ducatum mox invadendi consilium: unde ad Pontem-vicum usque processerunt, Gallorum exercitu nequidem hostis sui conspectum sustinere ausо; una enim omnes motis castris, præcipiti fuga, totoque pedum studio Picelonem profugi secus Abduam subsiliterunt, spe freti, copias ex urbe Bononiensi accitas, peditesque Mediolani conscriptos brevi adfuturos. Verum speratæ peditatus suppetiæ Palicium expectatione sua frustrabant, cumque, ne exercitus sui vires minueret, nonnisi Cremonensem arcem, urbe præsidiis destituta, firmasset, cives ultro portas suas fœderatis aperiebant, quadraginta Ducatorum millium multa deprædationis calamitatem redimentes. Post hæc Cremona Maximiliano Sfortiæ, qui Ludovici non ita pridem in Lochiæ castro Duodena captivitate contabescentis Filius erat, fidelitatis sacramentum exsolvit, læsis Venetorum juribus, qui ex societatis fœdere hanc urbem sibi reddi postulabant; his tamen Helvetii, & Pontificii exercitus Duces obsistebant, quibus etiam Respublica cedere cogebatur. Interea cum Bergomenses paucis ex

Guicc. l. 10. Marian. l. 30. n. 45. Surita l. 9. cap. 59. Rubeus hist. Raven. l. 8.

post

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

post diebus Cremonensium exemplum imitarentur, Palicius etiam Picelonis castris excedere, ac Abduam denuo transire compulsus est, Papiam petiturus: ejus tamen copias Fœderatorum exercitus sine intermissione lacessebat, illisque vix Mediolanensem ditionem ingressis, singulorum studia contra Gallos exardescebant, omnesque urbes, quas Victores pertransibant, summis lætitiæ signis eos exceperunt; nulla tamen urbs Cæsari fidei sacramentum persolvebat.

Pizzigitone

§. XII.

Galli Mediolano amisso Papiæ ad Palicium veniunt.

Trivulcius Maresc allus Mediolani securitati suæ haud ultra consultum iri prospiciens, arce annona bellique apparatu prius munita, Papiam ad Palicium contendit. Hunc sequebantur Itali & Galli, comitantibus eos Cardinalibus, & Pisani Concilii Præsulibus, qui secum quoque trahebant in Ravennatensi prælio captos, ex his tamen Cardinalis Medicæus libertatem suam prospera fuga redemit: Cum enim maturo satis tempore Carim advenisset, priusquam quieti indulgeret, custodes flumen trajicere eum jubebant, ille autem, cum fugam meditaretur, ac ipsa loci opportunitas id suaderet,

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

deret, morbum simulabat, unde eidem quietem concedere oportebat: Interea vero suorum Amicorum quidam nomine Raynaldus Zaldus eum invisit, & ambo remotis arbitris diutius collocuti, satellitum incuriam in rem suam verterunt, præconcepta fugæ consilia executuri. Ergo Zaldus viginti quinque, aut triginta rusticos male armatos convocat, exiguamque hanc manum custodibus, qui Cardinalem trajicere compellebant, in ipso naviculæ ingressu objicit, qua conspecta custodes haud parum perterriti, nec resistere ausi Medicæum Cardinalem dimittunt, qui mox recuperata libertate, summo, quo potuit, silentio ad Castrum-Genovese contendit.

Paul. Jov. Onuphr. Victorel. in Leon. X. Paris de Grassis l. 10. & 80. Raynald. hoc tom. n. 59.

§. XIII.

Galli Pedemontium profugi.

Raynald. l. c. n. 64.

Equidem Palicius Papiam tueri nitebatur; verum Fœderatis appropinquantibus Gallici exercitus Duces, priusquam hostis urbem invaderet, recedendum censebant: quapropter ponte Ticino impositio, præsidii partem eduxit, altera adhucdum in urbe relicta, cum Helvetii eam ingrederentur; unde cruentum utrinque prælium exoritur, Palicio, & Ludovico Arsio hostium impetus invicta virtute sustinentibus: Eques quoque Bayar-

Bayardus cum triginta cataphractorum manu tamdiu continuata pugna Helvetios distinuit, donec reliqua exercitus pars urbis porta excessisset, cum vero hic Bellidux nuntium accepisset, quod Helvetii navibus Ticinum trajicerent, eo fine, ut ceteros quoque persequerentur, ipse omni cunctatione remota abiens, cum suis gravioris armaturæ Equitibus ad pontem accurrit, eumque nonnullis belli tormentis firmavit, ut hostem incautius insequentem ferali globorum emissione exciperet. Ast ex invidia fortunæ factum, ut quædam ultimi agminis pars nimirum quingenti lancearii, cum prima navalis pontis cymba cujusdam gravioris tormenti pondere pressa aquis subsideret, Helvetiorum arbitrio relinquerentur, qua capti, qua jugulati, aut undis hausti, ipse vero Bayardus in hac expeditione humeros inter & collum tormenti minoris globo vix non occisus occubuit. Demum ponte penitus destructo, atque Helvetiis Gallos haud ultra insequentibus, Palicius cum exercitus sui reliquiis sine militis dispendio Pedemontium pervenit, seque Trivultio conjunxit: Tantam vero stragem passus erat, ut Astam quoque, avitum illud Aurelianensis familiæ patrimonium, ab ipso Ludovico XII. regno nondum adepto possessum, hostibus cedere compelleretur.

Sæc. XVI. A.C. 1512.

§. XIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. XIV.

Julius II. Bononiam reversus.

Guicc. l. 10. sub fin. Paris de Grassis apud Raynald. l. c. n. 57.

Igitur Julius II. Papa, qui paucis ante mensibus fatali calamitatum concursu premebatur, mira rerum vicissitudine jam votorum suorum plene compos fiebat, cum Ravenna, Bononia, totaque Romandiola recuperata, Gallique ex Italia pulsi essent: Hucusque enim Bentivolii Bononiam occupabant, verum illi, si forte a Papa invaderentur, omnem illius indignationem veriti, fugam capiunt, remissis ad Gallos trecentis lanceariis, quibus præsidii pars constabat. Verum in horum quoque fugientium tergis hærebant Fœderati, eosque una omnes trucidabant, ne unico quidem sagittario fuga vitam redimente. His ita expulsis, Bononiensis Magistratus ad Papæ pedes provolutus, pro civibus delicti veniam exorabat, qua tamen demissione ut ut insolita Pontifex minime flectebatur, Bononiensibus acerbius habitis (*).

§. XV.

(*) *Ita Continuator: Paris autem de Grassis Auctor coævus & ipse præsens refert:* Bononiam ingressi sunt die 13. Junii, excepti a populo festiviter, & se excusantes, quod si quid resistentiæ per ipsum populum factum fuerit

Sæc. XVI. A.C. 1512.

§. XV.

Mantuæ Marchio pacis conciliator Papam inter & Ferrariæ Ducem.

Ceterum Julio ad explenda ambitiosa (*) sua consilia adhuc quatuor deesse videbantur. Præprimis quidem Ferrariæ Ducem sua ditione spoliare tum cupiebat. II. Mediolanum Sfortiæ Familiæ

Buonacors. in diariis. Paris. de Grassis apud Raynald. hoc ann. n. 71.

---

fuerit priori tempore, a Gallis & tyrannis ac factiosis factum est: utcunque tamen sit, veniam & misericordiam precantur: Pontifex autem compos voti factus non tam quod Bononiam recuperaverit, & quod tyrannos expulerit, quam quod Gallos ex Longobardia expulerit, quotidie magis & magis gratias Deo publice & privatim reddere non desiit, precando, ut illos etiam ex Italia expellat, quod ad votum videmus succedere . . . Deo enim rem propriam respiciente dedit, datque pœnas suæ iniquitatis Gallus ex Italia turpiter ejectus.

(*) Ambitiosus appellari meretur, qui aliena appetit, non qui sua etiam armis recuperare studet, rebelles compescit, criminosos castigat, atque oppressos sublevat. Cetera de suo Continuator pro more adjecit, nullo ex allegatis auctoribus de ejusmodi Papæ consiliis vel verbulum indicantibus.

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

miliæ reſtitui petebat. III. Medicæos in Florentiæ poſſeſſionem repoſitos, ac denique Germanos atque Hiſpanos ex Italia pulſos deſiderabat. Equidem Ferrariæ Ducem perdere firmiter decreverat, cum vero Dux Fœderatorum benevolentiam ſibi demereretur, nec illi eum indignationis Pontificiæ victimam fieri ſuſtinuiſſent, eundem Romam ſcite advocare, animo conſtituit. Hanc in rem Mantuæ Marchioni, qui pro Duce deprecabatur, literas dedit, ſignificans, quod ipſe quidem, quatenus Julianus Ruvereus foret, lubenti animo eidem condonare vellet: quatenus autem Pontifex eſſet, illum in gratiam recipere non poſſet, niſi obſervatis de more ſolemnibus; quocirca Fœderati ejus nomine veniam deprecarentur, reus crimen ſuum in pleno Patrum Senatu fateretur, ac ſub conditionibus ibi præſcribendis abſolutionem reciperet. Marchio de conſueta duntaxat agi formula ratus, ut Pontifici ſatisfieret, operam ſuam Ferdinandi Legato junxit, atque ambo Ferrariæ Ducem in Pontificis gratiam reducere conabantur: Cum igitur Julius tot tantosque Viros pro Duce deprecatores adeſſe cognoſceret, animi ſui lætitiam haud ultra tenens, ſpem fecit, ſe Duci cumulate ſatisfacturum, ſi ipſus Romam accedens,

dens, piis Patronorum suorum studiis haud deesset. Saecul. XVI. A. C. 1512.

§. XVI.

Dux Romam venire cunctatus, a Columnensibus tamen ad id persuasus.

Cum vero hi securitatis literas Duci dari postularent, Julius eas consueto more expediri jussit, quæ ad Ferrariæ Ducem per cursorem transmissæ fuerunt. Renuit primo Dux illas acceptare, inquiens, „ nolo me committere Viro, cujus „ subdolus inconstansque animus sat mi„ hi cognitus est, quive etsi mihi recon„ ciliatus, hostis tamen meus esse non „ desinet. „ Cum igitur Ducem ejus amici haud flectere possent, solertiam Fabricii Columnæ implorabant, quem Dux in Ravennatensi prælio ceperat, sibique multis titulis obstrictum habebat. Equidem Fabricius naturæ suæ genio ad præstanda Duci obsequia pronus erat, veritus tamen, ne forte illi nil prodesset, sibi vero noceret, priusquam operam ei suam impenderet, Hispaniæ Legatum adiit, sciscitaturus, utrum se ceterosque Columnenses datæ securitatis Sponsores Pontifex admitteret; Julio autem ne id quidem abnuente Fabricius Ducem, ut obtemperaret, vehementius urgebat. *Raynald. l. c.*

Sæc. XVI. A.C.1512.

Ergo Ferrariæ Dux Julii aulam accedit, ubi a Pontifice ad pedum oscula admittitur, necnon in publico Purpuratorum consessu a censuris, quibus irretitus erat, liberatur: Cum vero de summa rerum agi cæptum esset, Julius a Duce Ferrariam obfirmatiore animo repetiit, hanc urbem denuo Ecclesiæ Patrimonio adjecturus, Duci vero duntaxat (*) in compensationem Ateſtinum comitatum promisit, idque beneficii loco haberi voluit, ne penitus (ut inquiebat) Ducem, pro cujus venia tot Principes deprecarentur, spoliare videretur. Nec id prætereundum, hunc Comitatum eo tempore a Papa possessum non fuisse, utpote non ita pridem a Fœderatis Principibus ereptum Gallis, a quibus, si Dux eundem comitatum acceptasset, brevi expulsus fuisset. Aliunde Comitatus redituum ubertate adeo non æquabat Ferrariæ Ducatum, ut Ducem ad tam arctam conditionem constringere, perinde esset, ac eundem exspoliare.

§. XVII.

(*) *Paris & Raynaldus testantur, Papam simul pollicitum esse, se eidem viginti millium Ducatorum censum quotannis daturum.*

Sæc. XVI. A.C. 1512.

§. XVII.

Papa Ducem Romæ custodiæ dare meditatus.

Hæ propositiones Columnensibus ac Hispaniæ Legato suspicionem ingerebant, se delusos, Ferrariæ autem Ducis securitati haud satis cautum esse; hanc eorum opinionem auxit fama, qua, Duce Romam abeunte, mox Reggium a Pontificis exercitu occupatum compererant; unde inferebant, per datas impunitatis promissæ literas ad capiendum Ducem laqueos fuisse comparatos.

Raynald. ad ann. 1512. n. 72.

§. XVIII.

Ferrariæ Dux cum Columnensibus Roma excedens, Ferrariam venit.

Hac super re Arragoniæ Legatus æque ac Fabricius Columna colloquii gratiam a Papa petunt, qua obtenta eidem hisce gravibus verbis facti indignitatem exponunt; „Æquitati, inquiunt, lu„culenter adversatur, quod Sanctitas „vestra ad aulam suam accersiverit „Principem, interea autem eo absente „illius subditos abalienet, ejusque urbes „invadat.„ His Papa respondit: „Equidem fidei publicæ legibus prohi-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

„ beor, quo minus armis urbes occupa-
„ re possim: minime vero vetor, quod
„ cives ultronea deditione ad me con-
„ fugientes in fidem meam recipiam:
„ Reggienses autem incolæ copias meas
„ ultro advocarunt; „ Audito hoc Pontificis responso Legatus ac Columna invicem colloquentes datæ fidei summam discutere compellebantur: Pontifex vero, qui nisi ex composito vellet, nunquam veritatem dolo celare noverat, ingenue profitebatur, quod datæ securitatis literæ Ducem adversus ea, quæ justitiæ leges in eum exposcerent, minime tuerentur, nec ipsi integrum esset judicum manibus, si via legitima jus persequi vellent, Ducem eripere. His verbis haud obscure Papa indicabat, velle se Ducem, clam suscitata in eum vexatione, custodiæ dare; non enim media, quibus læsum honorem reparare valeret, anxia nimis cura Pontifex discutiebat, prout jam satis superque vidimus: Igitur Ferrariæ Dux eadem adhuc die amicorum suorum ministerio adjutus Roma excessit, mutatisque vestibus per devia in Principatus sui limites reversus est.

§. XIX.

Pontificis ultio in Florentinos.

Inter hæc Pontifex Ducis fugam edoctus,

Sæcul. XVI. A.C. 1512

ctus, acriter exardescebat, cumque in Ferrariæ Metropolim, utpote quæ valide munita Papæ minas haud pertimescebat, ultionem suam exercere non posset, indignationis suæ arma in Florentinos convertit. Nec deerat occasio, quippe Gallis Mediolano ejectis Sedunensis Cardinalis & Balionius quadringentis Lanceariis ad tuendum hunc Ducatum missis, soluta quadam pecuniarum summa, ad sua revertendi copiam dabant; (*) Julius vero hanc militum dimissionem, utpote se inscio factam, nullam esse contendit, præcepitque Balionio, ut Florentinorum equitatui non parceret. Hic Venetorum Bellidux Papæ jussis nimia fidelitate obtemperans, Equites, ut securitatis datæ literas redderent, suis mandatis

Paris de Grass. t. 3. p. 870. Raynald. hoc ann. 76.

(*) *Consulat benevolus Lector Raynaldum loc. cit. Paridem de Grassis, Scriptorem non modo coævum, sed totius quoque Ferrariensis reconciliationis testem oculatem, ex quo tanquam ex puriore fonte facti hujus seriem haurire, quæve a Continuatore assuta vel adulterata fuerint, perspicere poterit; nobis enim non vacat, ea integre transcribere; observasse sufficiat, acerbum Continuatoris animum in Julium Papam nimis aperte manifestari.*

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

tis injunxit, postea eos armis exuit, equos, sarcinas, omnesque, quas poterat, pecunias eis abstulit, imo nequidem eorum vestes intactas relinquens illas cum obtritis militum suorum centonibus commutavit; Cardinalis quoque Sedunensis Nicolaum Caponium, cui cura Florentino exercitui stipendia numerandi incumbebat, captivum abduxit, ab eoque lytri nomine sex aureorum millia accepit.

§. XX.

Maximilianus Sfortia in Mediolani Ducatum repositus.

Raynal. n. 91 Basel. in append. ad chro. Naucl.

Hæc dum gerebantur, congressus Mantuæ celebrandus agebatur, cui aderat quoque Gurcensis Episcopus, amplissima rei gerendæ potestate a Cæsare instructus. Ibi Pontificii Procuratores, atque Helvetii congregatos impense rogabant, ut Sfortiæ Mediolani Ducatus redderetur; horum precibus devicti, Gurcensis Episcopus, ac Neapolis Prorex annuere compellebantur, quamvis hujus status restitutioni prius obluctarentur. Ergo inter eos conventum, ut nulla mora Episcopus Papam adiret, cum eo de investituræ conditionibus, quas Imperator præscribere teneretur, acturus.

§. XXI.

Secul. XVI. A. C. 1512.

§. XXI.

Papa Medicæis Florentiæ imperium reſtitui ſollicitus.

Agebatur in eodem congreſſu de Medicæis in Florentiæ imperium reponendis; Gurcenſis tamen Epiſcopus, cui hoc conſilium minus probabatur, negotii hujus deciſioni obſtitit: nihilominus Congregati paulo poſt voti ſui compotes facti ſunt, Julio Pontifice operam ſuam impendente; hic enim haud ignarus, quod Julianus Medicæus Mantuæ ageret, ad eum ablegabat Bernardum Bibienam, quem ei non modo tanquam hujus cauſſæ ſocium adjunxit, ſed etiam velut Sedis Apoſtolicæ Miniſtrum rem urgere juſſit.

Marian. l. 30 n. 57. Raynald. hoc ann. n. 61.

§. XXII.

Florentinis repugnantibus Papa bellum nunciat.

Bibiena graviſſimis rationum momentis Medicæorum cauſſam tuebatur, Florentinis tamen obfirmato animo reluctantibus Papa bellum nunciare compellitur: Unde jam ſecunda vice Medicæum Cardinalem Pontificii exercitus Legatum renunciat, Urbinatis vero Duci, ut in Mantuano congreſſu decretum eſt, ſupremum

Sæc XVI. A.C.1512.

mum copiarum imperium defertur: Cardonnæ quoque Neapolis Proregi datum est negotium, ut copias suas in Florentinos duceret, quamvis non nisi duobus majoribus belli tormentis instructus esset. Aft hinc Cardonna, illinc Urbinatis Dux rem insolita lentitudine aggrediebantur, imo Cardonna etiam missis ad Florentinos Oratoribus adeo proficuas eisdem obtulit conditiones, ut illas ab eis rejiciendas vix credere posset; nam præprimis postulabat, ut Soderino alius Dictator subrogaretur, Medicæi vero velut privati cives reciperentur, nec publica imperii negotia eis committerentur, nisi quædam ex plurimorum sententia illis credere luberet.

§. XXIII.

Pratum a Cardonna occupatum.

Marian. lib. 30. *c.* 59.

Hac Florentinorum repugnantia concitatus Cardonna, Pratum obsidere decernit; aft urbem ea, qua munitissima esset, parte aggressus, duobus suis tormentis post viginti quatuor horarum explosionem nequidem muro labem intulit. Cumque Hispanis commeatus deficeret, ad aliam expeditionem educi postulabant, quibus Cardonna Pratum digito monstrans respondit: ecce urbem, in qua famem, si quæ vos premit, abunde propulsabitis.

sabitis. Hispani his verbis erecti, tormentis ad aliam urbis partem deductis, murum ad sex omnino perdicarum longitudinem aperuerunt, admotisque scalis urbem superarunt, quamvis centum Lanceariorum, ac bis mille peditum præsidio, Ductore Lucca Savellyo munita fuisset. Tum vero Hispanis irruentibus similis ruinæ strages erat; tantam quoque annonæ abundantiam Hispani reperiebant, ut in solidum mensem & amplius illis sufficeret. Sæcul. XVI. A. C. 1512.

§. XXIV.

Fœdus cum Florentinis a Cardonna initum.

Parta urbe, cum Florentiæ seditio suscitaretur, Soderinus fuga sibi consulere compellitur, a suis proditionem veritus. Eo autem recedente, factionis suæ sociis animo fractis, Florentini primas eo curas intendebant, ut libertatem suam redimerent, unde ad Cardonnam suos ablegant, qui eis injunxit, ut octoginta aureorum millia pro Hispanorum exercitu, ac quadraginta millia pro Cæsare penderent, sibimet vero ipsi viginti millia numerari petiit; præterea eisdem præcepit, ut Gallorum fœderi nuncium mitterent, Fœderatorum vero societati nomen darent. Acceptatis conditionibus

Sæcul. XVI. A.C.1512.

Soderino Florentiam redire datum est, ea tamen lege, ne Dictatoris munus obiret, nec speciatim de Medicæis mentionem ingereret; hos enim cum ceteris patria olim proscriptis pari fato habebant, decernentes, quod promiscue omnibus Florentiam reverti integrum esset, privatorum tamen ordini accensendi venirent.

§. XXV.

Medicæi Cardonnam, & Hispaniæ Ministros sibi devinciunt.

His pactis integra fide adimpletis, mox Hispani e Pratensi urbe excessissent, si Florentini centum quadraginta aureorum millia illis imposita quantocius numerassent; cum vero hi nonnisi Gurcensi Episcopo pro Cæsare quadraginta, pro Cardonna autem viginti nummum millia penderent, atque Hispani non nisi mediam promissæ pecuniæ partem ab eis acciperent, Cardonna copias suas Prato revocare recusabat: Inde vero Medicæus Cardinalis, & Julianus ejus frater, qui exigua pompa, ac nemini suspecta Florentiam intrabant, Hispanos sibi demerendi spacium nanciscebantur. Præterea Joannes Baptista Rudolphi, cum Soderinus munus abdicaret, Dictator eligebatur, adjecta lege, ut singulis sex Mensibus Magistratus permutaretur. Hanc tempo-

temporis opportunitatem Medicæi exco- Sæcul. XV.
quendis ſuis conſiliis impendebant, ac A.C. 1512.
Pratum, quicquid pecuniarum atque unionum haberent, deferentes Amicis ſuis mutuo dabant, ſuaque benevolentia Andream Caraffam ſupremi Hiſpanorum Ducis Legatum ad ſuas partes trahebant, demum clam cum Cardonna collatis conſiliis eundem quoque in ſuam ſententiam inclinabant. Ceteri quoque Duces ad Medicæorum ſtudia pellecti, militibus ſuis Florentini Prætorii ſpolium pollicebantur.

§. XXVI.

Medicæi Florentiam regreſſi urbem occupant.

Cum hæc die trigeſima prima Auguſti hoc anno ita diſponerentur, clam alienis veſtibus induti Florentiam immittebantur tot Hiſpani, quot ad Medicæorum factionem augendam, adverſamque viribus infirmandam neceſſarii cenſebantur. Poſt hæc Cardinalis, & Julianus ejus frater Prato Florentiam venerunt, ac prima Septembris die veſpere verſus horam quartam urbem ingreſſi ſunt, tanto ſuorum numero ſtipati, ut quæ agitarent conſilia, haud obſcure proderent. Altera die Julianus Senatum acceſſit, introduci poſtulans: Interea vero Hiſpani,

Saecul. XVI. A. C. 1512.

ni, qui pridie urbem intraverant, adhibita vi Prætorii fores effringunt, ac nemine resistere ausо, Consiliarii de sua vita sollicіti confessum solverunt. Mox vero Prætorio in spolium dato seditiosi plebem convocant, cunctos ferro perimere minitantur, nisi exacte, quæ ipsis proponerentur, effectui daturi essent, demum eos compellunt, ut abjecta omni, qua valerent, auctoritate Medicæis illam cederent, eosque non jam velut Concives suos, sed tanquam suos Principes venerarentur. Igitur pristina regiminis forma, quam Carolus VIII. Galliarum Rex immutaverat, denuo revocata est, & Florentini tanta alacritate sese huic jugo subjiciebant, ut secunda Septembris die ad vesperam tota urbs plena tranquilitatis aura frueretur. Nec pacem turbabat epistola, quam Soderinus Regi Catholico scripserat, supplicans, ne Florentinorum Rempublicam Medicæorum ambitioni exponeret; quamvis enim Cardonna a Rege mandatum accepisset, ne Medicæis faveret, nihilominus his juſſis nonnisi tertia Septembris die ad Cardonnam delatis, Medicæorum restitutioni jam ultima manus erat appositа, nilque amplius Prorex Neapolitanus reliquum habebat, quam ut copias suas quantocius Florentia in Neapolis regnum

Marian. l. 30 n. 71.

gnum educeret, Brixiam (*) obsessurus, quam urbem Albinius Cardonnæ reddidit, licet Veneti illam ex fœderis legibus repetere potuissent. Itidem Galli Piscariam Cæsari restituebant, spretis Venetorum pollicitationibus, qui, ut præsidiarii ipsis faverent, duorum annorum stipendium eisdem offerebant. Sæcul. XVI A. C. 1512

§. XXVII.

Julius Gallos Genuâ pellere conatur.

Ad votorum summam Julio nil ultrà deesse videbatur, quam ut Germani, atque Hispani ex Italia pellerentur; verum tantæ expeditionis executio haud exigui laboris res erat. Inopina quidem felicitas Pontificis animum crebra victoriarum imagine, nec non firma urbes avitis suis Principibus denuo uniendi spe, consiliisque replebat, unde non raro ex ore ejus hoc verbum excidit, brevi omnes infideles, qui in Italia sedem fixissent, pari cum Gallis fato expellendos fore: Prius tamen Gallos penitus inde deturbare peroptabat, cum vero adhuc-

Hist Fæd. Camer. t. 2. p. 201. l. 3. Marian. lib. 30. n. 60. Apud Victorel in addit. ad Ciacon. Guicc. l. 10. August. Justin. l. 6. Foliet. l. 12.

dum

(*) *Quanto itineris intervallo Brixia a Neapolis regno disjungatur, nemo est, qui ignorat, hinc vel calami, vel typi errorem irrepsisse constat.*

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

dum Genuam, patrium ipsius solum, tenuissent, nil ardentius in votis habebat, quam ut hanc quoque urbem libertati suæ restitueret. Valuit quoque successus; quippe Pontifex illos, quos Ludovicus XII. a veniæ gratia excluserat, ad suas partes trahebat, eis pecunias suppeditabat, atque, ut in Romandiola convenirent, concedebat, illisque Ducem constituebat Janum Fregosium, omni tempore capitalem Gallorum hostem. Hi Papæ jussu clam Genuensis status finibus accedunt, & per quasdam legiones, quas Cardinalis Sedunensis a suo exercitu sejunxerat, suas vires augent, & ope clandestini consilii, quod cum civibus fovebant, Genuam tam rapido armorum successu occupant, ut Galli ægre admodum in arcem, ac Lanternæ propugnaculum confugere possent: sed ne ipsa arcis firmitas fugitivis saluti fuit; exiguo enim post tempore in deditionem accepta est, classe, quæ ex Provinciæ ora accurrerat, laborantibus Gallis opem ferre nequicquam conata: Diutius vero hostium impetus sustinuit Lanternæ propugnaculum, cum illud commeatuum copia abundaret, necnon provide illius præsidium mutatum fuisset.

§. XXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. XXVIII.

Venetis Crema a Gallis reſtituta.

Igitur Gallis in toto continentis imperio unica parebat Crema, quam tamen urbem Veneti dura obſidione premebant, quibus etiam Cardinalis Sedunenſis ad Papæ preces ingentem Helvetiorum ſuorum numerum ſubmittebat, qui eo fortiore animi virtute dimicabant, quo importunius hanc urbem Mediolanenſi Ducatui denuo conjungi poſtularent; nihilominus Helvetiorum fortitudinem prævertit Venetorum dexteritas, qui ex civibus quemdam ſollicitabant, ut Duraſio civitatis Præfecto exponeret, tam propriæ ipſius, quam præſidii ſui ſaluti vel maxime conſultum iri, ſi nec Helvetiis, nec Maximiliani Sfortiæ Miniſtris fidem ſuam addiceret, ſed rem illi bene atque feliciter ceſſuram, ſi urbem Venetis reddendo, illorum arbitrio ſeſe committeret. Duraſius his rationibus devictus, cives rogat, ut nomine ſuo cum Venetis de pace agerent, nec abfuit ſecundus conſiliis eventus; quippe die nona Septembris Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo duodecimo Crema Venetis reddita eſt, ea duntaxat lege, ut Veneti urbem ingreſſi quindecim aureorum millium ſummam

Guicc. lib. 11. Marian. l. 30 n. 55.

Secul. XVI. A. C. 1512.

summam penderent, cujus ope Durasius, suique in Franciam redire possent. Itaque Gallis in tota, qua late pátet, Italia nil supererat, quam Lignanum, Novarriensis arx, Cremonense ac Mediolanense Castrum, cum unico Genuæ propugnaculo. Tam præclara obsequia Sedi Apostolicæ ab Helvetiis præstita summus Pontifex memori recolebat animo, atque in gratitudinis suæ testimonium illorum Pagis, quos *Cantones* vocant, ensem pileum, clypeum, atque vexillum donavit, eosque honorificentissimo titulo *Defensorum, & Propugnatorum Pontificiæ libertatis* decoravit.

§. XXIX.

Gurcensis Episcopus plena auctoritate a Cæsare instructus Romam venit.

Raphael hoc ann. n. 86. Michael Coccin. de bello Ital. rer. Germ. Basel in add. ad Naucl.

Cum in Mantuano congressu decretum esset, Gurcensem Episcopum Romam esse mittendum: hic itineri sese accinxit, in cunctis, quas transibat, status Ecclesiastici urbibus exceptus honoribus summo Principi debitis. Ipse Pontifex, haud contentus, quod Episcopo, trecentis licet viris stipato gratuitum decerneret hospitium, in pleno etiam Purpuratorum Senatu proposuit, ut simul omnes Cardinales obviam effusi, eundem in Romanæ

manæ urbis foribus exciperent. Morem gerere conſtanter renuebant Cardinales, rei novitatem cauſſati, Julius quoque eorum rationibus cedens, nonniſi duos Purpuratos præmiſit, qui usque ad Pontem-Molem procedebant, atque utrumque Epiſcopi latus ſtipantes eum ad Eccleſiam S. Mariæ de Populo adducebant. Adventantem Papa perbenigne in publico Conſiſtorio excipiebat; ejus enim opera ad conciliandum ſibi Cæſarem admodum utilem exiſtimabat. Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. XXX.

Papa de Hiſpanis apud Gurcenſem Epiſcopum conqueſtus.

Abſolutis hiſce ſolemnibus de negotii ſumma agi cæptum eſt, ac primo quidem Hiſpanorum res diſcutiebantur; quippe eisdem, donec Galli penitus ex Italia expulſi eſſent, ſingulis menſibus quadraginta aureorum millia eſſe numeranda decernebatur; hanc igitur ſummam deinceps etiam ipſis ſolvendam contendebant: aſt cum jamjam a Florentinis centum aureorum millia accepiſſent, nec minoris valoris æſtimaretur Florentini Prætorii ſpolium, hinc nullum ampliora exigendi jus Hiſpanis ſuffragari videbatur, præſertim cum Galli nonnullas adhucdum Italiæ urbes poſſi-

Sæcul. XVI A.C. 1512.

derent. His etiam acceſſit, quod Julius Pontifex Gallicæ ejectionis epocham a die, qua Palicius Alpes ſuperabat, ducendam eſſe affirmaret. Inſuper apud Gurcenſem querebatur Papa, quod Hiſpani in Neapolis Regno Columnenſibus refugii locum conceſſiſſent, quæ res non parum Pontificis animum afflixerat, eoquod, ut ſupra meminimus, Ferrariæ Dux Columnenſium ope Roma excedens, Julii vindictam evaſiſſet, cui tamen reſponſum: haud mirandum, quod Hiſpani Duci in Neapolis Regno aſylum indulſiſſent, cum Fabricius Columna hujus coronæ Conneſtabilis eſſet. Incuſabat etiam Hiſpanos Pontifex, quod Senenſis ac Luccenſis Reipublicæ patrocinium imploraſſent, unde is inferebat, quod in Etruria ſedem figere paraſſent, eo fine, ut Auſtriæ Archiduci Mediolanenſem Ducatum aſſererent. Hiſpani, quamvis cunctis hiſce Julii ſuſpicionibus immerito conceptis obviare haud tenerentur, nihilominus, quid reſponderent, ſatis promptum habebant.

§. XXXI.

Papæ rationes Mutinam, Reggium, Parmam ac Placentiam retinendi.

Petr. de Angler. epiſt. 512.

Poſt hæc agitabatur quæſtio, utrum Pontifex Mutinam, Regium, Parmam, &

& Placentiam jure retinere posset : Ille enim, ut has urbes Sedi Apostolicæ asse- Sæcul. XVI. A.C.1512.
reret, atque tueretur, satis superque esse censebat, si illas Ravennatis Exarchatus partem fuisse contenderet, cum enim hunc Pipinus, & Carolus Magnus Ecclesiæ donassent, inde inferebat Pontifex, eundem totum Sedi Apostolicæ esse obnoxium, quamvis ceteroquin sat manifestum sit, quod ejus limites sese ultra Mutinam nunquam extenderint, imo dubium sit, utrum eo usque vel unquam illius fines excurrerint : Cuncta tamen, quæ ipsi commoda videbantur, in hac donatione comprehendi voluit Pontifex, cui quidem Gurcensis Episcopus aliquamdiu obstitit, ast cum Julius nil de postulatis remitteret, sancitum est, quod controversæ hæ urbes Pontifici cederentur, usque dum fœderis articuli plene executioni dati fuissent, nimirum, donec Ferrariæ Dux ditione sua exueretur, & Galli intra Alpes nullam omnino urbem possiderent ; interea vero Cæsaris jura in hasce civitates penitus asserta permanere, Episcopus instrumento fide dignissimo profiteretur. Id etiam effectui datum, urbesque Sacræ Sedi tradebantur, adjecta duntaxat hac clausula : *Sine præjudicio jurium Imperii.* His annuit Julius Pontifex, qui salva tamen rei sub-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

stantia de externis verborum solemnitatibus parum sollicitus erat.

§. XXXII.

De concordia Cæsarem inter & Venetos actum.

Persæpe pacis Conciliatores concordiam Imperatorem inter & Venetos revocare incassum conabantur, litigantibus nunquam cedere cogitantibus: Nunc vero inter ceteros postremus, ac præcipuus de reddenda hac pace articulus agitabatur, Gurcensi Episcopo proponente, quod Venetis relinquantur Patavium, Tarvisium, Brixia, Bergamum, & Crema adjectis tamen duabus his legibus, quibus Veneti harum urbium nomine unacum annuo triginta aureorum millium censu etiam Cæsari clientelarem fidem profiteri, necnon ducenta aureorum millia numeratæ pecuniæ pro feudorum diplomate pendere tenerentur, Cæsari vero Vicentina, & Veronensis ditio, cunctaque in Reipublicæ imperio ab eodem parta relinquerentur, nullumque Venetis in illa jus ultra suffragaretur. Ast Respublica imperium in populos suos tenere assueta, has conditiones nimium duras reputans, eas acceptare recusabat, significans, quod, haud amplius Veneti si Vicentiam cederent, Brescìam ac Bergamum tueri

tueri possent, & cum aliunde perpetuum Vicentinis præsidium polliciti essent, se salvo Reipublicæ honore, & sine datæ fidei læsione ejusmodi conditionibus acquiescere non posse asserebant. Hæc a Venetis non immerito proponi, agnoscebat Julius, verum singulorum vires in Gallos uniendi desiderio abreptus, has propositiones quantumcunque duras a Venetis ratas haberi peroptabat, nihilominus Gurcensem Episcopum precabatur, ut eas justo moderamine temperaret; idem quoque rogabat Helvetiorum Orator Romæ legatione functus, qui promisso viginti quinque aureorum millium annuo censu cum Republica inducias nuperrime sanxerunt; ast cuncti surdas pulsabant aures, Germanis de jure suo nihil remittentibus, Venetisque cunctas conditiones rejicientibus. Sæcul. XVI A.C. 1512.

§. XXXIII.

Julius Papa, relictis Venetis, cum Cæsare fœdus paciscitur.

Julius pacem maturare desperans, cui parti accedere magis expediret, sedulo considerabat, ac Germanorum societatem Sedis Apostolicæ commodis magis proficuam ratus, relictis Venetis, cum Cæsare adversus eos fœdus pepegit, non modo ut illius amicitiam sibi promereretur, *Guicc. lib. XI*

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

reretur, sed etiam, ut eundem ad amplectendam Lateranensem Synodum, necnon ad apertum bellum Gallis inferendum inclinaret. Eadem quoque consilia Pontifex Hispaniæ Legato suggerere conabatur, ille vero respondit, quod res maximi esset momenti, nec præceps in ea consilium Regiæ Domini sui Majestati congrueret, cum Galli necdum adeo longe ex Italia pulsi essent, quin revocati reverti possent, eos vero, si Veneti a fœdere segregarentur, eo certius ad reditum provocari ajebat.

§. XXXIV.

Fœdus Papæ ac Cæsaris contra Venetos.

Hæc rationum momenta jamjam Papæ animum permovere videbantur, cum inopinanter Gurcensis Episcopus illi nunciat, ægre Cæsarem unquam in Papæ gratiam rediturum, si præsentem sibi eum devincendi opportunitatem negligeret; certum ex adverso esse, Venetos serius, aut citius eo compulsum iri, ut in pristinam cum Sede Apostolica concordiam reverterentur. Hac tandem ratione expugnatus Pontifex, Gurcensi acquievit: Igitur Papam inter & Cæsarem fœdus pacis sancitur, in Ecclesia S. Mariæ de populo utrinque firmatum, cujus præcipuæ erant

Petr. Just. l. 11. Raynald. hoc ann. n. 91.

erant conditiones, vi quarum Julius Papa a Venetorum ſocietate, cum pacem inire renuiſſent, penitus diſcederet, eos tanquam Sedis Apoſtolicæ hoſtes haberet, illosque ſacris atque profanis armis inſequeretur, inducias cum illis pactas diſſolveret, nec cum illis novas contraheret, niſi prius Cæſari plena, ac integra fide ſatisfeciſſent. Maximilianus quoque pro parte ſua fœderi Anno Domini quingenteſimo undecimo ſupra milleſimum erecto acceſſit, locumque ſibi tum reſervatum occupavit, demum Piſanum Concilium deteſtatus cunctaque ejus nomine ibidem agitata, irrita declaravit, Lateranenſem vero Synodum comprobans pollicitus eſt, ſe Sedis Apoſtolicæ hoſtibus nominatim Ferrariæ Duci, ac Bentivoliis nullo pacto opem laturum, redditurum vero ſummo Pontifici Parmam, Placentiam & Regium urbes, quin inde S. R. Imperio præjudicium accedat; addidit etiam, Hiſpaniæ atque Angliæ Reges ſollicitandos eſſe, ut & ipſi novis hujus pacti articulis, qui in fœderis legibus Anno milleſimo quingenteſimo undecimo ſancitis deſiderabantur, accederent, Hiſpanis quatuor menſium ſpatio ad fœdus firmandum conceſſo, qui tamen evoluto hoc termino ſibi oblata nondum acceptabant. Promulgatum

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

Sæcul. XV. A.C. 1512. est hoc fœdus solemni ritu feria quinta die secunda Decembris.

§. XXXV.

Sessio III. Concilii Lateranensis.

Cum hoc anno funesta lues Romam multiplici clade funestaret, hinc usque ad præsens tempus Lateranensis Synodi celebratio interrumpebatur: Patrum enim potissimi hoc malo territi, absoluta Sessione secunda urbe excesserant, Concilium ad Mensem Decembrem prorogantes. Absumpserat pestilentiæ vis Illustrium Virorum quam plurimos, hac tamen ipsa calamitate Divinum Numen utebatur ad perficiendam cujusdam pii Religiosi Sanctitatem. Is erat P. Pascalis ex Ordine S. Dominici, qui meritorum suorum suffragio ad Episcopalem Burgi Sedem evectus, crebris ante & post mortem miraculis inclaruisse dicebatur. Nec minus eo tempore celebris erat Sanctitas Avenionensis Archiepiscopi, ac Regiensis Antistitis, qui ambo virtute eminentes, pari pietatis atque eruditionis laude illustres celebrabantur. Interim cum Hyemis rigor pestilentiæ vim reprimeret, Patres ad pristinas Synodi curas redibant, ac tertiam Sessionem celebrabant, cui præsens erat summus Pontifex, comitantibus eum Cardinalibus, Patriarchis, Archi-

Labbe Conc. coll. tom. 14. p. 79. Mariana l. 30. n. 57.

chiepiſcopis, Epiſcopis, aliisque Prælatis. Peracta re divina per Marcum Vigerium Cardinalem Prænestinum, Alexius Melfitenſis Epiſcopus ſermonem habuit, abſolutisque de more ſolemniis Thomas Phædra, qui Concilio a Secretis, conſcenſo ſuggeſtu mandatum prælegit, quo Imperator die prima Septembris Gurcenſi Epiſcopo tum præſenti plenam facultatem dederat, ut ejus nomine Procuratorem in Synodo ageret, *necnon irritaret, ac penitus deleret omnia & ſingula, quæ per eccleſiam Gallicanam in civitate Turonis ac in Piſano conventu acta fuerunt*, Synodum vero Lateranenſem velut legitimam approbaret, atque veneraretur. Perlecto hoc mandato Gurcenſis Epiſcopus *omnia acta & agenda per Piſanum conciliabulum irrita & nulla*, adhibitis omnibus ſolemnitatibus, declaravit. Sæcul. XVI. A.C. 1512. *Conc. gen. p. 80. Rayn. l. c. n. 92. & 93.*

His peractis Petrus Mengivar Curſor Apoſtolicus retulit, ſe urgente Mariano de Cuccinis Procuratore, ad portas ipſius Concilii citaſſe, ac monuiſſe omnes & ſingulos Prælatos, aliosque tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, ut cuncti, qui Concilio intereſſe conſueverunt, ibidem comparerent, atque Sacroſancto Concilio intereſſent. His non accedentibus idem eos contumaciæ poſtulari petiit, moxque Forolivienſis Epiſcopus ambonem conſcendit, legitque Bullam, cujus

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

supra meminimus, qua Pontifex cuncta Pisis, Mediolani, vel Lugduni, ad quam urbem Pisana Synodus translata fuit, acta vel publicata damnat, & detestatur, ac Regnum Franciæ interdicto subjicit, (*) demum cetera recitavit Episcopus, quæ in præfata Bulla contineri retulimus, & ipse Pontifex quantum ad totam vim suam inpræsentiarum innovare voluit.

§. XXXVI.

Gurcensis Episcopus Roma Mediolanum profectus.

Tertia Synodi Sessione absoluta, Gurcensis Episcopus nonnisi grandia facere assuetus, mense Decembri ad medium inclinante Roma proficiscitur, solemnibus interfuturus, quibus Maximilianus Sfortia in jure Mediolanensis Ducatus confirmandus, ac in ejus possessionem admittendus esset. Episcopum præstolabantur Sedunensis Cardinalis, atque Helvetii, solemnem huncce ritum peracturi, qui quamvis id obsequii genus ipsis præ ceteris maxime deferri desiderassent, iteratis

(*) *Observes velim benevole Lector, hoc interdictum* sacro Concilio plenariam notitiam habente, & approbante *a Papa latum fuisse. Consule tom. XX. Historiæ Fleurianæ lib. 72. §. 29. versionis fol. 497.*

ratis tamen Papæ precibus devicti cede- Sæcul. XVI.
bant; igitur Episcopus in publico confes- A.C. 1512.
su Præsidis vices agebat, non sine gravi aliorum contentione. Mediolanenses cum proprius ipsis Dux redderetur, tanta perfundebantur lætitia, ut gaudii sui immensitatem testificaturi, profusis extra modum sumptibus festivos dies agerent. Summa cernebatur magnificentia, qua Dux novus urbem ingressus, die vigesima nona Decembris ab Episcopo Gurcensi Mediolanensis Ducatus possessioni immittebatur. Ejus investituræ legibus insertum erat, quod Bergamum quoque ac Brixia Ducatus sui limitibus comprehenderentur, nec id sine gravi Venetorum indignatione, ipse quoque Cardonna Neapolitani Regni Prorex sibi Cardinalem Sedunensem præponi, & Mediolani claves ac dignitatis Ducalis insignia novo Principi deferendi honorem præripi, ægerrime tulit, hinc ne hisce solemniis præsens adesse cogeretur, indignabundus urbe excessit.

§. XXXVII.

Sessio IV. Concilii Lateranensis.

Habita est die decima quarta ejusdem mensis Decembris quarta Lateranensis Concilii Sessio, cui præsidebat ipse summus Pontifex, & sacris operabatur *Labb. Conc. coll. tom. 14. p. 91.*

Sæcul. XVI A.C.1512.

tur Cardinalis de Fliſco: Chriſtophorus vero Marcellus Nobilis Venetus, & Sedis Apoſtolicæ Notarius ad Patres ſermonem habuit. Poſt hæc precibus de more perſolutis Cardinalis quidam Evangelium prælegit ex capite decimo tertio S. Matthæi deſumptum, quod ab hisce verbis incipit: *Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Poſt hæc Franciſci Foſcari Venetorum Oratoris Secretarius nomine Reipublicæ quoddam mandatum Synodo obtulit, quo idem Foſcarus ab eadem Republica Procurator conſtituebatur, conceſſa ejus nomine in Concilio agendi facultate, idemque Secretarius Foſcari abſentiam ab hac Seſſione excuſabat, adverſam illius valetudinem cauſſatus. Hoc mandatum die decima Aprilis ſignatum a Thoma Phædra Concilii Secretario publice recitatum eſt, quo finito Papa Regias Ludovici XI. Galliarum Regis literas de abrogata Sanctione Pragmatica ad Pium II. Papam die vigeſima ſeptima Novembris anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo datas prælegi juſſit. His perlectis mox Concilii Advocatus oratione adverſus hanc Pragmaticam habita illam penitus revocari, ac monitorium, ut vocant, contra Prælatos, Capitula, Principes, Parlamenta, aliosque Francici Regni Viros dercerni petiit, quo Synodum accedere, ac rationes, ſiquas haberent,

berent, ob quas dictam Sanctionem non abrogarent, allegare juberentur. Posthæc Pontificis jussu perlecto hoc monitorio, omnes, qui Synodo assistendi jure destituti erant, a loco Concilii excludebantur; demum vero sancitum, ut omnes cujuscunque conditionis essent, qui Pragmaticæ faverent, infra sexaginta dies citati comparerent, atque ad calcem hujus Constitutionis Papa Sessionem quintam ad decimam sextam Februarii indixit. Sæcul. XVI. A C. 1512. *Labb. Collec. Conc. p* 98. *&* 100.

§. XXXVIII.

Ferdinandi Hispaniæ Regis molimina adversus Navarræ Regnum.

Hoc anno in Hispania Arragonum Rex Navarræ Regnum suo subjecit Imperio: Jam enim quadringenti effluxerant anni, in quibus Castellæ, & Arragoniæ Reges suæ Monarchiæ limites ad hoc quoque Regnum protendere conabantur: Illud ergo Ferdinandus Rex Catholicus Prædecessoribus suis cupiditate haud inferior, Germanæ Reginæ conjugis suæ nomine armis subigere aggreditur; hæc enim Gastonis de Fuxo Nemorsii Ducis Fratris sui nuper defuncti hæres erat, in jurium ejus Successionem vocata. Præprimis Ferdinandus Henricum VIII. Angliæ Regem, ut Gallis bellum nunciaret, mira dexteritate inducit, exponens, ad recu- *Marian. lib.* 30. *n.* 48. 49.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

recuperandam Aquitanniam suo Prædecessori a Gallis ereptam jam nunc opportunam offerri occasionem; ne vero Henricum expeditionis hujus difficultas ob remotiorem Aquitanniæ situm ab hoc consilio deterreret, Ferdinandus pro affectu, quo in eum ferebatur, pollicitus est, se copias, naves onerarias, tormenta, commeatum, armorumque apparatum eidem suppeditaturum, nullo alio tot impensarum fœnore sibi reservato præter unicum Genero suo gratificandi desiderium. Henricus laqueis hisce captus, pro recuperanda Aquitannia fœdus cum Ferdinando pepigit, inducias nuper cum Francia innovatas dissolvit, & a suo supremo Senatu, eoquod de bello in Ludovicum XII. movendo ageretur, subsidium satis amplum obtinuit.

§. XXXIX.

Exercitus ab Angliæ Rege in Hispaniam missus.

Guicc. l. 11. *Maria. l.* 30. *Polyd. Virg. l.* 27.

Hisce consiliis, quæ ambo Reges agitabant, sine temporis mora maturatis, Henricus classis suæ imperium Eduardo Howart Surregiæ Comitis Filio natu majori contulit, terrestribus vero copiis Thomam Grayum Dorcestriæ Marchionem præfecit. Exeunte ergo mense Majo omnes hæ copiæ ad invadendam Aquitanniam

niam selectæ, conscensis duabus Hispa- Sæcul. XVI.
norum navibus octava Junii ad Jupuscoæ A. C. 1512.
Provinciam appulere, ubi Dorcestriæ Marchio milites suos, quibus præerat, in terram exposuit, classis vero Præfectus, qui eum comitabatur, factis velis ad Britanniæ oram procurrit, ubi Gallorum classem offendit, quacum die decima mensis Augusti navale prælium iniit. Finita pugna obliquatis velis Aquitanniæ oram legere cupiebat, ast non idem erat Ferdinando consilium, qui Navarram sibi soli vendicare meditabatur, atque ad hujus expeditionis successum Anglorum copiis, quas in Hispaniam accersivit, uti decreverat: cum vero Henricum hujus propositi certiorem reddere, nullatenus e re fuisset, illum vana recuperandæ Aquitanniæ spe lactare oportebat, ut eo promptius copiarum suppetias submitteret. Hæc genuina erat ratio, qua permotus Rex Catholicus sese ab omni proprii quæstus studio adeo alienum exhibebat, ut tota futuræ felicitatis summa penes Angliæ Regem stare videretur. Verum promissi facilitatem operis constantia minime æquabat.

§. XL.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. XL.

Ferdinandi artes ad occupandum Navarræ Regnum.

Nihilominus milites ſummo ſtudio in Caſtella conſcribuntur, atque Albæ Dux ſupremum in illos imperium gerere, junctisque viribus cum Anglorum exercitu præconceptam in Aquitannos expeditionem aggredi jubetur. Jam Dux eo advenerat, atque Angli prope Fonterabiam caſtra metabantur, Bajonam, ut inter eos conventum erat obſeſſuri; verum Albenſis adeo non Anglorum copiis ibidem ſeſe conjungere feſtinabat, ut etiam Lugrunii in Navarræ finibus otioſus ſubſiſteret, ubi Anglici exercitus Duci hæc ſignificabat: Bajonam aggredi, cum Navarra a tergo relinqueretur, res eſt periculis plena; eoquod hic Rex Gallis fœdere junctus eſſet, ut proin facile Hiſpanis interea Bajonæ obſidioni intentis, Gallos in Regnum ſuum evocare, ſuasque illis vires jungere poſſet, quo facto, ſi ambo exercitus, inter montium juga, & maris oram ſua caſtra locaturi forent, illis, qui Bajonam obſident, abs dubio commeatum intercipient, nullo etiam, niſi id Gallis expedire videretur, tentato prælii diſcrimine; tanta hæc ſunt rationum momenta, ut, priusquam obſidioni

dioni initium daretur, Navarræ Regem, ut ad Hiſpanorum atque Anglorum partes accederet, ſollicitare oporteret. Saecul. XVI. A.C. 1512.

§. XLI.

Duo Conſiliarii a Ferdinando ad Navarræ Regem deputati.

His rationibus ab Anglo comprobatis, Rex Catholicus duos Regni ſui Conſiliarios ad Navarræ Regem tum in Galliis agentem ablegabat, qui Regis ſui nomine exponerent, quod Hiſpani atque Angli decreviſſent, junctis viribus, totoque armorum apparatu Aquitanniam invadere, eo duntaxat conſilio, ut Galliarum Regem, ne diutius Eccleſiam ſchismate ſcinderet, præpedirent; hinc ſe ſperare dicebant, quod Navarræ Rex ſalvo honore ſuo tranſitum negare haud poſſet, eoquod hujus cœli temperies exteris minus propitia eſſet, proin Regem Catholicum tres, quatuorve urbes a Navarro petere ajebant, ne forte hoſtes earum opportunitatem in Hiſpanorum damnum verterent, eas tamen nonniſi quinque aut ſex menſibus retinendas promittebant, cum illud temporis ſpacium ad Aquitanniæ expeditionem ſufficere crederent, qua parta urbes non minori, quam traditæ fuiſſent, fide mox reſtituendas pollicebantur. Tantam poſtulati liberta- *Surita l. 10. c. 7. & 8.*

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

tem Navarræ Rex vehementer admiratus, ambos Hiſpaniæ Conſiliarios vana ſpe lactandos duxit, donec de periculo ſibi imminente Ludovicum certiorem reddidiſſet, ab eoque ſuppetias impetraſſet. Interea Galliarum Rex totum ferme exercitus ſui robur ad Aquitanniæ Provinciam admovebat, ductore Franciſco Aurelianenſi Longevillano Duce: accepto autem Navarræ Regis nuncio, Belliduci ſuo negotium dedit, ut exercitum in duo agmina partiretur, alterumque Palicio mitteret, Navarram verſus ducendum; aſt Longevillanus juſſa Regis exequi neglexit, perſuaſus, Anglis reſiſtendo ſe imparem fore, ſi ex Regis ſententia exercitus ſui numerum media omnino parte imminueret, cum tamen Angli ad ſolam exſcenſionem totidem ad minus milites paratos haberent, quot ipſe in ſuis caſtris recenſere poſſet.

§. XLII.

Hiſpanorum exercitus Navarræ.

Ceterum Rex Catholicus Navarram occupare unice intentus erat, atque ad auſpicandam expeditionem Albæ Dux Victoriæ agens, ultima Regis Domini ſui mandata præſtolabatur. Hic in exercitu ſuo recenſebat mille cataphractos, mille quingentos levioris armaturæ equites

Marian. lib. 30. n. 50.

tes, peditumque sex millia; belli autem tormenta numerabat viginti octo, has copias in minoribus Provinciis, Alaba, Ruconia, & Jupuscoa divisas habebat. Rebus ita dispositis Ferdinandus Dorcestrensem vehementer urgebat, ut suas quoque copias Albensi conjungeret; ast Anglorum Bellidux consilli, quod Rex Catholicus agitaret, adhucdum ignarus, convocato hac super re Senatu, respondit, quod Regis sui mandata obstarent, quominus quicquam adversus Navarræ Regem moliretur, Albensi vero, si omnino per hoc Regnum transire cuperet, id integrum esset, interim sibi, cum Bajonæ proximus foret, haud animum esse ajebat, per tam amplos viarum circuitus ad eum accedere. Displicuit Ferdinando responsum: nihilominus rursum, ac impensius sollicitabat Dorcestriæ Marchionem, ut Anglorum copiis suas jungeret; hic vero Ferdinandi jussis morem gerere renuit.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Massolier. hist. Card. Ximen. t. 2. l. 5. p. 230. & seq.

§. XLIII.

Pampelona ab Albensi obsessa, & capta.

Ergo Ferdinandus datis literis Albensem jubet, ut recta Pompeiopolim, seu Pampelonam Navarræ Metropolim cum toto exercitus sui robore contende-

Sæcul. XVI. A. C. 1512.

ret. Paruit Dux, Rex tamen Navarræ resistendo impar, Albensis adventum haud sustinuit, sed Illumberim secedere statuit, urbem non modo suæ securitati, sed etiam transvehendis, quas ex Galliis sperabat, copiis opportunissimam. Rege vix urbe egresso, Albæ Dux inter suos primus exercitum suum continuo admovit, quo adventante cives abjecta omnis auxilii spe urbis suæ Præcipuos ad Ducem ablegarunt, qui ejus clementiam, præsidiumque implorarent, traditisque clavibus, Hispanorum copiis liberum in urbem aditum offerrent. Ergo Dux, deditionis legibus a semetipso antea pactis, die vigesima quinta Julii victor urbem ingreditur: Ferdinandus vero durante obsidione Dorcestriæ Marchioni illusit, dissertis verbis pollicitus, capta mox Pampelona, Albæ Ducem ad Bajonæ obsidionem copias suas admoturum. Equidem Ferdinandus hujus promissi legibus ligatus, jubere debuisset, ut Dux quantocius Anglis sese jungeret; verum Rex obtendebat, quod ob aliarum, quæ Navarrensi parebant, urbium, earumque munitissimarum expugnationem copias suas submittere præpeditus fuisset. Acceptato hoc prætextu Albæ Dux continuato victoriarum cursu Navarram emensus est; cum interea Anglorum copiæ ejus consiliis ancillantes, motis nequidem unquam castris

Raynald. hoc an. n. 79.

castris suis, non nisi ad intuendam expe- Sæcul. XVI.
ditionem selectæ viderentur. A C. 1512.

§. XLIV.

Navarræ Rex in Franciam profugus.

Interim Navarræ Rex a Ferdinando lacessitus, in Gallias sese recipere statuit, Regnum suum repetendi magis propitiam præstolaturus occasionem. Eo vix Navarram egresso, omnes ferme urbes, nequidem ad deditionem sollicitatæ, ultra Deputatos suos ad Albæ Ducem ablegarunt, supplices, ut eos in fidem suam reciperet, ea tamen Lege, ut illis paria cum Arragonensibus jura ac privilegia indulgeret.

§. XLV.

Tota ferme Navarra a Ferdinando expugnata.

Ceterum sola Victori Ferdinando obstitit Estallensis arx, quæ aggerum suorum longe munitissimorum fiducia elatior deditionis leges aspernabatur, cives quoque in Escuana valle habitantes, cum circum circa rupibus accessu difficillimis cincti essent, sese subjicere renuebant. Spreta horum pertinacia, Rex Catholicus tanta vincendi rapiditate fretus, unice eo curas intendit, ut coronam recens partam tueretur; unde Lugrunium usque pro-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

greſſus, cuncta Navarrenſium privilegia confirmavit, ac non ſine Gramontenſium, qui Navarræ Regi ſe addixerant, diſpendio Beamontiorum factionem reſtauravit. Tanta vero moderatione ac regiminis lenitate erga populos nuper armis ſubactos utebatur, ut illi ſe exteri Principis imperium ſubjiſſe, vix animadverterent, & quoniam Arragonenſibus minus propenſi eſſent, Ferdinandus illos Caſtellanis adjunxit.

Tunc primum Dorceſtriæ Marchio ſe a Ferdinando deluſum agnovit, hinc querebatur, quod Rex haud integra fide bellum fuiſſet auſpicatus, eoquod nil minus quam Aquitanniam, ſed potius Navarræ Regnum occupare in mente habuiſſet. Nihilominus Rex Catholicus Marchionis querelas flocci pendens, alieno Regno inhiabat, eoque quiete fruebatur.

§. XLVI.

Utrum Julius II. Papa Navarræ Regem anathemate perculerit.

Mezer. abreg. chron. tom. 4. p. 189. Vie de Louis XII. Spond. ad an. 1512. n. 23. & 24.

Referunt Scriptorum nonnulli, quod Ferdinandus ad invadendum Navarræ Regnum, illudque deinceps detinendum edicti a Julio II. promulgati obtentu uſus fuerit; a nonnullis enim memoriæ proditum legimus, quod idem Pontifex in Joannem Albretum anathe-

ma

ma vibraverit, quin imo non desunt, qui hanc Bullam mense Februario vel ut alii volunt prima Martii die datam, eaque Navarrensis Regni possessionem primo occupanti assertam fuisse tradant. Cum autem nullus omnino ex hisce Scriptoribus hanc Bullam alleget, nec eorum, quæ in illo continentur, summam recenseat, potius confictam censemus. *Fac tamen verum esse*, inquit Mezeraius, *ejusmodi edictum fuisse promulgatum*, nequaquam tamen ejus obtentu Regnum, quod a solo Deo concessum fuit, occupari potuisset; Præterea etiamsi ejusmodi Constitutio jus in Regnum tribuere valeret, nihilominus hæc Bulla primum mense Julio fuit promulgata, cum tamen Hispani Scriptores testentur, quod Ferdinandus hoc Regnum jamjam mense Junio invaserit. Hanc in rem Mariana id solum testatum reliquit: quod *Antonius Acunias Zamoræ Episcopus superioribus diebus Pampelonem adierit, ac Pontificis verbis obtestatus fuerit, ne Vasco cum factiosis, ac pacem Ecclesiæ turbantibus res suas misceret, ac si secus esset factum, diras in caput ejus minas & extrema exempla detestari jussus fuisset* (*). Idem vero Scriptor: *Parum*

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Sandoval. in vita Carol. V. Imp. l. 1. §. 45.

Marian. lib. 30. n. 51.

(*) *Forte Continuator oblitus est, quod Mariana lib. 30. paulo ante hunc titulum capitulo 38.*

Sæcul. XVI A.C.1512.

ea tunc diligentia profectum fuisse, mox subjungit. His igitur satis superque confutatum videtur, quod nunquam a summo Pontifice ejusmodi Bulla fuerit edita. Ceterum ferme omnes Hispani Scriptores nil intentatum relinquunt, ut hujus usurpationis iniquitatem honesto obtentu purgare valeant, solus tamen Mariana excipi meretur, in cujus integritatis testimonium fateri cogimur, quod nec patriæ suæ affectu, nec exilii timore, quo postea mulctabatur, sese abripi passus sit, quo minus Navarræ invasionem velut manifestam usurpationem, atque atrociſſimam injustitiam describeret.

Nebriss. de bello Navar. lib. 1.

XLVII.

---

38. *præfigat:* Vasconum Rex a Pontifice anathemate devinctus; *in ipso autem capituli corpore hæc referat* Cognito Pontifex eum Regem Ecclesiæ hostibus favere, ac Pisani conventus Patres complecti ex animo, re cum Cardinalium Senatu communicata, Regem, & Reginam execratione ritu Christiano devinctos ditione omni spoliavit. Hæc sententia ad duodecimum Kalendas Martii est Romæ pronunciata. *Hanc tamen Bullam a Papa fuisse editam, egregie confutat Spondanus loco supra citato.*

§. XLVII.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Dorceſtriæ Marchio in Ferdinandum commotus, ac in Angliam redux.

Occupato hoc Regno Rex Catholicus Dorceſtriæ Marchioni Anglorum Belliduci ſignificabat, copias ſuas in Aquitaniam movere paratas eſſe, proin rogare ſe, ut nulla mora Albæ Ducem cum exercitu ſuo accederet; inſuper ſpeciatim hanc in rem Rex Legatum in Angliam miſit, qui Henricum de toto rerum ſtatu edoceret, ac cuncta in Anglorum commodum agi nuntiaret, eo fine, ut Marchionis querelas, quas forte apud Regem ſuum delaturus eſſet, mature præveniret. Verum hic Bellidux fracta demum patientia, ultra ambitioſis Ferdinandi conſiliis inſervire renuebat; cum enim aliunde tam annonæ penuria, quam morborum vis magnam exercitus ſui partem depaſceret, a Rege Catholico poſtulavit, ut ipſi neceſſarias pro reditu naves ſuppeditaret. Jamjam Anglorum copiæ navem conſcendere parabant, cum Ferdinandi Legatus ex Anglia redux Dorceſtriæ Marchioni ſpeciale Henrici mandatum tradit, vi cujus ad amuſim Regis Catholici juſſa exequi præcipiebatur. Verum Anglorum copiæ accepto hoc nuncio, ſeditionem concitabant; unde ul-

Raynald. l. c. n. 80.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

terioris moræ, imperiique impatientes, conscensis navibus mense Novembri in Angliam revertebantur. Hanc ob rem Henricus primo quidem vehementer Belliduci indignabatur, verum totam rei seriem, ac expeditionis successum edoctus, se a Ferdinando delusum fuisse, haud obscure intelligebat, tandem persuasus, quod Rex Catholicus in fœderis pacto animum a proprio quæstu tantopere alienum haud alio ex consilio monstrasset, quam ut eo securius Anglos laqueis suis irretiret; indignationem tamen suam premere opportunum judicabat Henricus, ne Ferdinando pacem cum Gallis ineundi obtentum subministraret, atque exinde totam belli molem in se solum converteret.

§. XLVIII.

Exercitus a Ludovico XII. Navarram missus.

Marian. lib. 30. n. 52. & 67.

Petr. de Angleria epist. 496. & 499.

Comperta Joannis Albretensis infortunio mox Ludovicus Galliarum Rex eundem in Navarræ Regnum restituere, animo constituit. Nec Consilio vires deerant; quippe eo tempore ingentem peditum numerum, atque inter Equites suos numerabat octingentos Lancearios, præter illos, quos ad tuendam regionem trans Ligerim relinquebat: accesserant etiam aliæ copiæ, quæ superatis Alpibus

bus reversæ erant. Grammontensis quo- Sæcul. XVI.
que factionis Fautores septem armatorum A.C. 1512.
millia adducebant. Igitur has copias in duo divisit agmina, atque uni præsecit Franciscum Valesium Engolismensem Comitem, qui proximus Gallicæ coronæ hæres, nonnisi duodeviginti circiter annorum juvenis erat, alterum agmen ducebat Carolus Borbonius Mompensierii Comes. Horum Imperio subdebantur Lautrecus Vice-Comes, Palicius, Bayardus Eques, pluresque alii Viri Nobiles. Tandem fuit decretum, quod Navarræ Rex in aciem educeret bis mille Germanos, quatuor millia Vasconum, ac mille cataphractos, hocque agmine in regnum suum irrumperet; cum interea Carolus Borbonius cum suis in Jupuscoæ ditionem populabundus excurreret, & Engolismensis Comes oppidum S. Joannis Pedeportuensis ejusque confinia tueretur. Equidem copiæ adeo numerosæ pro Joanne Albretensi in Navarræ regnum restituendo sat validæ credebantur; ut tamen adhuc certior esset victoriæ spes, sancitum est, hostium vires nova in Neapolis Regnum expeditione distrahendas esse, proin Ferdinandum Arragonium Friderici, postremi hujus coronæ Regis filium ad id inducendum, ut ex Hispaniæ aula, ubi undecimum jam annum captivus hærebat, fuga elaberetur, facta insuper

eidem

Sæcul. XVI A. C. 1512

eidem fide, se valido præsidio munitum a Gallorum classe ad Neapolis oram esse deferendum, eidemque promissum, quod simul ac Neapolis fines salutasset, protinus a Regni Nobilibus in Regem proclamandus foret. Princeps ille harum pollicitationum amplitudine captus iter aggreditur, comitante eum Philippo Capolo, totius hujus fabulæ architecto. Verum ambo, equis vix conscensis, capti abstrahuntur, ac paulo post Ferdinandus Princeps perpetui carceris; cœna mulctatus, ad Setabiense castrum abstrahitur: Capolus autem in quatuor partes discerptus, hoc supplicii genus mira animi constantia subiit.

§. XLIX.

Navarræ Rex in suo Regno victor.

Nihilominus Joannes Albretus, cum Albæ Dux jamjam usque ad S. Joannis Pedeportuensis oppidum processisset, in expugnandis præfati Ducis propugnaculis, haud diuturniorem moram trahere constituit, unde recta copias suas per montes Pyrenæos, qui minus accessu difficiles videbantur, copias suas eduxit, ac Burgium descendit, illudque oppidum tentato octo horarum assultu tandem vi cepit, desideratis mille suorum & amplius. Expugnata hac civitate

vitate victoriæ cursum Milanum, Tassa- Sæcul. XVI. A.C. 1512.
lam, Aurillum, Stellam, ac San-Ca-
ram usque extendit; quippe omnes hæ urbes, ubi Regem suum tam valido auxilio munitum cernebant, protinus Navarrense vexillum erigebant.

§. L.

Pampelona a Navarro cincta, obsidio soluta.

Interea Albæ Dux Navarrensium armorum successum edoctus, summa celeritate camporum patentium æquora occupavit, atque Pampelonam ingressus validum urbi præsidium imposuit, cunctosque, qui cum pristino Rege suo conspirare timebantur, urbe expullit, demum vero omnes suas copias urbis mœnibus admovit, ita tamen, ut extra tormentorum jactum collocatæ essent. Verum Navarræ Rex hac Ducis solertia nil territus, Pampelonam obsidere aggreditur, infausto licet successu; quippe Decembri prope exacto, cum annona, quam non modo ipse advexerat, sed & Navarrenses clam suppeditabant, deficeret, exercitus jam tertia obsidionis die gravibus vexabatur molestiis: Equidem Rex tota virium contentione obsidionis labores urgebat, jamque mœnia tormentis quassata amplo hiatu patebant, & Galli unacum Navar-

Pet de Angl. ep. 509. Marian. lib. 30. n. 64.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Navarrenſibus irruptionem tentare juſſi ſtrenue accurrebant, raraque fortitudinis ſpecimina utriusque Nationis milites edebant; non tamen ſine gravi ſuorum diſpendio identidem repulſi, accedente, qua premebantur, famis ſævitia, obſidionem ſolvere compulſi fuere. Ergo Hiſpani partum Navarræ regnum rurſus feliciter tuentur, non parum ad id conferente Epiſcopo Cæſar-Auguſtano, qui ad Albæ Ducis caſtra qua equitum, qua peditum ſex millia ab Excea regione adducebat, quo auxilio, ſi Albenſis fuiſſet deſtitutus, fors ægre obſidentium impetus ſuſtinuiſſet, præcipue ſi Joannes Albretus belli peritia clarior fuiſſet.

§. LI.

Inglorius Gallorum reditus in Franciam.

Guicc. l. 11. *Marian. lib.* 30. *n.* 66.

Ceterum Albretus haud parum anxius erat, qua ratione per medios Montes Pyrenæos ad fugam ſibi iter aperiret: Menſe enim Septembri jamjam ad medium vergente aſperrima obſtabat cœli temperies, ipſaque montium juga, perinde ac ſi menſis Februarius ad finem declinaret, perpetuis erant obſita nivibus, quarum denſitas fallaci ſoliditate in præceps ruendi periculum occultabat, unde viam ligonibus, palisque aperire oportebat,

bat, ac certo certius extrema totius exercitus ruina impendiſſet, ſi præter itineris injuriam, quæ aliunde ingentem militum numerum abſumpſerat, ipſi etiam Hiſpani fugitivos inſecuti, tranſitum intercluſiſſent. Hi tamen, Albreto fuga elapſo, urbes, quæ in Navarræ Regis fidem redierant, recuperarunt, ipſumque Lautrecum, qui urbem occupandi fiducia animatus ad S. Sebaſtiani oppidum proceſſerat, illius obſidionem ſolvere compulerunt; Cives enim numero quamvis pauciſſimi, animi tamen robore longe præſtantiſſimi erant, ac inſuper Ducis ſui, Joannis Arragonii, qui Cæſar-Auguſtani Archiepiſcopi Filius erat, præſentia animati, tam invicta virtute dimicabant, ut Gallorum impetus non modo repellerent, ſed etiam illos Rentaviam usque auffugere compellerent, ubi etiam illi breviſſimam nonniſi moram trahere permiſſi, inde præcipiti fuga, totoque pedum ſtudio Aquitanniam verſus contendere compellebantur, veriti, ne a Monticolis in unum agmen coeuntibus tranſitu prohiberentur. Ergo totus Gallorum exercitus ad deplorandum ſane ſtatum redactus in Gallias regreditur, cum interea Rex Catholicus toto Navarræ Regno armis ſubacto Pampelonam adiret, ut parta tueretur, & neceſſaria daret imperia; poſtea ſua etiam Pontifici arma jun-

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

jungere statuit, injuriam a Ferrariæ Duce acceptam ulturus; hunc enim in Neapolis Regno, ut illud Ferdinando Friderici Filio assereret, seditionem concitasse insimulabat. Verum hujus consilii executio ad proximum Verem protracta est.

§. LII.

Tartari a Polonis cæsi.

Jodoc. dec. in reb. gest. Sigism. Pol. Reg. Raynald. ad ann. 1512. n. 104.

Magis quam Navarricum, quod Ferdinandus gesserat, æquum erat Polonorum bellum, quo hi Lithuanis juncti hoc anno Tartaros profligabant; cum enim infideles cum exercitu viginti quinque millium, & amplius Russiam, Podoliamque invaderent, atque omnia ferro flammaque miscerent, a Christianis Equitibus, quamvis nonnisi quatuor suorum millia recenserent, adeo tamen cruenta clade affecti fuere, ut ex tam numeroso eorum exercitu vix centum Christianorum gladios effugerent. Eo tempore Sigismundus I. qui tot præclaris facinoribus *Magni* nomen emeruerat, Polonorum Imperium tenebat, in quo is tum quadraginta annos natus Alexandro fratri suo successerat. Parta est hæc victoria die vigesima octava Aprilis in Festo D. Vitalis; unde hujus Sancti memoria hodiedum apud Polonos singulari cultu celebratur.

§. LIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

§. LIII.

Bajazethis II. Turcarum Imperatoris obitus.

Hoc anno Selimus, qui ex Bajazethis II. Turcarum Imperatoris Filiis secundo genitus erat, excluso Achmete natu majore, solium occupare constituit, unde bellum in patrem suum movit, & quamvis prælio devictus esset, Janisaros tamen ad suas partes pertrahens, eorum ope tanta crevit potentia, ut non modo Achmetem, sed ipsum quoque Bajazethem in fugam ageret. Selimus e solio, quod nonnisi seditionis beneficio conscenderat, dejici veritus, eo crudelitatis est prolapsus, ut Patrem Medici sui ministerio usus, veneno necare decerneret, optato plane successu; quippe Bajazethes die vigesima tertia Junii Anni millesimi quingentesimi duodecimi hausto veneno obiit, postquam annum ætatis septuagesimum quartum, imperii vero sui trigesimum primum expleverat. Ceterum Selimus sub primis Regni sui auspiciis Janisaros, atque Imperii Proceres amplissimis muneribus cumulabat, Achmetes vero ejus frater sedulo amicitiam ac Ægypti Sultani præsidium sibi conciliabat; cum autem adverso prælio dimicaret, ac caperetur, Selimi jussu trucidatus est.

Chalc. in Contin. l. 10. & 11. Spond. ad ann. 1412. n. 38.

Sæcul. XVI. A.C. 1512.

Necdum tamen inde satiata erat hujus Tyranni sævitia, alium quoque fratrem suum Corchutum, Virum quietis ac literarum studiosissimum neci dabat, quamvis, cum adhuc iniquiore fortuna premeretur, præclaris ab eo obsequiis adjutus fuisset. Præterea manus etiam suas octo suorum Nepotum sanguine fœdare non erubuit, totidemque Belli Præfectos, quos *Bassas* vocant, licet sibi variis in eventibus fidelissimos, occidi jussit. Erat tamen hic Sultanus animo fortis, laborum impatiens, sobrius, liberalis, atque in Christianos usque adeo benignus, ut nonnulla eis templa aperiret, quæ Pater ejus clausa tenuerat.

Turco-Græcia l. 1. Paul. Jov. hist. 14.

§. LIV.

Floridæ inventio.

Sub idem tempus terra *Florida*, quæ Americæ Septentrionalis Sinu Mexicano coercetur, Duce Joanne Pontio Legionensi Castellano primum inventa a plerisque creditur. Hanc inde Floridam esse nuncupatam nonnulli autumant, eoquod detecta primum fuerit ipsa Palmarum die, quam Hispani vulgo *Pascha Floridum* appellant. Equidem Urbanus Calvetus in suis de Novo Orbe relationibus, quas ex Hieronymi Benzonii Mediolanensis Historia *de India Occidentali*

Ortel. in Theat. orb. terr. De Laët. hist. du nouv. monde. De Thou l. 44 Urbain. Calvet. du nouv. mond. l. 2 c. 1.

& America, Italice ſcripta collegit, teſta- Sæcul. XVI.
tur, quod jam ab Anno Domini milleſi- A.C. 1513.
mo quadringenteſimo nonageſimo ſexto quidam Sebaſtianus Gabottus patria Venetus ſub auſpiciis Henrici VII. Angliæ Regis per Occidentales plagas iter indagaſſet, ut in Oceanum procurrere poſſet; cum vero Gabottus ſua navigatione nonniſi hanc regionem obſervaſſet, Floridæ inventio Joanni Pontio quodammodo debetur, hic enim a Caſtellæ Rege eo mittebatur; ut colonias ibidem collocaret; ubi tamen, cum vix littus attingeret, ab incolis invaſus mox necatus fuit.

§. LV.

Julii II. conſilium de bello ſacro, atque Hiſpanis ex Italia propellendis.

Interim Julius nonniſi grandia concipe- *Marian. l. 30*
re ſolitus, bellum ſacrum in Turcas *n. 58.*
movere animo conſtituit; cuncta etiam pio ejus conſilio adſpirare credebantur; quippe Principes Chriſtiani, cum a Barbaris victricia arma in Aſiam, Africam, imo & in ipſam Europam latius protendi cernerent, non minus attoniti, quam gravi metu perculſi hærebant; unde ad bellum Turcis inferendum admodum propenſi videbantur. Acceſſit etiam op-

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

portune satis dissensio, quæ Bajazethis filios in diversa scindebat studia, ac prope in belli civilis turbas exardescere timebatur. Hac temporis rerumque opportunitate usurus Pontifex, ubique terrarum sollicite denunciabat, sibi nil ardentius in votis esse, quam ut omnium Christianorum Principum animos ad tam glorioſum opus conjungeret: Id quoque communi studio omnes, qui pie, religioseque sentiebant, exoptabant, quamvis non pauci de summi Pontificis integritate minus persuasi, illum studiose ejusmodi consilia excogitasse criminarentur, ut Ferraria obsessa demumque capta Hispanos, prout olim decreverat, ex Italia pellere valeret.

Unde Helvetiorum opera utendum ratus, hujus gentis Viros saltem ad triginta millia in Neapolis regnum immittere voluit, quin tamen prospiceret, abs dubio futurum, ut hi occupata semel Neapoli, nullis armis coerceri valerent, quominus pinguioris prædæ cupidine stimulati, ipsi Ecclesiæ statui nequidem parcerent, sed reliquam quoque Italiæ partem pari aviditate, qua nuperrime a Mediolani Ducatu per summam vim pecunias extorsissent, spoliare aggressuri essent. Ast unice Papæ consiliis obstare videbatur armorum societas, quam Hispani cum Helvetiis, auctore ipso Julio, inierant;

ierant; hujus quoque terminum, cum propediem exiret, Legatus, quem Ferdinandus apud Helvetiorum Pagos, quos *Cantones* vocant, habebat, ulterius protrahi, vehementer urgebat, jamque hanc in rem ingentem auri vim elargiebatur; aſt unica Pontificis epiſtola legati operam eluſit: Julius enim, preſſo animi ſui propoſito, Helvetiorum Magiſtratibus hæc exponebat: ſi vos fœdus cum Rege Catholico innovare aggredimini, Veneti abs dubio nova fœdera cum Gallis inibunt, hinc potius mihi gratiſſimum foret, ſi Hiſpanicæ ſocietatis pacta renovare, aliquamdiu differre velletis. Helvetii Papæ votis lubenti animo cedebant, forte perſuaſi, quod ipſis Papæ magis quam Hiſpanorum amicitia foret proficua. Sæcul. XVI. A C. 1512.

§. LVI.

Rex Catholicus de Papæ conſiliis certior factus.

Nec minus Rex Catholicus Papæ, Cæſarisque potentiam reformidabat, & quamvis, ſi Galliarum Rex Mediolani Ducatum recuperaturus eſſet, rebus ſuis parum conſultum noſſet, non tamen Franciæ Monarchiam usque adeo attenuari optabat, ut illa Julio ac Maximiliano

Sæcul. XVI A.C. 1513.

haud ultra timorem incutere posset, sat enim sibi compertum habebat, quod Cæsar, si a Gallorum armis penitus tutus foret, Castellæ administrationem non sine gravi Ferdinandi molestia turbare, ipsumque Neapolis Regnum invadere valeret. His accessit, quod Julius, cum omni periculo defunctus esset, haud amplius Hispanorum copiis pecunias singulis mensibus promissas suppeditaret, spe fretus, eas hoc pacto brevi recessuras, proin Italiam ab omni extero milite adeo purgandam, ut nonnisi Helvetiorum copiæ supereſſent, quas tamen dummodo eis larga manu pecunias profunderet, facili negotio in patriam remittere posset, eo quod nonnisi quæstus spe animatæ stipendia mererentur. Aſt Arragoniæ Rex, cum acrioris ingenii Princeps esset, brevi Papæ consilia assequebatur; quapropter, ut partum Navarræ regnum tueri posset, pacem cum Gallis inire, e re sua fore arbitrabatur, eo potissimum nomine, quod, si forte illi secunda vice Pyrenæos alpes superare tentaturi essent, se minime parem cerneret, ut ad repellendos eorum insultus cum numeroso milite bellum auspicari valeret.

§. LVII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1513.

§. LVII.

Ferdinandi Oratores cum Ludovico XII. de fœdere acturi.

Hanc in rem Ferdinandus duos Fratres Minores in Franciam ablegavit, ampliſſima inſtructos poteſtate. Horum opera ideo utebatur, ut non modo ejus conſilia magis ſecreta eſſent, ſed ut etiam, ſi forte hi Deputati non audirentur, ipſe liberum ſeſe excuſandi prætextum in promptu haberet: verum Ludovicus XII. hoſce Oratores perbenigne excepit, ratus, ſe hac via Mediolani Ducatum facilius recuperaturum, quapropter unius anni inducias pepegit, vi quarum neuter horum Regum toto illo tempore alteri damnum inferret, aut ſuos adverſus alterum ad pugnam trans Alpes concitaret. His induciis Ferdinandus non modo Navarram ab hoſtium metu liberabat, ſed ſemetipſum in regni hujus poſſeſſione firmandi ſpacium nanciſcebatur; Rex vero Ludovicus pro parte ſua haud exiguam finium ſuorum extenſionem ab incurſionum periculis eximebat, atque poſt unius duntaxat anni moram ſuppetias, quas Joanni Albreto Fœderato ſuo debebat, ferendi opportunitatem aſſequebatur, quin propterea cum ſuo damno vel minimam ditionem cedere compelle- *Guicc. l. 11.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

retur. Ceterum ambo Reges hoc fœdus mutuo pacisçebantur, insçio penitus Pontifice, qui post sancitam hancce societatem haud diu vita superstes fuit.

§. LVIII.

Ludovicus Principes fœderatos alienare conatur.

Hist. de la Ligue de Cambray t. 2 l. 4. p. 242. & suiv.

Jam antea Ludovicus Galliarum Rex consilia agitabat, quibus singulos Principes fœderatos ab armorum societate averteret: Præprimis enim Henricum VIII. Angliæ Regem ad id sollicitabat, qui tamen ejus Legatum nequidem audire dignabatur. Rex repulsam passus Papam convenit, sed nec ab illo benignius accepit responsum, & quamvis Anna de Britannia, quæ Sacræ Sedi continuo studio addicta videbatur, literis suo chirographo exarratis Julium ad pacis consilia inclinare tentasset, is tamen flecti nescius, ægre Nannetensi Cardinali, qui Papæ mentem explorare jubebatur, brevis colloquii copiam concessit: Unde Rex ad Helvetios sese convertere cogebatur, ad quos Joannem Jacobum Trivultium, & Ludovicum Trimollium decrevit, qui cum eis de novo fœdere agerent. Hi, ut de successu certiores essent, ingentem eis pecuniarum summam offerebant, quam Mensarii acceptis literis argentariis nulla

la mora numerare tenebantur; nihilominus ambo hi Principes oleum & operam perdiderunt; Jam enim Maximilianus Sfortia prior Helvetios ſibi devoverat; is enim illis quadraginta aureorum millia quotannis per viginti quinque omnino annos ſolvere, mox vero centum quinquaginta millia pendere ſpondebat, quamprimum illi ex munitioribus Ducatus locis militem ſuum educturi eſſent. Sæcul. XVI. A C. 1513.

§. LIX.

Cæſar a Gallo incaſſum ad concordiam ſollicitatus.

Ergo Cæſaris quoque mentem, ſenſumque explorare oportebat, cum vero nuperrime a Gallorum fœdere defeciſſet, recta eum convenire Rex minime audebat; quapropter exploratæ fidei virum, nobilem Sanſeverinatis Cardinalis Cubicularium ad Epiſcopum Gurcenſem allegabat. Hic vero Vicentiam a Venetis necdum reſtitutam indignatus, hunc Nobilem quidem excepit, quatuor tamen conditiones eidem præſcripſit. I. Gallus ſua conſilia, viresque Cæſari jungat, ut ambo hi Principes urbes ſibi ex Cameracenſis fœderis legibus debitas recuperare poſſent, adjecta tamen hac clauſula, ut illi parti, quæ Cæſari debetur, Cremonenſis ditio unacum urbibus

Secul. XVI. A. C. 1513. Abduæ flumini impositis adjiceretur. II. Carolus Archidux Renatam de Francia secundo genitam Ludovici XII. filiam sibi connubio jungat, eidemque Mediolanensis Ducatus, quamprimum recuperabitur, dotis nomine tradatur. III. Si Ludovico Regi nulla proles mascula nascatur, eadem Renata in Regis Christianissimi jura, quæ in Neapolis Regnum habet, succedat. IV. Denique Sponsa mox ad Cæsaris aulam deducatur. Ludovicus, postquam hic Legatus responsum retulerat, quantocius Senatores suos convocavit, qui tamen in diversas abiere sententias, atque inter eos Stephanus Poncherus Senonensis Archiepiscopus exposuit, quod Cæsar non ita pridem Gallorum fœdera spreviſſet, proin exiguum ab eo præsidium sperandum, ac nequidem de nova armorum societate cum illo agendum foret. Prævaluit hæc Archiepiscopi sententia, potiſſimum eo nomine, quod Regina Renatam Filiam suam, saltem nisi per ætatem Viro matura esset, ad Cæsarem abduci, constanter negaret.

§. LX.

De fœdere cum Venetis actum.

Guicc. l. XI. Soli supererant Veneti, qui primi ad sanciendam cum Gallis concordiam ultro

tro sese offerebant: Unde Trivulcius Mareschallus, & Ministrorum præcipui summis precibus Regem urgebant, ut Reipublicæ consiliis acquiesceret; ajebat enim firmius in Venetis præsidium collocari, quam in Cæsare, eoquod hujus mutabilitas, atque animi inconstantia omnes sibi fœderatos continuo suspensos teneret: Ex adverso Sanseverinas Cardinalis censebat, Venetis omnino neglectis cum Maximiliano agendum esse. Ejus tamen sententia, quamvis ceteroquin auctoritate apud Gallos plurimum valeret, minime acceptabatur, sed serio postea cum Venetis agi cæptum est: Ceterum Papa, & Rex Catholicus ejusmodi consilia evertere nequicquam conabantur; aliunde vero satis perspectum habebant, quod Sfortia, Venetis arma sua Franciæ jungentibus, minime Mediolani Ducatum tueri posset; hinc Regis Catholici Legatus adeo dextre Gurcensis Episcopi animum inclinabat, ut Cæsar, suadente ipso Præsule, juribus suis cederet, Venetisque Vicentiam relinqueret, cujus rei faustum nuncium ipse Gurcensis Venetias detulit; verum Respublica ardentiori ejus amicitiam exquirentium studio elatior, etiam Veronam sibi reddi postulavit, quinimo Venetis fidem Rex Catholicus fecit, se auctorem fore, ut Cæsar in hæc pacta

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Sæcul. XV. A.C. 1513.

cta consentiret, eoquod ipse eidem ducenta quinquaginta aureorum millia persoluturum spopondisset. Hæc omnia inscio Pontifice gesta fuere, ac forte Cæsarem inter & Venetos pacis negotium omnino confectum fuisset, ea tamen lege, ut iis Vicentia relinqueretur, ac Verona redderetur, obstitit tamen inopina mors, quæ Julium Papam vivis eripuit.

§. LXI.

Sessio V. Concilii Lateranensis.

Eadem die, ad quam Julius Papa quintam Lateranensis Concilii Sessionem indixerat, decima sexta Februarii celebrata est, cui tamen summus Pontifex morbo præpeditus non interfuit, quapropter Cardinalis S. Georgii Episcopus Ostiensis ejusdem vices supplevit. Fuit celebrata Missa de Spiritu Sancto per Alphonsum Patriarcham Antiochenum in Altari, quod propter Pontificis absentiam mutatum est, ita, ut celebrans faciem ad Concilii Patres versam haberet. Postea Oratione per Sipontinum Neapolitani Regni Archiepiscopum habita, Cardinalis Ostiensis accessit ad Aram, sedensque ante illam, Pontificali habitu ornatus, dorsum ad Altare, vultumque ad Concilii Patres tenens incepit hymnum, *Veni Creator* &c.

Collect. Conc. Labb. to. 14. p. 110. & seq. Extat. in act. Conc. Later. Sess. V. t. 4. p. 2. p. 47. edit. Binii.

&c. Et Litaniis, aliisque precibus de more recitatis, sacrum Evangelium decantabatur, quod incipit, ab hisce verbis: *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium* &c. Joan. cap. 10. v. 1. Solemnibus hisce peractis illius, qui Lucensis Reipublicæ vices agebat, mandatum prælegebatur, quo nomine hujus Reipublicæ Nobili de Francischis in Synodo agendi Facultas dabatur. Eo perlecto Episcopus Cumanus conscenso suggestu Julii Constitutionem Anno millesimo quingentesimo quinto Mense Februario conditam confirmatamque recitavit, in qua electio Pontificis simoniace facta penitus nulla, & Cardinales Papam hoc modo eligentes suis dignitatibus ac beneficiis privati declarantur. Huic tamen Constitutioni quinque obluctabantur Episcopi, quos inter nonnulli illam temperari, alii eam, ubi obscurior videretur, explanari postulabant. Denique Ecclesiæ Gallicanæ Præsules rursum coram Synodo comparere monebantur, ut circa Pragmaticæ Sanctionis negotium responsa sua darent. Post hæc Sessio sequens ad undecimam Aprilis diem indicta est, qua tamen Pontifex jamjam mortalitatem exuerat.

Sæcul. XVI A. C. 1513

Raynald. ad ann. 1513. n. 5.

Labb. l. c. p. 110. & seq.

§. LXII.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. LXII.

Julii II. Pontificis obitus.

Guicc. lib. 11. Bembo hist. Ven. l. 12. Raynald. l.c. n. 7. & 8. Ferron. in Lud. XII. Victorell. in addit. Ciac. Paris de Graff. to. 3. p. 964. Papyr. Maff. in Jul.

Interea summus Pontifex gravi senio, morborumque concursu jamjam debilitatus, accedentibus curis, continuisque, quas Italicarum rerum vicissitudo excitaverat, anxietatibus, lethalem morbum contraxerat. Primo quidem febri, quæ quidem remissior credebatur, correptus erat, cum vero septuaginta, & amplius annos numeraret, Medici de ejus vita actum esse censebant, passimque rumor serpebat, de Pontificis salute conclamatum esse; ipse etiam Papa ad extremam luctam sese accingere haud morabatur, atque exiguas vitæ suæ reliquias, nonnisi illis negotiis, quæ cunctationem non reciperent, expediendis sacrabat, demum Cardinales ad suum cubile convocatos admonebat, ut Successorem in Conclavi, non vero in Synodo deligerent; Pisanis quoque Cardinalibus illatæ injuriæ culpam condonabat, ita tamen, ut electioni interesse non possent, *ut Julianus Ruvereus*, inquiebat Papa, *Cardinalibus indulgeo schismaticis, ut Julius vero Papa, caputque Ecclesiæ justitiæ rationem habendam judico.* Tum vero sibi sanguine junctorum memoriam ferme exuisse videbatur, ac duntaxat a Purpuratis sibi fidem dari

dari supplicabat, ut Urbinati Duci ejus Nepoti Pisaurum beneficiario nomine concessum, suo quoque consensu assererent. Ceterum cum Matrona quædam nomine Felix Ruverea a Pontifice morti proximo purpuram Guidoni de Montfalcone uterino ejus fratri concedi supplex rogaret, petenti repulsam omnino dedit Julius, ac severo vultu respondens dixit, *Guido tanto officio haud dignus est.* Demum faciem ad alteram lecti partem avertens, ea nocte, quæ inter diem vigesimam & vigesimam primam intercedit, animam Creatori suo reddidit, anno ætatis suæ septuagesimo. Sedit annos novem, menses tres, dies viginti & unum. Mortem ejus nemo lugere videbatur, nec illi quidem, quos beneficiis cumulabat, eoquod gratias quoque minus officiose effudisset (*).

Sæcul. XVI A.C 1513.

Corpus

(*) *Continuatori nostro lingua & aqua hæreret, si asserti sui vadem vel unicum producere compelleretur : Cum non modo apud Auctores altum de hoc sit silentium, sed etiam Raynaldus, Ciaconius, Victorellus, Palatius, Bzovius, Foglieta, & innumeri alii, hujus Papæ benevolentiam plurimum commendent, & ipse Guicciardinus alioquin perseverus Pontificum censor Julium pie, sanctèque obiisse testetur.*

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

Corpus ejus ingenti pompa, atque magnificentia delatum, sepultumque fuit in Ecclesia S. Petri ad vincula. Ceterum metus suberat, ne eo defuncto Cardinales, quos schismaticos habebat, ex factione sua Papam eligere præsumerent, atque ex Synodi auctoritate ad se solos jus electionis, exclusis aliis, devolutum crederent, saltem tum timendi locus erat, ne illi Comitiis Pontificiis Romæ interesse prætenderent.

§. LXIII.

Parma & Placentia a Cardonna, urbesque a Ferrariensi Duce recuperatæ.

Verum inanis erat ille timor; solus enim Cardonna Neapolis Prorex Romanæ Curiæ tranquilitatem turbabat; quippe seditione in Sedem Apostolicam mota Parmensem, ac Placentinam urbes occupabat, illasque quantocius Mediolanensium Ducatui rursum adjungebat. Unde status Ecclesiastici præsidiariis ex utraque civitate excedentibus, cives Maximiliano Sfortiæ novo fidei sacramento sese obstrinxerunt. Dux quoque Ferrariensis cunctas urbes sibi a Julio ereptas recuperare aggrediebatur, ac quasdam copias ex singulis urbium præsidiis educebat, ut expeditam armatorum manum

manum contrahere posset, nec id sine prospero successu; Mutinam enim & Regium sibi subjiciebat, civibus mox portas aperientibus; ast Cardonna haud ignarus, quam gravi odio Rex Catholicus in Ferrariæ Ducem exardesceret, motis interea castris, eum inde recedere compulit. Ceterum alios in Italia tumultus fuisse suscitatos haud novimus. Sæcul. XVI. A.C.1513.

§. LXIV.

Cardinales conclave ingressi.

Die quarta Martii, quæ erat feria sexta, justis Pontifici de more persolutis, Strigonienſis Cardinalis Sacrum de Spiritu Sancto in Sacello S. Andreæ, quod alias Pii III. *capella* dicitur, celebravit, sermonem vero Castelli-maris Episcopus habuit. Postmodum viginti quatuor Cardinales supplicantium ordine ad sacra Vaticani Palatii comitia processerunt, ea tamen die nonnisi Præsulum, ceterorumque conclavis Ministrorum, & Conservatorum, urbisque Romanæ Magistratuum juramenta excipiebant. Post hæc Cardinalis ærarii Romani Præses, necnon Arragonensis, & Farnesius Cardinales cuncta lustrabant cubilia, ut inde, si qui forte adessent, omnes exteros, quibus comitia accedendi jus non esset, abigerent, quo facto januas

Sæcul. XVI occludebant, admisso prius Adriano Car-
A. C. 1513 dinale, qui eodem tempore Romam ve-
nerat. Die Sabbati quinta Martii Sacro-
Paul. Jov in vit. Leon. X. rum Rituum Magister campanæ sonitu
Cardinales monebat, ut Rei divinæ in
Raynald. hoc ann. n. 13. magna *Capella*, quam Sixtinam appel-
lant, peragendæ interessent, qua finita
Purpurati ad postremam conclavis aulam
recedentes de disciplina, ac bono ordine,
qui comitiorum tempore servaretur, con-
sultabant: Interea vero Cardinalium
Contubernales, quos in hisce comitiis
Conclavistas appellant, in alia quadam
aula congregati libellum supplicem con-
ficiebant Sacro Collegio porrigendum,
in quo privilegia alias concedi dari soli-
ta sibi quoque postulabant: qua-
propter horum petita viginti duo Cardi-
nales ad hoc Deputati discusserunt, soli-
dumque diem insumpserunt, aliis negotiis tum prætermissis.

Sexta ejusdem Mensis die, quæ erat Dominica, Re divina de more peracta Cardinales Congregationem accedunt, ac quemdam Chirurgum nomine Jacobum Brierres ad conclave admittunt; hunc enim Cardinalis Medicæus ad quemdam tumorem in faucibus aperiendum accersiverat. (*) Vulnere curato Chirurgus abeun-

(*) Paulus Jovius in vita Leonis X. l. 3. p. 126.

abeundi veniam impenſe, ſed incaſſum petebat: eadem vero, necnon poſtera die diſcuſſio articulorum, quos *Conclaviſtæ* conceperant, Cardinalium curas occupabat, demum vero rituum Magiſter illos adeſſe, Thomas vero Phedra Synodi Secretarius, ut ſe dictante eosdem articulos conſcriberent, jubebat: Feria autem tertia, die octava Martii, re divina ſolemniter peracta Comitiorum Miniſtri Sacellanum, nomine *Gabrieli*, Thomam Phedram, & Bartholomæum Saliceum rogarunt, ut libellum, qui eorum privilegia complectebatur, ſacro Collegio exhiberent; quo perlecto Cardinales hoc ſcriptum ipſis reſtituebant, benignum hac ſuper re reſponſum polliciti. Paulopoſt Commiſſarii a ſacro Collegio deputati iisdem Miniſtris præcipiebant, ut Purpuratorum deciſioni ſubſcriberent; illi equidem has tabulas, quas ſuo chirographo firmabant, haud perlegere poterant, non tamen querendi locum habebant, eoquod eorum privilegia minime imminuta fuiſſent. Ceterum illi, quibus conclavis portas cuſtodiendi cura erat credita, ex Bullæ præſcripto nonniſi pro quovis Cardinale unicam pro obſonio lancem adferri permittebant.

Sæc. XVI. A. C. 1513.

p. 126. hunc morbum vocat, *innatum in ima ſede abſceſſum.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Die nona ejusdem Menſis feria quarta Cardinales Miſſa celebrata, ſuas quisque ſedes occuparunt, cunctosque Conclavis Notarios, pluresque teſtes adeſſe juſſerunt, quibus articulos nuper ſubſcriptos prælegebant, quos cuncti, quamvis illorum nonnullis antea obluctarentur, integra fide poſtmodum ſervare pollicebantur. Ergo hac ſuper re tabulæ conficiuntur, easque Notarii, teſtesque ſuo chirographo muniunt. His peractis Joannis Goladini epiſtola prælegitur, in qua ſacro Collegio ſignificatum, quod Parmenſes, & Placentini Hiſpanorum artibus in Ducis Mediolanenſis favorem ſeditionem conflaſſent; poſt hæc Cardinales Veſpere congregati ſerio deliberabant, utrum Pontificis electionem publicis ſuffragiis fieri expediret. Præprimis die Jovis decima Martii re ſacra peracta Congregationem habebant, in qua Julii II. Conſtitutionem contra ſimoniacas Pontificum electiones prælegebant, & unanimi voto decernebant, quod ſinguli nonniſi unicum haberent Conclavis Miniſtrum, ceteros vero omnes recedere juberent. Quocirca rituum ſacrorum Magiſter adeſſe juſſus, ex ſacri Collegii mandato, cunctos in majori Sixti Sacello incluſos detinuit, ubi inter eos convenerat, ut ille, cujus Dominus in ſummum Pontificem eligeretur, ceteris pro cubilis ſpolio mille

mille quingentos aureos in singulos æ- Saecul. XV.
quis partibus dividendos numeraret, hu- A.C.1513.
jusque pacti testimonium quidam Cameræ Apostolicæ Notarius confecerat. Ita nempe cupiditas in rem suam studiosa est. (*)

Cum vero Cardinales in Sacello S. Nicolai suffragia colligerent, nullus totidem, quot ad Papatum sufficerent, solus ferebat: Cum tamen Arborreo Cardinali natione Hispano tredecim suffragarentur, non parum augebatur ceterorum concurrentium sollicitudo; hujus enim imperium nonnullis merito formidandum videbatur. Post hæc sumpto prandio frequenter secreta habebantur colloquia, non sine gravi indignatione eorum, qui Papatum appetebant; ea enim, quæ clam agitabantur, explorare haud poterant. Die ad occasum inclinato Cardinalis S. Georgii, & Medicæus in majori aula integram horam & amplius conferebant, quin colloquii argumentum innotesceret, cum vero ceteri suspi-

(*) Ita nempe studiosa & ingeniosa est inveniendi libido; plures enim ejusmodi fabulas atque nugas Continuator absque teste adducit, cum tamen ipsus fassus sit, quod corruptela Cardinalis in Papam electi cubile, atque ædes spoliandi jam dudum emendata fuerit.

Sæcul. XVI A.C.1513.

suspicarentur, inter eos conventum esse, ut quisque alterius electionem promovere satageret, propius accesserunt, colloquium interrupturi. Ast parum ea tunc diligentia profectum; quippe illico in aula confusus quidam rumor increbuit, quo haud obscure nunciatum, plurimorum suffragia in Medicæum Cardinalem conspirare; hujus electionem impedire, cum desperarent ceteri, & ipsi eandem Medicæo primi gratulabantur, totiusque sacri Collegii suffragia in eum conspirasse gaudebant, quapropter manum ejus sacro osculo venerabantur, illumque ad cubile suum deducebant, cunctis Cardinalibus eum officiosa salutatione honorantibus.

§. LXV.

Julianus Medicæus Cardinalis in Papam electus.

Undecima ejusdem Mensis die feria sexta Cardinales Juliani Medicæi cubiculum ingressi, ibidem usque ad sacri solemnis horam permanserunt, re autem divina in Sacello S. Nicolai peracta capellæ fores occludi jusserunt ad suffragiorum scrutationem processuri, moxque schedulis suffragantium apertis Cardinalem Medicæum communi omnium voto in summum Pontificem esse electum depre-

deprehendebant: Igitur vocato protinus sacrorum rituum Magistro, aliisque Ministris Medicæus Pontificiis insignibus ornatur, sedensque in S. Petri Cathedra omnium Cardinalium obsequia accipit, quovis eorum ordine suo in novi Pontificis amplexus ruente, pedesque illius deosculante. Ceterum Medicæus Papa patre Laurentio de Medicis, & Matre Clarice Ursina natus erat, atque ab Innocentio VIII. Cardinalis anno ætatis suæ decimo quarto, ac demum trigesimo sexto summus Pontifex renunciatus est: In prima sua ætate Angelo Politiano, Demetrio Chalcondyle, & Urbano Bolzanio Institutoribus usus erat: inter familiares vero, præter alios quamplurimos Viros longe doctissimos, habuit Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum, Joannem Lascarem, & Christophorum Landinum. Tam ingenue ac liberaliter educatus, in scientiarum studio, atque amore Patrem suum æquabat, sibique honori ducebat, cum literatos potenti suo præsidio fovere, ac scientiarum studia novo splendore augere posset. Nihilominus præclaræ adeo dotes nævis suis haud paucis non carebant; nam Medicæo præcipue vitio datum, quod partium studio abreptus, honorisque percupidus esset. Haud tamen diffitemur, quod suo Prædecessore minus vehementis, minusque

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

Ciacon. in Leon. X. t. 3. p. 390. Labb collect. Conc. t. 14. p. 129. Raynald. l. c. n. 14. Bembo hist. Venet. l. 12. Papyr. Masf. in Leon. X.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

arrogantis indolis fuerit, ac præterea eum majori etiam ſagacitate, ac calliditate clarum fuiſſe, teſtantur Hiſtorici.

§. LXVI.

Medicæus Aſſumpto Leonis X. nomine coronatus.

Ciacon. in vita Leon. X. Spond. ad ann. 1513. n. 3. Act. Conc. p. 130.

Recens electus Papa nomen Leonis X. ſibi ſelegit, cum vero a nonnullis de modo, quo inaugurationis ſuæ ſolemnia celebrari vellet, interrogaretur, honores magno Principe dignos ſibi deberi reſpondit; unde nec ſuorum Prædeceſſorum, qui alias in ſedili deferebantur, morem ſecutus, equo vectus (*) Romam ſolemni pompa ingreſſus eſt. Trigeſima poſt electionem die, undecima Aprilis, ipſa nimirum anniverſaria die, qua anno priori in Ravennatenſi prælio captus fuerat, coronatus, Baſilicam S. Joannis in Laterano de more viſitavit, tanta uſus pompa, ut Roma in omnem magnificentiam ac ſplendorem effuſa videretur; eam enim in ſolemnitatem centum aureorum millia

(*) Ciaconius & Spondanus referunt, Papam non ex arrogantiæ faſtu id feciſſe, ſed eodem equo vehi voluiſſe, quo a Gallis captus fuerat, *ut veterem acerbitatem cumulo præſentis lætitiæ compenſaret.*

millia impensa fuisse dicuntur (*). Huic spectaculo interesse jussit Ferrariæ Ducem utpote Sedis Apostolicæ clientem beneficiarium, necnon Urbinatis Ducem, qui præterea Romanæ urbis Præfectus erat. Ambo, quamvis non sine metu comparebant; utrumque tamen Leo Papa perbenigne, clementerque excepit, necdum tamen Ferrariæ Duci suas ditiones reddi jusserat, nec Urbinatem, ut ipse sperabat, in Pisauri Ducatus possessione firmaverat. Vix inaugurationis solemnia absolvebantur, cum Romam nuncius defertur, Raphaelem Paccium Florentiæ Archiepiscopum fatis cessisse, unde defuncti Sedem Leo protinus concessit Rhodiorum Militum Commendatori Medicæo Patrueli suo, qui armatus generoso equo vehebatur, atque Pontificium præferens vexillum Papam comitabatur. Sæc. XVI. A.C. 1513.

§. LXVII.

Carvajalus & Sanseverinas Cardinales Romam contendunt.

His ita peractis inexpectata felicitas *Marian. l. 30. n. 82.*

(*) Addunt Scriptores: *Facta etiam per vias ad populum & pauperes ampla pecuniarum largitione.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Leonem Papam schismatis metu liberabat; quippe Carvajalus & Sanseverinas Lugduni hærentes, cum factionem suam indies decrescere cernerent, eamque diutius conservari posse desperarent, tandem itineri sese accinxerunt, ut in Italiam reversi, ipsum quoque conclave ingrederentur; ad hæc enim comitia ipsis etiam jus competere autumabant, imo se omnino admitti eo firmius sperabant, quo potentius Prosperi Columnæ auctoritate suffulti erant, qui & ipse proxime Romam venire parabat, eo consilio, ut juxta arbitrium suum universæ Ecclesiæ successorem eligeret; verum ejus discessum inhibuit Neapolis Prorex, veritus, ne novas Romæ turbas suo adventu suscitaret: Ambo tamen Cardinales navibus Massiliæ conscensis, maritimo itinere ad Liguriæ oram deferebantur. Exscensione facta, milites omni ex parte transitum obsidentes, hosce Purpuratos ceperunt, eosque Pisas abduxerunt, ubi Julius de Medicis neo-electum Pontificem, cujus Patruelis erat, de horum adventu protinus certiorem reddidit. Jussit Papa illos Viterbium, ac demum ad Civitatem veterem deduci, ubi etiam custodiæ dabantur, donec causa penitius discussa, tandem de eorum fato decerneretur. Comitabatur illos Solerius, cui æque ac ambobus Purpuratis insignes hono-

Petr. de Angler. ep. 515. & 516. Spond. ad an. 1513. n. 4. Guicc. l. 11. Paris de Grassis to. 4. p. 47.

honorum testificationes exhibebantur, soli tamen Cardinales capti detinebantur. Saecul. XVI. A.C. 1513.

§. LXVIII.

Dubia Pontificis mens in præsenti rerum vicissitudine.

Ceterum incertitudo, cuinam parti Leo in præsenti Italicarum rerum statu sua studia addicturus esset, omnium exspectationem suspensam tenebat. Nec hac in re præceps consilio erat Pontifex; hinc enim molestus ei accidebat Gallorum in Italiam reditus; illinc suspectam habebat Regis Catholici fidem, & quamvis Medicæorum familiam Florentino imperio restitutam Hispanis deberet, minus tamen propensum in eos fovebat animum, haud immemor Parmensis ac Placentinæ seditionis, quam Neapolis Prorex concitabat. Nec firmum quoque præsidium sibi in Helvetiis repositum existimabat Pontifex, eoquod ipsi nonnisi mercede conducti arma caperent, moxque, si præstituto die stipendium deficeret, seditionem moverent. Præterea Maximilianus Sfortia non modo viribus impar erat, sed etiam Sedi Apostolicæ semper oneri fore timebatur. Cæsarem quidem amicum habebat, cujus tamen amicitia ob mentis inconstantiam minus firma

Sæc. XVI. A.C. 1513.

firma, imo & periculosa videbatur. Denique Veneti non ita pridem cum Ludovico XII. fœdus inibant, proin Papa, nisi Gallis accederet, se eorum ope frustratum iri cernebat. Hæc anxia secum consilia agitabat Pontifex.

§. LXIX.

Fœdus Gallos inter & Venetos firmatum.

Mortuo Julio Pontifice, Venetorum Respublica cum Gallis fœdus firmabat; quippe Andreas Grittus, & Bartholomæus Livianus a Gallis dimissi recuperatæ libertatis suæ beneficium grato animo testari studebant, ac propterea Regi Christianissimo sua devovebant obsequia, moxque Regem inter & Rempublicam pacem conciliare nitebantur, ut hoc pacto Cæsaris consilia everterent, simulque Gallorum commoda promoverent. Obstabant unice Cremenses, ceteræque urbes ad Abduæ fluminis oram sitæ, quæ ex fœderis legibus Mediolanensi Ducatui accrescere deberent, quamvis huic conjunctioni Veneti vehementer obluctarentur; ast demum & ipsi, Gritto auctore, huic articulo, qui unicum reconciliationis obstaculum erat, cedebant, ut eo facto Grittus plene votis damnatus esset; Veneti enim juribus suis in Cremonen-

sem

sem ditionem, & Abduæ litora renunciarunt, Senatu etiam annuente, ut Ludovicus hæreditarium Avi sui imperium amplis, iisdemque finibus, prout illud olim Vicecomites possederant, extensum recuperaret, ea tamen lege, ut recepto Ducatu mox copias suas Venetis jungeret, & sic ditiones mari vicinæ ad eundem, in quo ante Cameracense fœdus erant, statum reducerentur. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. LXX.

Fœderis Articuli.

Fœderis hujus articuli sequentia complectebantur capita, vi quorum I. Cuncta Venetis erepta restituantur, eidemque Reipublicæ omnia, quæ ante belli auspicia possederat, integre reddantur, excepta Cremona, & Abduæ urbibus, quæ Gallis relictæ Mediolanensi Ducatui, a quo distrahebantur, denuo jungantur. II. Cum Bellum sat cruentum instaret, quo Galli Mediolani Ducatum, & Veneti urbes sibi ereptas recuperarent, ad augendas belli vires Respublica octingentos Lancearios, mille equites leviter armatos, peditumque decem millia, ductore Bartholomæo Liviano suppeditet, Rex vero Christianissimus mille quingentos lancearios, ac pedestris militiæ decem millia, quibus Robertus de Marca præsit,

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

sit, submittere cogatur. III. Supremum totius exercitus imperium sit penes Trimolium, cui ab imperio secundus subsit Joannes Jacobus Trivulcius, eoquod ipse Italicarum rerum, totiusque Regionis peritissimus esset, verum crebra erat disceptatio de sumptibus, pro obsidione Veronensis urbis, quam Cæsar occupabat, impendendis. Ast Ludovicus, ut contentionem dirimeret, scripto fidem suam obstrinxit, quod solus in se hujus obsidionis sumptus suscipere, necnon cuncta Gallis urbem obsidentibus ad victum necessaria subministrare velit, dummodo Veneti mediam expensarum partem ferrent, His ita concluſis fœdus utrinque firmatur, & Grittus, cui soli redditæ concordiæ gloria cedebat, recuperata libertate Legati munere functus, in Galliis permansit.

§. LXXI.

Sessionis sextæ prorogatio per Constitutionem Leonis X. indicta.

Equidem Julius II. qui ante obitum suum quintam Concilii Lateranensis Sessionem celebrabat, sextam ad undecimum Aprilis diem anni supra millesimum quingentesimi decimi tertii indixerat: Leo tamen Pontifex, qui hoc temporis intervallo Julio successerat, Sessionem præfixa die habere præpediebatur, unde

Labb. Conc. Collect. t. 14. p. 150. & seq. Raynald. hoc an. n. 18.

unde eandem ad vigesimam septimam ejusdem mensis distulit, ac hujus dilationis literis decima Aprilis datis hæc exposuit; „ Ad sanctæ Romanæ Universalis Eccle„ siæ regimen, meritis quamquam im„ paribus, divina tamen dispositione vo„ cati fuimus, illud vero præprimis de„ sideramus, ut iis, quæ ad Ecclesiæ „ unitatem, & exaltationem, ac fide„ lem omnium profectum spectare viden„ tur, omni conatu, totisque viribus sa„ lubriter incumbere valeamus. Cum „ itaque felicis recordationis Julius Pa„ pa II. meus Prædecessor, ut status præ„ dictæ Ecclesiæ in melius reformaretur, „ sacrum ac generale Lateranense Con„ cilium de venerabilium fratrum Cardi„ nalium, de quorum numero tunc & „ ipsus eram, consilio & assensu convo„ caverit: illud vero, eo, sicut Deo pla„ cuit, rebus humanis erepto, prose„ qui haud potuerit. „ *Nos*, prosequitur Pontifex, *qui etiam tunc Concilium præfatum celebrari summopere cupiebamus, illius Successores effecti, non minus cordi tenemus dicti Concilii celebrationem usque ad perfectionem caussarum, propter quas indictum fuit, continuare, atque ad finem perducere: Cum vero tertio Idus præsentis mensis solemnis processio assumptionis nostræ juxta morem Prædecessorum nostrorum fiet, sextam Sessionem prorogamus, illamque ipso die*

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

Sæcul. XVI. A.C. 1513. *die quinto Kalendas menſis hujusmodi*, ſeu vigeſima ſeptima Aprilis, *faciendam indicimus*. Demum loquitur Pontifex de Sanctione Pragmatica, atque Eccleſiæ Gallicanæ Prælatos ad Synodum venire jubet, ut rationes ſuas afferrent, ob quas Sanctionem nullam & invalidam declarari, atque abrogari renuerent.

§. LXXII.

Seſſio ſexta Concilii Lateranenſis.

Labb. l. c. p. 31. & ſeq. Igitur præſtituta die Seſſio celebratur, cui ſummus Pontifex Pontificio ornatu inſignis interfuit, eumque comitabantur cuncti Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, mitras portantes, plures Duces, Barones, ac Nobiles Romani, quibuscum ex Baſilica ſancti Petri ad Eccleſiam S. Joannis in Laterano proceſſit, ac Seſſioni, quæ feria quarta vigeſima ſeptima Aprilis habita eſt, ipſus præfuit, ubi ſacris operatus eſt Cardinalis Vulterranus Epiſcopus Sabinenſis, ac ſermonem declamavit Simon Bengnio Modruſienſis Epiſcopus, quam orationem Pater Labbeus ſuæ Conciliorum collectioni inſeruit. His peractis Alphonſus Cardinalis S. Joannis Evangelium cantavit, quod incipit: *Cum eſſet ſero die illa una Sabbatorum &c.* Poſthæc ſummus Pontifex Hymnum de Spiritu ſancto

sancto ipsus præcinebat, ac prolixius ad Synodi Patres perorans, ipsos hortabatur, ut sedulo Reipublicæ Christianæ bonum promoverent, dicebatque, quod Concilium prosequi tam diu intenderet, donec fiat universalis, ac solida concordia & pax inter Christianos. Finita ejus oratione Jacobus Salviatus Reipublicæ Florentinæ Orator mandatum obtulit, quo eidem nomine Reipublicæ Synodo interesse concedebatur, hasque literas Thomas Phedra alta voce prælegit. Demum Marius de Perusciis *monitorium*, seu Bullam Julii II. contra Pragmaticæ fautores denuo recitavit, ac Gallos in hac causa contumaces citari postulavit, cui tamen Pontifex nullum dedit responsum, Prælatos Franciæ paterna potius clementia ad officium flectere, quam severitate frangere constituens. Demum exclusis omnibus, quibus nullum in Synodo suffragandi jus erat, Regiensis Archiepiscopus Papæ Bullam prælegit, qua Synodum, ac in ea hucusque gesta approbat, illiusque continuationem ardenter exoptat. Data est hæc Bulla quinto Kalendas Maji, seu vigesima septima Aprilis. Hac perlecta idem Archiepiscopus petiit, an ea, quæ in illa continerentur, placerent, & respondentibus cunctis *Placent*, ad vigesimam tertiam Maji Sessio septima indicta est, quæ tamen ad decimam septimam Junii diem pro-

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

rogabatur, edita hanc in rem Bulla die vigesima Maji; præstolabantur enim Patres adventum Legatorum Sigismundi Poloniæ Regis. Posthæc præter Cardinales quidam nominabantur Prælati scientiarum laude conspicui, qui de opportunis, quibus negotia proxime proponenda feliciter terminari possent, mediis præsente summo Pontifice suas edicerent sententias. Acceptabantur quoque Brixiensis, Conimbricensis, Viterbiensis, & Misniensis Episcoporum mandata, vi quorum Procuratoribus suo nomine Synodo assistendi potestatem dabant: die autem tertia Junii Prælati in tres classes dividebantur, in quarum prima ageretur de iis, quæ spectant ad pacem inter Christianos Principes componendam, necnon ad extirpationem schismatis; in secunda tractarentur ea, quæ fidem concernunt: in tertia demum, quæ respiciunt correctionem morum, & Pragmaticæ sanctionis abolendæ media. Horum Deputatorum nomina in actis Concilii leguntur, cunctaque hæc puncta in sequentibus Sessionibus expedita fuere.

§. LXXIII.

Ludovicus XII. Mediolani Ducatum ipsus recuperare statuit.

Guicc. l. 10. Interea Ludovicus Galliarum Rex fœderis nuper cum Venetis sanciti fiducia erectsn,

erectus, ipsus inter primas agminis sui legiones Alpes superare, animo constituit. Opportune etiam accepit nuncium, Mediolanenses, qui primo Maximilianum Sfortiam ambabus ulnis exceperant, jam regiminis sui pertæsos esse, cum ab Helvetiis, atque Hispanis durius habiti, omnibusque bonis jamjam exspoliati, adhuc tamen acerbe vexarentur, ac insuper Helveticæ genti vectigales fierent. Præterea sub idem tempus Regem clam adibant Mediolanensium Deputati, significantes, cives ultro urbis portas aperturos, si cum valido milite, vel Rex ipse vel ipsius nomine inclytus quidam Bellidux prompte accurreret. Ludovicus moræ impatiens, e vestigio Lugduno, ubi tum agebat, movisset, Alpesque superasset, nisi edoctus fuisset, Henricum Angliæ Regem a Fœderatis Principibus in suscepto belli proposito adversus Gallos omni ope & opera firmari, spemque potentissimi auxilii eidem factam esse, hacque super re supremum Angliæ Senatum fuisse convocatum, atque eum pacis, quam Henricus VII. Regno procurasset, tædio affectum, nil ardentius, quam bellum exoptare, jamque Henrico VIII. admodum numerosa pecuniarum subsidia fuisse concessa. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. LXXIV.

Rex a propoſito deterritus, eo Trivulcium & Trimollium decernit.

Accepto hoc nuncio Rex Chriſtianiſſimus Regnum ſuum tot, tamque potentibus inimicis expoſitum deſerere, inconſultum cenſebat, quamvis enim Fœderatorum exercitus non niſi quinto, aut ſexto menſe omnino inſtructum iri crederetur, nihilominus temerarium fuiſſet, expeditionem inchoare, quam intra hujus intervalli anguſtias abſolvi poſſe, incertum erat. Aliunde Stephanus Poncherus Senonenſis Archiepiſcopus, qui in Regis gratia Cardinali de Ambaſia ſucceſſerat, ſapienti conſilio Ludovico expoſuit, quod hoſtem adeo impotentem, qualis eſſet Maximilianus Sfortia, debellare, eique Ducatum Mediolanenſem eripere, tanto Heroe minus dignum: magis autem glorioſum foret Normanniam tueri, quam Henricus VIII. proximo vere ſeſe invaſurum jactitaret. Hæc rationum momenta Ludovicum expugnabant.

Marian. lib. 30. n. 88.

§. LXXV.

Trimollius cum exercitu ſuo in Mediolanenſi Ducatu.

Trivulcius, qui in Mediolanenſi Ducatu pinguia poſſidebat prædia, impor-

portunius Regem urgebat, ut validum eo exercitum mitteret. Jamjam præfestinus non modo Lovanii Equitem, qui Mediolanensi castro præerat, sed & Herbevillam Cremonæ Præfectum, ceterosque urbium, quæ adhucdum Gallis parebant, Gubernatores certiores reddidit, brevi se illis opem laturum. Ipsus quoque, ut cuncta ad proximam expeditionem necessaria disponeret, aliquamdiu Taurini commoratus, cum copiis suis Astam ingrediebatur, demum mense Aprili prope Mediolanensium ditionem castra locabat, supremum ibidem Gallici exercitus Ducem præstolaturus. Interea cum Ludovicus Trimollium selegisset: hic tanquam secundum imperii locum trans Alpes a Rege tenens, castris sine ulla mora motis in Italiam contendit, spe facta, exercitus sui numerum exeunte Aprili facile ascensurum ad mille quingentos cataphractos, octingentos levioris armaturæ equites, octo Germanorum millia in diversas legiones distributa, præter inclytum illud, quod nigrum vocant, ejusdem nationis agmen sex peditum millibus validum, quod Geldriæ Dux ex Gallorum stipendiis contraxerat.

Secul. XVI. A.C. 1513.

Herbonville.

Guicc. l. 12.

Sæcul. XVI. A C 1513.

§. LXXVI.

Bartholomæus Livianus Veneti exercitus Dux.

Memoravimus, quod Bartholomæus Livianus, tum legionis Magiſter, in Agniadellano prælio captus fuiſſet, nec alio, quam fœderis, quod Francia nuper cum Venetis inierat, lytro libertatem ſuam redemiſſet. Nunc vero idem ipſe, cum Venetos in Ducis ſupremi ſelectu dubios hærere comperiret, mox curſoriis equis Seguſium in Pedemontio ſitum proficiſcitur, ubi ſua Venetis ſervitia oblaturus ſubſtitit. Ergo Senatui libellum apologeticum tradit, quo comprobare nititur, quod Agniadellanæ cladis cauſſa haud alia exſtitiſſet, quam Petiliani Comitis, cujus vicarius fuiſſet, cunctatio, qua opportuno tempore ſibi ſuppetias mittere neglexiſſet, nec ſuis debite ſuccurriſſet. Primo equidem Senatores Liviani apologiæ parum favebant, eundem Petiliani mortem, cum ipſe haud ultra ſeſe tueri poſſet, in rem ſuam vertere arbitrati. Aſt Grittus non ita pridem Venetias delatus, Liviani defenſionem in ſe ſuſcepit, tantaque dexteritate Senatorum animos ad ſua vota inclinavit, ut Liviano ſummum exercitus imperium deferretur, illudque gerere juberetur nuntio,

Bembo hiſt. Venet.

tio hanc in rem Seguſium miſſo, quo accepto Livianus mox inde profectus, eadem, qua prius Petilianus valebat, auctoritate Reipublicæ exercitum ducens, ſuis copiis Mincium trajicere præcipiebat, tam proſpero conſilii ſucceſſu, ut Vallegium, & Piſcaria, quæ erant urbes Germanorum præſidiis munitæ, miſſis ad eum civibus ultro deditionem facerent, quamvis illas obſidere minime pararet. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. LXXVII.

Liviani victoriæ in Mediolanenſi ſtatu.

Ceterum Livianus copias ſuas Trimolio quantocius jungere decreverat, unitis Gallorum, ac Venetorum viribus neminem reſiſtendo parem fore perſuaſus. Ruſtici quoque Brixiani ſumptis armis, electoque inter ſuos Duce Brixiæ urbis foribus agmina ſua admovent, civibusque, ut præſidium a Cardonna impoſitum trucidarent, opem ferunt, Liviano nunciantes, protinus accurreret arcem obſeſſurus, qui tamen nonniſi tria armatorum millia Brixiam ſubmiſit, conſultius exiſtimans, quod reſidua exercitus ſui parte recta Cremonam peteret, quamvis ejus conſilium minime Venetorum Proviſori probaretur, nec ipſe de itineris ſui ratione Rempublicam certiorem feciſſet. Ergo Cremonam contendit, a civi-

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

bus sollicitatus, qui in Ludovici Regis obsequium redire festinabant: Urbem igitur ingreditur, arcemque annona, bellique apparatu instruit, demum vero Laudum, Soncinum & Papiam progreditur, cunctasque has urbes Gallorum studiis devovet. Jamjam Padum trajicere parat, cum ejus copias, quas Brixiam miserat, a Rocandolpho Cæsaris Duce fusas fugatasque fuisse, nunciatur: Nec tamen hoc nuncio a suscepto deterritus consilio, Trimollio suas copias jungere censuit, spe fretus, sibi parem cum illo recuperati Ducatus Mediolanensis gloriæ partem reservatum iri.

§. LXXVIII.

Genua Seditionis ope Gallis reddita.

Marian. lib. 30. n. 87.

Hæc cum gererentur, Gallica novem triremium, aliarumque quarumdam navium classis, Preiano Duce, Genuam appulsa est, Seditiosis opem latura, nam diuturna Flischos inter & Fregosios fervebant dissidia, ac Fregosii, Flischis graviter oppressis, abs dubio sua felicitate tuto potiti fuissent, si vindictæ suæ libidinem supprimere didicissent. Verum eorum ferocitati opportuna nimis sese offerebat ulciscendi occasio, quippe Fregosii Ducis fratres cujusdam Sicarii ministerio Hieronymum Flischum trucidabant, qua

qua cæde comperta Hieronymi fratres eandem sortem veriti, Francis adhærere statuerunt, collectisque quatuor peditum millibus, ac tribus millibus equitum, Genuam cinxerunt, eo omnino tempore, quo Preianus Lanternam arcem, quæ continuo Gallis parebat, commeatu muniverat. Ergo Fliſchorum fautores urbis portas aperiunt, illosque intromittunt, Dux vero, ac ex ejus fratribus unus triremis cujusdam beneficio auffugiunt; Ludovicus autem alter illius frater in lecto prehenſus, captusque indomiti equi caudæ alligatus per urbis compita raptatur. Hoc facto urbs Ludovici Regis partibus adhæſit, Gallique nullo negotio ceteras Reipublicæ civitates recuperarunt: Genuenſis vero urbis Rectorem, Ducemque Regis nomine Antonium Adornium elegerunt. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. LXXIX.

Totus Mediolani Ducatus, excepta Navarra & Como Gallis ſubjectus.

Mediolanenſes tam proſpero armorum ſucceſſu ſtimulati, una omnes ſuum erga Gallos ſtudium palam profitentur. Inſperata hæc, novaque felicitatis viciſſitudo, necnon Proregis Neapolitani abſentia, qui ſuas copias, nullo tentato præ-

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

lii discrimine indemnes servare, a Rege Catholico jubebatur, non modo rerum faciem, sed & animos in diversum repente mutavit, nam omnes Longobardiæ urbes a Maximiliano Sfortia novo earum Duce deficiunt, sola Navarra & Novocomo in ejus fide persistentibus, eoquod validissima, quibus muniebantur, præsidia civium mutabilitatem coercerent. Deniqué Sfortia, cum vix delibatis novi sui Principatus auspiciis, jam improviso adversantis fortunæ flatu depressus, ruinæ proximus esset, Novarram sese recipere compulsus est, ubi eum Helvetii deducebant, qui horum eventuum potius testes, quam vindices erant, utpote mutua cum Hispanis dissidia foventes.

Marian. lib. 30. n. 83.

§. LXXX.

Papa Gallos a Mediolano arcere nequidquam conatus.

Hucusque Leo Pontifex sua Studia ex æquo partiebatur: verum cum Trimolius Italiam invaderet, ad alterutram partem sese inclinare compellebatur, ut hoc pacto Venetorum, Gallorumque progressus inhiberet: Præprimis nil intentatum reliquit, ut Venetos a firmando fœdere cum Galliarum Rege absterreret; aft nihil datum est illius precibus. Præterea Cinthium clientem suum ad Regem able-

ablegat, qui ejus nomine declararet, quod Papa Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis minime inhærere cogitaret, ſed potius paternum animum omnibus exhibere vellet, quamvis enim affectum, quo Medicæa domus Galliarum Reges avita fide veneratur, cum lacte ſuxiſſet, nec tamen facere poſſet, ut ſub primis ſtatim auſpiciis Pontificatus ſui, quo nonniſi unico menſe potiretur, Sedis Apoſtolicæ fœdera a ſuis Prædeceſſoribus inita violaret, licet equidem Gallis plurimum faveret, ſi tamen palam eorum partes ſequeretur, id inconſultum foret, cum ſic potiſſimorum Principum odium in ſe concitaturus eſſet, quam ob cauſſam, inquiebat Cinthius, rogat Papa, ut temporis neceſſitati, non mentis averſioni adſcriberet Rex, ſi is forte Mediolanenſium invaſioni quovis pacto obſiſtere compelleretur. Tandem Ludovicum precabatur, ut literas, quibus eum a turbanda Italiæ tranquilitate dehortaretur, æquo ferret animo. Ludovicum cunctis Papæ monitis exiguam fidem habuiſſe, ex iis, quæ poſtmodum attentaverat, conjicimus. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. LXXXI.

Prædeceſſoris exemplo novus Papa Gallis adverſatur.

Abs dubio Ludovicus ſibi perſuaſum habebat,

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

bebat, quod Pontifices recens electi non raro dignitatis acceſſione animum mutarent, ac Sedis Apoſtolicæ ſtudiis, quæ ſub diverſis etiam Pontificibus ferme ſemper eadem ſunt, abriperentur. Quinimo etiam Leo decimus in eo, quod præcipuum rei caput erat, haud abſimilis Julio II. exſtitit. Equidem non eodem utebatur agendi modo, per diverſas tamen vias ad eundem collimabat finem, nimirum ad frangendam Gallorum potentiam: hinc ſollicitabat Angliæ Regem, ut in Franciam irrumperet, precibusque repetitis Ferdinandum Arragoniæ Regem in Gallos concitabat. His Pontificis conatibus ipſa quoque adſpirabat temporis opportunitas, quippe pœnituit Ferdinandum pacti cum Ludovico fœderis, atque ut illud impune, quoties luberet, violare poſſet, ambiguam vocem induciis inſertam in rem ſuam vertebat, nam utrinque cautum erat, ut Galli ſuos fœderatos, Hiſpani vero ſacram Sedem ab induciarum lege exciperent. Ludovicus *per ſacram Sedem* Curiam Romanam, ejusque, quos illa poſſideret, ſtatus indicari autumabat: Rex autem Catholicus ampliorem huic verbo ſenſum tribuens, *Sedis ſacræ* nomine non modo Status, in quos jus Curiæ Romanæ competeret, ſed ipſas etiam intelligebat copias, quas tum alebat, aut inpoſterum conſcriberet, adeo,

Lib. Frev. an. 1513. & 1514. *p.* 71. *Raynald an.* 1513. *n.* 57.

adeo, ut tunc si Leo X. ad tuendum Mediolani Ducatum eo exercitum mitteret, & Trimollius Pontificis copias hostiliter aggrederetur, Cardonnæ integrum esset, induciis minime violatis Papæ exercitum quocunque militari modo defendere. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Adeo pronum Ferdinandi animum excipiebat eventus non minus secundus, quo Papæ fiducia haud parum firmabatur; cum enim Leo conqueretur, quod a Rege Catholico sacræ Sedi Parma & Placentia fuissent ereptæ, Hieronymus Vicus Romæ Hispanorum Legatus hac super re ad Regem suum literas dedit, quibus acceptis Ferdinandus nulla mora Cardonnæ suo Neapolis Proregi injunxit, ut Sedi Apostolicæ Parmam & Placentiam sine moræ dispendio redderet, ac Pontifici significaret, Hispanos mox fœderi accessuros, quamprimum innotuerit, quod Fœderati copias ad Gallos expellendos necessarias Hispano exercitui jungere velint.

§. LXXXII.

Legatus a Maximiliano Sfortia ad Papam missus.

Interea temporis Hieronymus Moronus Maximiliani Sfortiæ Orator summum Pontificem adiit. Is erat vir rebus etiam *Raynald. ad ann. 1513.*

diffi-

Sæcul. XVI. A.C. 1513. difficillimis feliciter expediendis admodum idoneus, cujus quoque consilio Pontifex ad submovendos Gallos uti haud dedignabatur: Igitur Moronus exponit, eam esse Mediolanensis Ducatus conditionem, ut, si diuturno Gallorum aut Hispanorum imperio assueesceret, reliqua Italiæ pars, nullo obsistere auso, alterutrius potentiæ cessura esset; hinc haud magis opportuno remedio a sacra Sede imminentia hæc mala declinari posse, quam si Helvetiis pecuniæ quibuslibet demum expensis submitterentur, cum hoc pacto hi abs dubio tot copias, quot ad Trivultium ex Italia propellendum necessariæ forent, suppeditaturi forent.

§. LXXXIII.

Pecuniæ ad conscribendas copias adversus Gallos a Papa Helvetiis missæ.

Mortoni rationibus cessit Pontifex; ceterum conquirendæ pecuniæ haud sane facilis patebat via; ærarium enim vix non exhauserat Julius, & quæ supererant, Leo in die inaugurationis suæ profuderat. Ergo mensarii vocantur, qui quadraginta duo aureorum millia mutua dederunt, ne vero prima occasione paternæ benevolentiæ pollicitatio, quam Cinthius nomine Pontificis Ludovico Regi

gi fecerat, violata videretur, hasce pecunias eo fine Helvetiis submitti obtendebatur, ut viginti aureorum millium pensio a Julio promissa Pagis Helveticis numeraretur, reliqua vero viginti duo millia in præmium obsequii Ecclesiæ præstiti eisdem cederent, eoquod illorum ope Parma & Placentia recuperatæ fuissent, quas urbes Maximiliano Sfortiæ reddendas Cardonna occupaverat. Sæcul. XVI. A.C. 1513. *Bemb. l. 4. epist. 1.*

Igitur Papæ pecuniis quinque Helvetiorum millia conscribuntur, quibus Tortonam usque procedentibus Cardonna, qui in Valle Trebia castra metabatur. Prosperi Columnæ suasu suas quoque copias adjungere statuit, ut auctis viribus Trimolio obsisteret: hunc in finem ille proprio chirographo ad Helvetios perscripsit, eisque injunxit, ut Trebiam venirent, atque ad ipsum accederent: hi vero castra movere renuentes, & pugnare, & vincere eo nequidem exspectato decreverunt. Nihilominus cum Papa rem Regi Catholico exponeret, Vicus cursorem ad Cardonnam ablegabat, qui Regis sui nomine eidem præciperet, ut Fœderatis in Mediolanensi Ducatu sese adjungeret, collatisque viribus Gallos debellaret. His ita dispositis nil propius esse videbatur, quam ut Helvetii Maximilianum Sfortiam singulari conatu ac fortitudine tuerentur.

§. LXXXIV.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. LXXXIV.

Novarra a Trimollio cincta.

Equidem Trimollius prompto Novarram versus itinere Maximilianum, qui ibidem sese incluserat, captum abducere sperabat, ut eandem cum Patre suo sortem experiretur, quem iidem Helvetii eodemque in loco Gallis captivum tradiderunt. Idem quoque verebantur Hispani, eo potissimum nomine, quod inter Helvetios Novarrensis præsidii Præfectos, atque inter Gallici exercitus Belliduces iidem, ac eorum non pauci reperirentur, qui olim in Ludovici Sfortiæ proditionem conspirabant. Verum evanuit hic timor, cum vehementius Helvetiorum in Gallos odium novam rebus faciem conciliaret.

Guicc. l. 11. *Marian. lib.* 30. *n.* 89. *Belcar. l.* 14. *Memoires du Bellai l.* 1. *Ferron. in Lud. XII.*

Ergo Trimollius Novarram cingere statuit, ac propriarum virium fiducia elatus, haud exspectato totius exercitus adventu, nonnisi quingentis cataphractis, & sex Germanorum, quatuor vero Gallorum peditum millibus stipatus processit. Verum Novarra urbs erat non solum situ, sed & opere munita, quam præsidii loco tuebantur sex Helvetiorum millia non ita pridem Sfortiæ equitibus adjuncta, præter septem ejusdem nationis millia a Motino, totidemque a Barone Altsaxio, qui alia ex parte accitus advenerat, adducta: Cum

Cum vero Gallorum manus ad expugnandam urbem adeo munitam impar esset, Trivultius nullum non movit lapidem, ut Trimollium a suscipiendo obsidionis consilio avocaret, donec sex millia Germanorum peditum recepisset, quæ jamjam ad Vallem Seguisinam delata a Tavannesio adducebantur: Trivultii tamen consilium neglexit Trimollius, eoquod eidem nunciatum esset, quod valida Helvetiorum agmina in Novarræ subsidium accurrerent, unde copias suas urbi admovit, atque obsidionem exorsus, cunctis belli tormentis in mœnia directis, crebram ruinam edidit, nullam tamen ad assultum satis amplam. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. LXXXV.

Obsidio interrupta. Helvetiorum aggressio.

Verum præsidiariis urbem invicta virtute tueri paratis, Trimollius habito belli Senatu exposuit, interrumpendam esse obsidionem, cum consultius foret, Helvetiis, quos Motinus adduceret, occurrere. Obstitit denuo Trivultius: ast potissima Belliducum parte eidem adversante statutum est, quod eodem temporis articulo Galli Trecastam contenderent. Dubia adhuc erat itineris ratio; cumque Trivultii Marescalli judicio utpote patriæ *Bemb. l. 3. epist. 1.*

Sæcul. XVI. A.C.1513.

ſuæ haud ignari, ſtandum decerneretur, hic idem, eoquod amplas, per quas Galli tranſirent, regiones poſſideret, ut eas indemnes ſervaret, per longos viarum circuitus exercitum Gallicum deduxit, Unde primum agmen cum tormentis Trecaſtam, ut juſſus erat, ducere negligens, Riotam contendit, ibique poſitis caſtris noctem transegit. Locus erat, quem ſelegerat, ob paludum uliginem impervius, foſſis interciſus, cænoque tam profundo oblinitus, ut nequidem media æſtate commodam transeundi copiam indulgeret, quocirca equites peditatum tueri prohibebantur. Hunc errorem Trimollius, qui cum media, ac poſtrema acie ſequebatur, Trivultio vehementius exprobrabat, & perſpecta loci iniquitate, caſtris inde motis Trecaſtam petere cupiebat: aſt infeliciter accidit, ut Trivulcius equos vehendis tormentis deſtinatos ad paſcua tam longinqua emiſiſſet, ut eos inquirere, ac reducere temporis anguſtiæ prohiberent. Quapropter exercitus totam noctem Riotæ tranſigere compellebatur,

§. LXXXVI.

Gallorum aſtra ab Helvetiis impugnata.

Eodem, quo Trimollius Novarra diſceſſerat, die Motinus belli Præfectus Tici-

Ticinum trajecit, ac ne in Gallorum copias impingeret, a regia, quæ Mediolanum ducit, via ad lævam deflectens urbem ingressus est, moxque belli Senatum convocavit, in quo decretum, ut illico acri impetu in Gallos inveheretur, eoquod tam arcta tenerent castra, ut soli pedites pugnandi copiam haberent, proin supervacaneum esset, a Barone Altsaxio auxilium præstolari. Ergo postera die sexta Junii præter quadringentos Sfortiæ equites Helvetiorum decem millia Novarra erumpunt, Gallosque in suis castris adoriuntur, exercitu scite in duo agmina divisо, quorum unum sex armatorum millibus validum tormentis, ac Germanorum peditibus opponeretur, alterum vero e dextro cornu, ferme totum ex selectiori milite hastato compositum Gallos equites, si forte peditatui opem ferre vellent, protinus arceret. Sæcul. XVI. A C. 1513.

§. LXXXVII.

Ingens Gallorum clades, & Helvetiorum victoria.

Trimollius de itinere, atque hostium occursu edoctus, opportune adhuc exercitum suum in aciem collocabat. Jam vero Helvetii oriente luce in primos Gallorum ordines irruebant, hi tamen illorum impetum immoto pede sustinentes, *Bemb. l. 2. epist. 1. Raynald. an. 1513. n. 31.*

Sæcul. XVI A.C. 1513.

tormentis suis, multoque vulnere desuper inflicto Helveticam virtutem plectebant, densoque globorum imbre integros hostium ordines, qui tamen illico novis supplementis reficiebantur, continenti cæde prosternebant. Dudum ancipiti dimicatum prælio, & sæpius fortuna jam in hanc, jam in alteram nationem inclinabat, neutri tamen victoriæ summam cedebat. Tandem vero dum Helvetii probe prospexerant, quod ipsi, licet Gallorum equitatus ob loci importunitatem pugnandi copia destitueretur, abs dubio tamen superandi essent, hinc post tertiam prælii horam tam stupenda virtute, tantoque impetu in hostem effundebantur, ut Germanos simul ac Gallos eo facilius dispergerent, quo minus illi ob loci angustias sese denuo colligere possent.

Summa cædis aviditate, vixque unquam audita pugnandi pertinacia nonnisi Gallici exercitus pedites dimicabant, ex quibus Germani inveterato in Helvetios odio accensi, ferme soli velut furiis acti omnes hostium suorum impetus sustinebant, ac densiorem tormentorum tempestatem immoti excipiebant; his tamen penitus cæsis victoriæ gloria penes Helvetios stetit. In hac pugna cum Robertus de Marca Fleurangium, & Gemacensem duos filios suos ætate Juvenes, qui

qui germanis peditibus præerant, ex equis in terram prosterni cerneret, non modo, an filiis suis auxilium ferre posset, haud amplius considerabat, sed & imperii sibi a Duce suo dati immemor, ferocius quam cautius cum sua cataphractorum centuria usque ad prælii aciem penetravit, ac per medios Helvetiorum cuneos quaquaversum lancea sua viam sibi aperuit, donec ad locum, ubi filii sui dimicabant, tandem perumperet, ubi Fleurangium equo suo, Gemacensem vero alteri, quem ipse habebat, imponens auffugit, atque elusa insequentium Helvetiorum solertia ad Gallorum equitatum pervenit, hocque pacto, quibus vitam dederat, eandem etiam conservavit. Varius est Scriptorum calculus de utrinque cæsorum numero. Si Guicciardino fides, in Helvetiorum exercitu nonnisi mille quingenti desiderabantur, ex Gallis autem, eo teste, peditum decem millia fuere trucidata: Ast non hac sola falsitate Guicciardini historia scatet. Mariana scribit: *Supra septem Gallorum millia ceciderunt, atque in iis omnes Germani, Viri quoque nobilitate, factisque clari, Coriolanus, Trivultius, atque Ludovicus Beamontius.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Memoires du Marecha de Fleuranges.

Memoires du Bellai l. 4.

Guicc. l. 11.

Marian. lib. 30. n. 98.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. LXXXVIII.

Gallorum exercitus accepta clade ex Italia in Gallias redux.

Petr. Juſtin. lib. 11. Guicc. l. 11. Raynald. ad an. 1513. n. 30.

Illata clades tanto terrore Gallorum exercitum oppreſſit, ut nil ſibi præſidii reliquum haberet, niſi ut ſuperatis alpibus toto pedum ſtudio, ac præcipiti fuga in Gallias remearet. Ergo Trimollius, Helvetiis fugitivum minime inſequentibus, iter aggreditur, ac prope Seguſium copiis, quas ipſi Tavenneſius adduxerat, ſeſe conjungit. Ex adverſo Helvetii ipſo prælii die Novarram triumphantium more ingrediuntur, ſecum ducentes viginti duo belli tormenta, tanquam ſpolia Gallis erepta: Victores quoque comitabatur agmen Motini Belliducis, qui hujus victoriæ auctor eandem glorioſa morte ſua decoravit, haſtæ ictu in gutture transfixus. Interea Altſaxius Baro parta nonniſi victoria cum ſex vel ſeptem Helvetiorum millibus accurrerat: quapropter ſummopere doluit, quod ipſius adventus non exſpectaretur; ſperatæ enim victoriæ partem ſibi ereptam fuiſſe cenſebat. Opima inſuper præda victoribus ceſſit, omnesque urbes, quæ paulo ante Gallis acceſſerant, in priſtinam Mediolanenſis Ducis fidem ſeſe receperunt, ac præſcripto pretio perfidiæ ſuæ veniam nonniſi auro

auro redemerunt, nam soli Mediolanensi civitati ducentorum millium aureorum multa imponebatur, ceteris vero pro facultatum suarum ratione: Pedemontium autem & Montferratum ab Helvetiis devastabantur, hac duntaxat ex caussa, quod hæ urbes Gallis fœdere junctæ iisdem transitus copiam feciſſent. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. LXXXIX.

Galli Genua expulsi; Fregosi restituti.

Postquam fama de Gallorum fuga in Genuæ montibus resonabat, tota Respublica novam faciem induit. Præprimis Leo Pontifex tam prospere cum Cardonna Neapolis Prorege rem egerat, ut Hispanorum exercitus Papæ jussu hanc urbem superare aggrederetur, quippe Octavianus Fregosius Proregi pollicitabatur, quod ipse altera die, qua Genuam reverteretur, eidem quadraginta aureorum millia daturus esset. Promissum acceptavit Cardonna, ac quantocius ductore Piscaria Marchione, selectiores exercitus sui copias transmisit, postea Marchio cives ad regiminis sui formam rursus immutandam, ac supremam Senatus auctoritatem Fregosiis reddendam sollicitavit. Hoc facto Antonius Adornius exauctorationis suæ calumniam præventurus, ipsus

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

sponte munus suum abdicavit, ac urbe excessit, civium non paucis eum comitantibus, qui ejus administratione mire læti obortis etiam lacrimis illum sequebantur: Octavianus autem Fregosius in ejus locum Reipublicæ Dux seligebatur, Gallis denuo inde depulsis, qui ad Lanternæ arcem fugere compellebantur: Igitur Ludovicus Galliarum Rex unius mensis spatio Genuam, & Mediolanum occupavit, simulque amisit: Maximilianus vero Sfortia pristinam Ducatus sui possessionem recuperavit.

§. XC.

Livianus cum copiis suis recedit, ac Lignanum occupat.

Marian. lib. 30 n. 90.

Interea Livianus Veneti exercitus Dux, percepta Gallorum clade, nulla mora cum copiis suis ad Reipublicæ ditiones sese recipere, animo constituit; unde præsidio Cremæ impositio, Athesi flumine vectus, Balionium præmittit, qui Lignanum urbem occuparet, ut tutum ei trajectum per Athesin pararet. Molli admodum brachio Lignanenses incolæ Venetorum impetus retundebant: casu etiam accidit, ut, cum Livianus tormentis, quæ advexerat, arcem quateret, flamma ad pulveris pyrii receptaculum penetraret, quo infortunio Veneti opportune usi per muri

muri hiatum inopino hoc cuniculo patefactum irruperunt, ac Cæsareos milites præsidiarios unaomnes jugularunt. Secul. XVI A. C. 1513.

§. XCI.

Veronna a Liviano cincta, & soluta obsidio.

Livianus prospero hoc successu animatus, copias suas Veronnam usque adducere constituit, urbis obsidionem tentaturus, quæ quamvis tribus equitum millibus, totidemque peditibus Germanis munita esset, eamque Rocandolphus tueretur, Livianus tamen hæc minime moratus, cunctis majoribus tormentis uni suggestui impositis, viginti quatuor horarum spatio ingentem muris labem intulit, moxque equitibus suis, equo descendere jussis, cuncta ad irruptionem disposuit. Verum mutato repente consilio, obsidionem solvit, quam tamen paucis post horis denuo urgere incipiens, impigro conatu in urbem impressionem fecit; cum autem ipsemet Rocandolphus cum ter mille quingentis Germanis oppugnantium impetum propulsaret, ac Venetorum, si qui propius accederent, audaciam aut vulnere aut morte plecteret, Livianus hujus Belliducis fortitudine territus assultum interrupit, ac secunda jam

Sæcul. XVI. A.C.1513. vice urbis obsidionem solvit, nemine tamen fugitivum insequente.

§. XCII.

Cardonna Neapolis Prorex in Longobardiam movens.

Bembl. l.3 ep.19. & l.6. epist. 9. Hæc postrema fuere Liviani in urbem molimina, eoquod Cardonna sollicitante Maximiliano Sfortia, eidem magnis itineribus instaret. Equidem Prorex hucusque neutrius partis studio addictus videri cupiebat, verum Gallis vix Genua pulsis mox sua obsequia Cæsari palam exhibebat, ac Brixiam, Bergomumque occupabat. Demum Piscaria urbe ac arce recuperata, Veronnam venit, ubi Germano militi, qui resciffis induciis in Forojulienſi Provincia bellabat, suas quoque copias adjunxit, simulque continuato victoriæ cursu Lignanum armis suis subjiciens, Montgnagnæ castra metatus est, abs dubio Patavium quoque, & Tarvisium expugnaturus, nisi Livianus obstitisset: Hic enim, cum totam belli mollem Continentis ditionibus impendere prospiceret, cunctasque urbes hostium furori eripi posse desperaret, nonnisi tres potissimas urbes Patavium, Tarvisium, & Cremam collectis viribus tueri constituit.

§. XCIII.

§. XCIII.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Livianus Patavii incluſus Cardonnam urbis obſidionem ſolvere compellit.

Quapropter ex ceteris urbibus præſidiarios educens, exercitum ſuum inde auctum in tria diviſit agmina, quorum unum Patavio impoſuit, ipſusque hanc civitatem, quam certius ab hoſte oppugnari, difficilius vero defendi poſſe exiſtimabat, tuendam ſuſcepit, & Tarviſium Balionio, Cremam vero Cerio tuendam commiſit, & ex reliquis duobus agminibus cuilibet unum adjunxit. *Marian. lib. 30. n. 92. Traite de la Ligue de Cambrai t. 2. p. 316. & ſeq.*

Nec Livianum ſua fefellit opinio; quippe Prorex Neapolitanus Patavium contendit, eidemque Gurcenſis Epiſcopus in itinere occurrens, militum ſuppetias non ita pridem e Germania adductas adjunxit. His copiis auctus Cardonna, ineunte menſe Auguſto exercitum ſuum urbi admovit, eandem obſidione cincturus. Verum expeditionis difficultas illius vires ſuperabat; ejus enim copiæ, quamvis præſentia atque Liviani fortitudo novos illis animos addidiſſet, ad circumſidendam tamen adeo amplam urbem numero impares erant, quapropter Prorex a cæpto conſilio deſiſtere compulſus, majori ſuorum, quam hoſtium diſpendio, pedem retulit. Epirotæ, ſeu Albanenſes,

Sæcul. XVI. A C. 1512.

ſes, cum obſidionis tempore ex urbe erumperent, Alphonſum Carvajalum inter Hiſpannos in paucis ſtrenuum Belliducem unacum Cadennate, & Eſpinoſa Centurionibus captivum abſtraxerunt. Hæc Patavinæ urbis obſidio nonniſi urgente Gurcenſi Epiſcopo cæpta eſt, invito licet Cardonna, qui potius Tarviſium, cujus oppugnatio exercitus Hiſpani vires haud ſuperabat, expugnandum cenſebat, ipſe etiam Gurcenſis Epiſcopus vana fuiſſe ſua conſilia demum agnoverat: quocirca duodeviceſima die, qua urbs Patavina oppugnari cæpta erat, obſidio unanimi conſenſu ſoluta eſt, Fœderatorum exercitu ſeſe Vicentiam recipiente, cum hæc urbs demum unicuique promiſcue pateret.

§. XCIV.

Venetorum querelæ adverſus Papam.

Inter hæc adverſantis fortunæ fata acerbiori longe vulnere Venetos afficiebant ſuppetiæ eorum hoſtibus a ſummo Pontifice ſubmiſſæ, quæ quamvis numero admodum exiguæ, utpote nonniſi ducenti lancearii, ac nonnullæ peditum centuriæ eſſent, nihilominus haud obſcure indicabant, Papam Venetis adverſari, ac fœdus cum Cæſare a Julio II. adverſus eos initum exequi velle, ſatque hac ſuper re Leo X. mentem ſuam aperiebat;

magis

magis tamen Gallis indignabatur, quos quamvis modo a concepta Mediolanensis Ducatus hoc anno recuperandi spe dejeciſſet, ſedulo tamen præpedire conabatur, ne in auſus Sedi Apoſtolicæ noxios erumperent, aut ſeſe ab unione Romanæ Eccleſiæ ſepararent: Haud enim ignorabat, Gallos ſibi admodum infenſos eſſe, cum præcipue Franciæ Univerſitates, quæ Piſano cœtui, cujus nudum nomen Pontifici timorem (*) incuſſit, auctoritatem conciliare omnibus viribus niterentur. Quapropter Leo Papa quodammodo Ludovicum Regem placare conſtituit: Rex vero frequenter profitebatur, nolle ſe concordiæ pactis aurem accom-

Sæcul. XVI. A C. 1513.

Guicc. l. 11.

(*) *Quid ſibi Papa juſtiſſimæ cauſſæ innixus a Piſano conciliabulo timeret, haud perſpicimus; cum enim rebelles hi Cardinales cum ſuis ſequacibus nonniſi Schismaticorum Baſileenſium errores revocarent, parem quoque cum illis exitum eorum ſynagogam fore ſortituram quiete præviderat Pontifex; jam enim ab urbe in urbem extorres pellebantur, nec Cæſar, nec quiscunque alius Princeps eis adhærebat, atque ipſimet hujus ſchismatis anteſignani jam antea literas ſupplices propria manu ſubſcriptas Synodo Lateranenſi porrigebant, per quas errorem ſuum fatebantur, culpæ ſuæ veniam poſcentes. Unde ergo tam terrificum eſſe potuit Leoni hujus conciliabuli nomen?*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

accommodare, nisi Cardinales, qui ob concilium Pisis, ac Mediolani congregatum exauctorati erant, denuo suis dignitatibus redderentur, atque ad sacrum Purpuratorum Collegium reciperentur. Ut ergo hi rursum in sacræ Sedis gratiam redirent, voluit Papa, ut collatis consiliis hac de re cum Regina ageretur: priusquam tamen reconciliati admitterentur, Lateranensem Synodum prosecutus est.

§. XCV.

Sessio VII. Concilii Lateranensis.

Labb. Collec. Conc. t. 14. p. 156. & seq.

Raynald. an. 1513. n. 42.

Die decimo septimo Junii, quo indicta erat, feria sexta habebatur Sessio septima, cui ipse summus Pontifex præerat, fuitque sacrum submissa voce celebratum per Dyrrachiensem Archiepiscopum, quo finito Alborensis Cardinalis, qui Synodi Patribus a secretis erat, orationem declamavit: Farnesius vero Cardinalis S. Evangelium decantavit ex illis S. Lucæ verbis: *Post hæc autem designavit Dominus, & alios septuaginta duos.* Demum Oratores Poloniæ Regis sui mandatum porrigebant, quod Phædra conscenso suggestu perlegit. Datæ erant hæ literæ Posnaniæ die decima Aprilis. Eodem ritu recitabantur mandata Maximiliani Sfortiæ, qui suo nomine Marinum

Cap. 10. v. 1.

Carac-

Caracciolum ad Synodum deputabat: prælegebantur etiam literæ Mazoviæ Ducum, nec non Marchionis Mantuani, qui Alexandrum Archidiaconum tanquam Oratorem ſuum ad Synodum ablegabat. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. XCVI.

Carvajali & Sanſeverinatis Cardinalium palinodia in Concilio perlecta.

Perlectis hiſce literis, idem Thomas Phedra ſupplices recitavit literas, quibus Bernardinus Carvajalus, & Sanſeverinas ambo Piſani Concilii Cardinales ſchiſma ejurarunt, ac cunctis, quæ in Piſano cœtu acta fuere, damnatis Lateranenſem Synodum approbarunt, polliciti, quod Leoni Pontifici obtemperare, palamque profiteri velint, ſe a Julio ac Concilio pro culpæ ſuæ ratione merito a Cardinalium collegio depulſos fuiſſe. *Labb. l. c. p.* 160. *Raynald. l. c. n.* 44. *& ſeq.*

§. XCVII.

Papa apud Galliæ Regem innocentiam ſuam vindicans.

Poſt hæc ſummus Pontifex calumniam ſibi apud Galliæ Regem de quodam articulo impactam diluere compellebatur: Pecuniæ enim, quas Helvetiis ſuppeditaſſe

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

tasse dicebatur, non tam secreto expendebantur, quin rumor ad Ludovici aures pertingeret. Ea de re Rex datam sibi fidem fuisse violatam existimans, per Cinthium hac super re apud summum Pontificem querebatur, quem in ceteris quoque haud magis fidelem fore suspicabatur. Nec adeo eum sua opinio fefellit: Leo tamen Cinthio, quem sibi devovit, persuaserat, ut ea, quæ nulla solida ratione comprobari possent, diffiteretur, ceteris vero, quæ nulla tergiversatione celari valerent, honestam veri speciem obtenderet. (*) Igitur Cinthius Regi hæc exposuit; falso Leo Pontifex insimulatur, quod Helvetiis, aut pecunias suppeditaverit aut illos contra vestram Majestatem ad occupandum Mediolani Ducatum adhortatus fuerit, equidem idem, utpote communis omnium Pater, Venetos in Cæsaris gratiam revocare conatus fuit, nunquam tamen permisit, ut Principes Ecclesiæ Filii ditionibus suis, quas a Majoribus suis hæreditario jure acceperant spoliati gemerent, nec etiam iniquo tulit animo, quod Veneti Regiæ Majestati vestræ ad recuperandam, quæ ad Valentinam

(*) *De his præter Continuatorem omnino nullum, qui tam asseveranter ejusmodi nugas referat, Scriptorem reperi, quæ igitur fides illis adhibenda, Lectoris judicio relinquo.*

tinam de Vicecomitibus aviam tuam spectat, hæreditariam possessionem succurrissent, ac propterea nulla eos censura perstrinxit, quamvis ejus prædecessor illos tam spirituali, quam temporali gladio ex fœderis lege persequi compulsus fuisset; Leo tamen Franciæ fautores veneratur, etiam illos, quos Sedes Apostolica tanquam hostes suos olim declaraverat: hinc omnis querendi causa mox tolletur, quamprimum Rex Pisanum conciliabulum tueri cessabit; ab hoc enim ante omnia concordiæ auspicium omnino petendum est. Sæcul. XVI. A C. 1513.

§. XCVIII.

Ludovici XII. Oratores ad Lateranense Concilium missi.

Ad hæc Ludovicus XII. a Regina conjuge sua, quæ summis Pontificibus, sedique Apostolicæ filiali semper obsequio addicta erat, sollicitatus, Papæ votis cessit, persuasus (*) quod ab illo temporis

(*) *Ludovicus Galliarum Rex in literis, quas Lateranensi Synodo porrigi jussit, testatur,* se soio Religionis zelo, atque instinctu adductum Lateranensi concilio adhærere, spe fretum, desideratam universalem fidelium pacem sub auspiciis Leonis Papæ prætio assuturam;

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

poris articulo, quo ad Sedis Apostolicæ sententiam Pisanum conciliabulum detestaretur, Papa fœdus cum illo inituruś esset, ut ipse in Italia ditiones suas recuperare posset. Ergo in Senatu Regio decretum, dissidia ob Pisanum concilium Ecclesiam inter & Regem exorta tandem esse dirimenda. Hanc ob rem Claudius Seyssel ius Massilienſis Episcopus, & Ludovicus Forbinus tanquam Regis Legati Romam ad Synodum

---

ac propediem unanimi Christianorum Principum consensu arma in fidei hostes convertenda. *Spondanus vero refert, eundem Regem non spe recuperandæ ditionis allectum decrevisse Pontifici in Concilii Pisani abdicatione assentiri,* sed ad id maxime inductum fuisse unanimi populorum suorum desiderio, Ecclesiæ Romani reconciliare summopere cupientium, atque Annæ Reginæ, quæ semper ab his dissidiis alieniſſima fuerat, precibus. *Aliam rationem cum Raynaldo, aliisque indigitat Paulus Jovius in vita Leonis X. lib.* 3. Ludovicus, *inquit,* multiplici rerum suarum periculo magnopere commoveri, sæpe æstuare animo, consilioque, arbitrari ante omnia sibi divinitus ea infligi vulnera, & alias super alias parari clades, quod sacrosanctum Pontificem diro consilio, atque impiis armis fuisset persecutus.

nodum ablegati sunt, eisque facta est potestas, ut Lateranensi Concilio Regis nomine adhærere possent. Sæcul. XVI. A. C. 1512.

§. XCIX.

Nonnulli Cardinalium reconciliationi obluctantes.

Quamprimum Romæ fama increbuit, quod Cinthius e sententia Pontificis rem gessisset, ac Leo Regi pollicitus esset, se Carvajalum & Sanseverinatem Cardinales pristinis suis honoribus restituturum, nonnulli, pauci tamen, huic consilio obluctabantur. Præprimis Cæsaris & Ferdinandi Regis Legati, quibus Cardinales Eboracensis natione Anglus, & Sedunensis patria Helvetus accesserunt, promissæ reconciliationi sese opponebant, caussati, injuriam Julio II. irrogari, eoquod ille hosce Cardinales omnino a fidelium cœtu segregare, necessarium judicasset, jam vero nimiam veniæ facilitatem maximam esse ajebant novæ rebellionis illecebram. Leo Papa, licet fidei Galliarum Regi datæ tenacissimus esset, palam tamen querentibus Legatis obsistere non audebat, sed tunc temporis duntaxat supplices horum Cardinalium literas, re adhuc indecisa, in Synodo perlegi jubebat, quamprimum vero Massiliensis Episcopus ac Ludovi-

Sæcul. XVI A. C. 1513.

cus Forbinus Romam venerant, interdicto, cui Franciæ Ecclesiæ subjiciebantur, interrupto, citationis terminum, qui Galliæ Episcopis tanquam seditiosis a Julio II. sub pœnarum comminatione præfixus erat, prorogavit, simulque de modo utrumque Cardinalem in gratiam recipiendi deliberavit.

§. C.

Carvajalus & Sanseverinas Cardinales in Papæ gratiam recepti.

Labb. collect. Conc. t. 14. p. 160. Ciacon. in Leon X. t 3. p. 312. Raynald. ad ann. 1513. n. 44. 45. & seq.

Rebus ita dispositis, decretisque, ambo Cardinales supplicantium more adeo secrete Romam petebant, ut nec de eorum itinere, nec de adventu notitia haberetur. Postmodum ad Vaticanum palatium vesperascente cœlo die vigesima sexta Junii deducebantur, postera autem die nonnisi habitu Clericorum sæcularium violaceo induti in pleno Patrum Senatu comparuerunt, ipso summo Pontifice præsente, ac Pontificalibus insigniis ornato. Assenserant Leoni omnes Purpurati, soli tamen Eboracensis ac Sedunensis Cardinales reluctabantur, qui, cum flecti haud possent, a consessu abesse rogabantur. His abeuntibus ambo Cardinales consistorii aulam ingrediebantur, ac supplices ea, quæ in literis suis cala-

calamo expreſſerant, viva etiam voce rata habebant, & coram infinita propemodum hominum ad hoc ſpectaculum confluentium multitudine genuflexi alta voce literas quasdam prioribus ampliores perlegebant, iisdemque publice ſignatis delicti veniam exorabant. Papa ritu ſolemni illos ab omnibus, quas incurrerant, cenſuris ſolvit, ac Eccleſiæ communioni plene reſtituit, eisque rurſus conceſſit priſtinam Cardinalatus dignitatem, cunctaque beneficia, quæ nulli hactenus collata fuerant; illa, quæ extra Gallias poſſederant, non eisdem reſtituebantur, eoquod a Julio Eccleſiaſticis adeo potentibus conceſſa fuiſſent, ut eos offendere conſultum haud foret. Demum ita reſtitutos Papa violaceum habitum deponere juſſit, eosque ſacrorum rituum Magiſter Cardinalium veſtibus induit, impoſitaque cappa rubra eos ad pedis, manus, orisque Pontificii oſculum adduxit, quo facto illi ceteros quoque Cardinales, a quibus nulla hucusque ſalutatione dignati fuerant, deoſculabantur. Pontifex cuique eorum injunxit pœnitentiam, ut in qualibet ſeptimana (*) jejuna- Sæcul. XVI. A C. 1513.

Bembo l. 3. ep. 21.

(*) *Paris de Graſſis S. rituum Magiſter tum præſens inquit,* ſingulo Menſe.

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

jejunarent per unum diem durante totius vitæ curriculo. Post hæc Papa illos prandio refici curabat, ac postera die Cæsarem de tota rei serie certiorem faciebat.

§. CI.

Cardinales a Leone X. creati.

Ciacon. l. c. p. 337.

Paul. Jov. in vita Leon. X.

Aubery hist. Cardinal.

Ceterum Patres Sessionem octavam Concilii Lateranensis ad hyemale tempus prorogarunt, veriti, ne Episcopi a Synodi accessu æstivis caloribus prærepedirentur. Hoc temporis intervallo summus Pontifex quinque Prælatos Purpuratorum Senatui die vigesima tertia Septembris, vel juxta alios, prima Octobris adscripsit. Horum primus erat Laurentius Puccius, Florentinus, cujus familiæ Leo multa in acceptis referebat; non pauci enim ex ea pro Medicæis exilia mortemque perpessi fuerant. Titulum SS. quatuor Coronatorum sortitus est Puccius, qui etiam præter Albanensem ac Prænestinum Episcopatus, antea rexit Pistorienſem, Melfitensem, & Venetensem Ecclesias, ac idem subire quoque jussus est majoris Pœnitentiarii munus. Alter erat Julius de Medicis, itidem Florentinus, qui primo Rhodius Eques, demum Florentiæ Archiepiscopus Cardinalis renunciatus est, titulo S. Mariæ

Mariæ in *Dominica*, postea S. Clementis, ac denique S. Laurentii in Damaso: hic idem ad supremos Pontificatus apices evectus, Clemens VII. appellatus fuit. Tertius erat Bernardus Tarlatus ex familia minus clara (*) Florentiæ ortus, qui primo Episcopus Constantiensis in Normannia ac Laurentio de Medicis Leonis X. Patri ab epistolis erat, postea vero ab eodem Pontifice Cardinalis creabatur titulo S. Mariæ in Porticu. Quartus nominabatur Innocentius Cibo patria Genuensis, ejusdemque urbis Archiepiscopus, Leonis ex sorore nepos, S. Victoris Abbas, Massilienſis Episcopus, demum Cardinalis Diaconus tit. SS. Cosmæ & Damiani, mox S. Mariæ *in Dominica*. Denique quintus, Matthæus Langius de Wellenburg, natione Germanus, Gurcensis Episcopus, Cardinalis Diaconus tit. S. Angeli, Archiepiscopus Salisburgensis, ac Albanensis Antistes. Perperam Onuphrius eundem a Julio II. Anno Christi quingentesimo undecimo supra millesimum Cardinalium collegio adscriptum memo-

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Guicc. l. 11. *&* 12.

(*) *Ciaconius loc. cit. p.* 339. *inquit* ex clarissima olim apud Aretinos familia ortus. *Et Josephus Eggs in Purpura docta lib.* 3. *pag.* 368. *scribit*: illustri prosapia Bibienæ in lucem editus.

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

memorat; prima enim vice hoc titulo ornatus legitur in epistola hoc anno die quinta Novembris a Pontifice ad eundem scripta, imo Petrus de Angleria aliam quamdam refert epistolam trigesima Decembris datam, in qua Matthæus nonnisi Cardinalis *electus* nominatur, abs dubio, quod absens ad Cardinalatum vocatus esset. (*)

Bembo l. 5. ep. 32. Petr. de Angler. epist. 560.

§. CII.

Papa Venetos a Gallis abstractos Cæsari conciliare intentus.

Ceterum ex agendi ratione, qua Leo Ludovicum Regem habebat, sinceræ reconciliationis animus ei defuisse videbatur; nil enim intentatum reliquit Pontifex

(*) *Hanc controversiam optime conciliat Ciaconius, cum scribit.* Matthæus secreto Anno 1511. adscriptus fuerat inter Cardinales, & die Jovis decima octava Decembris eodem anno publicatus, ast ille Cardinalitias vestes deferre noluit. Regnante dein Leone X. die 20. Novembris anno 1513. urbem petens recusabat a Leone pileum Cardinalitium recipere, cum diceret, illum a Julio sibi missum olim recepisse: Cum tamen solemni ritu non fuisset ejus capiti impositus, decretum fuit, ut ad publicum consistorium, in quo receptus fuit, imponeretur.

tifex, ut Venetos a Gallorum fœdere abstraheret, eosque in Cæsaris gratiam reduceret: quinimo, ut votis suis potiretur, iisdem, nisi Cæsari accederent, nullam spem in Papæ præsidio repositam fore expositit, suis vero copiis præcepit, ut in Continentis ditionem ad Cardonnæ & Rocandolfi exercitum contenderent, priusquam vero jussa effectui darentur, rem cum Episcopo Gurcensi tum Romæ agente contulit, qui, ut fœdus maturaret, Pontifici literas solo Cæsaris Domini sui nomine subscriptas tradidit; similem quoque epistolam Respublica porrigere adstringebatur, ea tamen conditione, ut Pontifex hac super re inconsultis iis, quorum interest, nullam sententiam pronunciaret: Nec tamen Episcopus aliud in hoc negotio impetrabat, quam ut Papa inducias indiceret; Cæsar enim obfirmato animo Vicentiam tueri statuebat; eoquod hæc urbs Germanis opportunum in Longobardiam ingressum præberet; Veronnam quoque sibi reddi petiit, ibi enim copias, quas in Italiam mitteret, commode colligere poterat, nec non præter has alias quoque conditiones Venetis præscripsit, ac inter ceteras ut centum aureorum millia infra trimestre penderent, hujusque summæ tertiam partem eodem die, quo fœdus firmaretur, numerarent, & denique, ut

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

Sæcul. XVI. A. C. 1513. Respublica continentis ditionis, quæ eidem supereſſet, regimen beneficiario nomine ab Imperio denuo reciperet.

§. CIII.

Conditiones a Venetis rejectæ.

At Senatores, cum haud obscure prospicerent, quod tota continentis regio, si Vicentia, ac Veronna Germanis relinqueretur, utraque hac urbe velut finibus circumscriberetur, proin illam validis omnino præsidiis cum majori longe dispendio, quam proventuum commodo firmare opporteret, hinc duras adeo conditiones acceptare renuebant, unanimi suffragio decernentes, malle se, Rempublicam quibuscunque periculis, quæ ipsi impenderent, objicere, quam Germanis urbes ad Mincii & Athesis fluminum litora sitas relinquere. Magis adhuc Venetorum animos exulcerabat Rex Catholicus, qui Brixiam urbem quamvis altera post initum fœdus die eam Venetis reddere pollicitus esset, Cæsari tamen restituit; hic vero urbem haud alio pacto reddere voluit, quam novis conditionibus ab eo proponendis. Senatores, quod propria sua bona auro redimere compellerentur, vehementer indignati, nullas ultra sibi fœderis conditiones proponi patiebantur, ea potissimum ratione firma-

firmati, quod Helvetii, quibus tamen clam quadraginta aureorum millia dedissent, Mediolanensi Ducatu excedere renuerent, caussati, Tavannesii copias adhucdum in Provincia ac Delphinatu castra metari; præterea Venetorum animos erexit, quod Cardonna jam dudum nulla militum supplementa conscriberet, & Hispani pedites præda onusti potissimam partem relictis militiæ signis in patriam suam reverterentur; Pontificis vero legiones haud integræ essent, ac insuper Duce suo destitutæ; denique Cæsar nequidem quatuor ex viginti armatorum millibus, quæ promisisset, hucusque suppeditaverit. Prospero hoc rerum concursu Veneti sensim timore, quem ipsis Pontificis minæ incusserant, liberabantur. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. CIV.

Venetorum ditio usque ad eorum Metropolim ab Hispano exercitu devastata.

Verum paulopost Venetorum curas Fœderatorum expeditio longe vehementius augebat; hi enim promeritas a Republica pœnas poscebant, eoquod illa trecentis omnino annis Italiam continuo bello divexasset: Igitur Cardonna Germanorum peditibus, qui Veronnæ erant, accer- *Marian. l. 30 n. 97.*

Sæc. XVI. A.C. 1513.

accersitis copias eis suas adjunxit, trajectoque Brentsia fluvio, ad quem pervenerat, Margheram usque processit, quod oppidum est exiguum quidem ad Venetarum paludum oram situm, ex quo tamen Urbs Veneta libero oculo prospici potest, quapropter Prorex in eam aliquoties tormenta explodi jussit, quorum globi usque ad FF. Prædicatorum cœnobium nonnisi quarta leucæ parte ab urbe dissitum pertingebant. Hoc facto Hispanorum copiæ per urbis Regiones effusæ opimam ubique prædam colligebant, demum vero pluribus pagis deprædatione exhaustis, sese recipere meditabantur; verum non adeo expedita fugæ patebat via, quippe Senatores, cum inter cetera, quæ subditi perpessi essent, mala mitius fuisset communis vastitas, tantam insuper hostium ferociam indignati, Liviano præceperunt, ut ex tribus urbibus, quas sibi tuendas servabat, præsidia educeret, totoque impetu in Hispanos irrueret. Livianus semper certaminis impatiens collectis illico copiis Fœderatorum exercitum presso pede insequebatur: Ergo Fœderati, cum hinc toto itinere nil commeatus invenirent, illinc tam arcte ab hostium copiis, atque rusticis cingerentur, ut militum nemo sine periculo vel mortis vel captivitatis ab exercitu emitti potuisset, tunc primum agnoverunt, quod

quod in tantis rerum anguſtiis unice ipſis ſaluti fuiſſet, ſi prius ingentem annonæ copiam ſedulo collegiſſent. Sæc. XVI. A.C. 1513.

§. CV.

Livianus & Balionius a Hiſpanis cæſi.

Haud aliud Cardonna in promptu habebat conſilium, quam ut ad montana confugiens, inde per Atheſin averſo flumine Roboretum verſus contenderet, ac demum Veronam rediret. Ergo motis prima luce caſtris iter aggreditur; oportune etiam ad primum ſolis teporem denſiſſima dilabitur nebula, quæ Liviano hoſtilis diſceſſus notitiam aliquamdiu abſtulit: Eo tamen certius comperto, protinus copias educens, hoſti necdum duas leucas emenſo occurrit; unde die ſeptima Octobris uterque exercitus pari, tantaque pugnandi aviditate manus conſeruit, ut quis prior hoſtem provocaverit, ignoretur; primo quidem impetu Veneti equites adverſos equitatus ordines perrumpebant, ſed incauto periculi contemptu longius abrepti fuere profligati, quippe vix in conſpectu utraque acies erat, cum Venetorum pedites equitatus præſidio deſtituti pedem referrent, unde prælium, quod diu anceps fore credebatur, vix cæptum in diſſipationem totius exer- *Marian. l. 30 n. 98.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513. exercitus degenerabat. Communis adeo erat cæsorum clades, ut nonnisi Venetorum pauciſſimi victorum gladios effugerent, ſarcinis etiam, bellique tormentis Hiſpanorum arbitrio penitus relictis: In acie autem cæsa ſunt Venetorum peditum quatuor millia, quadringenti vero cataphracti interfecti. Capti ſunt Balionius, & Lauredanus Reipublicæ Proviſor & ægre admodum Livianus Patavium fuga contendit, nec Grittus ſecuritati ſuæ cautum exiſtimabat, donec Tarviſii propugnaculis exciperetur.

§. CVI.

Parta victoria Hiſpanorum progreſſus.

Marian. l. 30 n. 99. Accepto cladis nuncio Venetis opinione minor erat conſternatio, tantumque abfuit, ut Respublica Livianum erroris argueret, quin etiam ad eundem duos Senatores ceteris magis ſpectatos ablegaret, qui ſuam eidem prudentiam gratularentur, qua in tanto periculo conſtitutus, ubi totius exercitus exitio nil propius eſſe videbatur, ſaltem illius partem omnino indemnem ſervaſſet. Hæc tamen eadem dies, quo ſecundior Hiſpanis, eo magis funeſta Venetis accidit; ab illo enim tempore omnium nutabant animi, cunctaque victoribus victas dabant

dabant manus, nam Vicentini ultro Hi- Sæcul. XVI.
ſpanis urbis ſuæ portas aperiebant, ubi A.C. 1513.
Prorex aliquot dierum ſpatio copiis ſuis quietem, ac vires reficiendi copiam indulſit, & Arx Bergomenſis, quæ hucusque immota in Reipublicæ obſequio perſtitit, impetu facto Hiſpanorum armis ceſſit, qui tamen Paulum Balionium libertate donarunt, ea lege, ut ſacramenti religione fidem ſuam obſtringeret, ſe in captivitatem rediturum, ſi Veneti captivorum comutatione facta Alphonſo Carvajalo ab Epirotis, & Mercarino in Patavina obſidione capto libertatem reddere cunctarentur. Attamen Carvajalo in vinculis demortuo Balionius ad captivitatem reverti neglexit, illius morte a juratæ fidei religione ſolutum ſe exiſtimans. Denique Mediolanenſis arx poſt longam, eamque pertinacem obſidionem die vigeſima Novembris deditionem facere compulſa eſt, ac Cremonenſis quoque eodem pacto Hiſpanis ſubjecta fuit. Igitur Galli denuo ex Mediolanenſi Ducatu expulſi, totam Longobardiam victorum poteſtati relinquere cogebantur, ipſis non niſi unica Lanternæ arce relicta, quæ tamen Genuam urbem in officio continuit, ipſisque Genuenſibus permoleſta exſtitit.

§. CVII.

Secul. XVI. A. C. 1513.

§. CVII.

Fœdus Mechlinienſe Fœderatos inter & Angliæ Regem.

Guicc. l. 11. Dum hæc in Italia geruntur, Henricus VIII. Angliæ Rex cum numeroſo exercitu Franciam invadere parabat; Mechliniæ enim cum Fœderatis armorum ſocietatem inibat, quam Margaritha ab Auſtria Belgii Gubernatrix, cum Cæſaris Patris ſui, necnon Angliæ Legatorum auctoritate ſuffulta eſſet, die quinta Aprilis concluſit, ea lege, ut illa demum ab ipſo ſummo Pontifice, Imperatore, Regeque Catholico firmaretur. Erant autem hujus fœderis articuli. I. Trigeſimo poſt ſancitum fœdus die Fœderatorum ſinguli Galliarum Regi bellum nunciabunt, extra Italiæ fines inferendum, & quidem Papa in Provincia, vel Delphinatu, Cæſar in alio loco, Arragoniæ Rex in Bearnia vel Aquitannia, denique Anglus in Normannia, vel Picardia Gallos invadent. II. In omnes, qui huic fœderi obſiſterent, cenſuras feret Pontifex. III. Ad belli ſumptus Henricus VIII. centum aureorum millia trina ſolutione numerabit, nempe bello mox indicto, item eo inchoato, ac demum tertio poſt Menſe IV. infra unius Menſis ſpacium Cæſar, atque Angliæ Rex, poſt

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

post bimestre vero Papa, & Rex Arragoniæ fœdus ratum habebunt, addita hac conditione, ut fœdus si Leo ac Ferdinandus intra præscriptum tempus accedere negligerent, nihilominus illud Cæsarem inter & Angliæ Regem firmum persisteret. V. Denique, Fœderati cuicunque demum exceptioni nuncium mittent, præcipue vero illi, qua se non suo, sed procuratorio nomine fœdus sanxisse, obtendere possent. His articulis Londinum delatis, Carroz de Villaragud Ferdinandi Legatus die duodevicesima Augusti hæc pacta regiis literis firmavit, necnon die vigesima quinta ejusdem Mensis nomine Ferdinandi Arragoniæ Regis, ac Joannæ Castellæ Reginæ pollicitus est, quod ambo Principes hosce articulos integra fide servaturi essent.

§. CVIII.

In navali prælio Anglos inter & Gallos Anglicæ classis Architalassus occisus.

Priusquam Angliæ Rex instructo agmine Franciam invaderet, navale prælium, idque acerrimum committitur: Jam enim Mense Aprili Howardus navalis militiæ Præfectus cum triginta duabus bellicis navibus in altum procurre-

Mem. du Bellai l. 1. Argentre hist de Bretagne.

Sæcul. XVI. A.C.1513.

bat, Gallorum classe interea Brestiæ in anchoris hærente, ibidem quippe Commendatorem Pregeanum de Biduſio Aquitanniæ Nobilem præstolabatur, cui datum erat negocium, ut ex mediterraneo in Oceanum cum sex triremibus excurreret: Interea vero Anglicæ classis Dux Brestiam propius accessit, Gallorum naves, quæ in anchoris stabant, aggressurus, accepto tamen nuncio, Pregeanum jamjam Conquestum appulisse, velis mox obliquatis eo contendit, sex illas triremes subacturus. Ergo illas Anglus adoritur, cui Pregeanus licet viribus impar, invicto tamen robore restitit, usque dum prætoria Anglorum navis Gallicam Pregeani triremem, prora ad proram illisa, concuteret, illamque Howartus stricto ense ingressus, ingentem cladem ederet: nihilominus cum Pregeani triremis a Prætoria opportune sese expediret, Anglicæ classis Præfectus cum exigua suorum manu in triremi relictus, a Gallis quis esset, ignorantibus in mare per hastarum ictus propellebatur, cumque in hoc certamine vulneratus esset, paucis post diebus animam efflabat. Hujus morte comperta, Anglorum classis certamen prosequi minime ausa, in quemdam Angliæ portum sese recepit, novi Archithalassi, qui Thomas Howartus defuncti frater erat, adventum præstolatura.

Daniel hist. Franc t 2. in fol. p. 1900. Vie de Louis XII.

Interea

Interea Pregeanus in Surregiæ Provincia in Anglia exſcenſionem tentabat, ſed exigua præda auctum, indeque reducem quinque Anglorum naves inſequebantur, quæ demum altum tenere compulſæ in Britanniam venere, ubi milite in terram expoſito plura oppida incendio abſumpſerunt: Die vero decima Auguſti prope urbem S. Mahé Anglica octoginta navium claſſis in Gallicam, quæ nonniſi viginti navigiis conſtabat, irruit, ac dudum ingens utrinque globorum tempeſtas effunditur, donec tandem poſt pertinax cruentumque prælium prætoria Gallorum navis pulveris pyrii, qui ignem concipiebat, impetu in aerem jactata, deſcenſu ſuo Anglorum prætoriam disrumperet, ac demum aquis hauſtam deprimeret. Hoc funeſto eventu utraque claſſis territa ſe invicem ſeparabat. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. CIX.

Teruana ab Anglis obſeſſa.

Jamjam menſe Majo Angliæ Rex expeditionem in Franciam auſpicabatur, unde exercitus ſui partem Caletum transmiſit, die vero decima ſeptima Junii (*) reli- *Belcar. l. 14. Polyd. Virgil. l. 27. Baſel in addit. ad Naucler. Guicc. lib. 12.*

(*) *Marianna hujus urbis obſidioni nonniſi ineunte Menſe Auguſto initium fuiſſe datum teſtatur.*

Sæcul. XVI A.C. 1513.

reliquas copias inde movere jussit, quæ Salopiæ Comite, ac Herberto Nobili ductoribus, Teruanæ obsidionem inchoarent. Hanc urbem, ut cingeret, Henrico auctor fuit Imperator, qui eidem spem fecerat, quod hac urbe semel capta expeditum ad ceteras, quas olim trans mare Prædecessores ejus possedissent, aditum haberet, cum Galli utpote copiis destituti nequaquam timendi essent, proin ipsis ex Picardia in Normanniam descendere, ibique fidei sacramentum a subditis recipere, integrum foret. His permotus Angliæ Rex nonnisi trigesima Junii Caletum pervenit, comitantibus eum Thoma Volseyo primo illius Ministro, Carolo Brandone ejus cliente, aliisque Proceribus, cumque interea sui milites Teruanæ obsidionem strenue urgerent, ipse Caleti substitit, ad primum necessitatis eventum cum novem armatorum millium agmine succurrere paratus; quapropter certo edoctus, quod Longevillæ Dux, ut laboranti urbi opem ferret, advolaret, protinus Caleto profectus ad obsidentes contendit, ubi etiam secunda die Augusti advenit.

§. CX.

---

statur. l. 30. n. 94. Et Spondanus ad annum 1513. num 13. Teruanam Mense Julio obsessam fuisse narrat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

§. CX.

Imperator in Anglorum exercitu voluntariam militiam professus.

Die nona Augusti Cæsar Caletum advenit, octo equitum millibus, necnon numeroso Helvetiorum agmine stipatus, demum cum Henrico Rege Ariam inter & Teruanam colloquium habuit, tertio autem post die ad castra profectus est, sub Anglorum signis voluntariam militiam professus, Germanis minime obluctantibus, quod totius Germani corporis Caput sub Insulano Rege militis gregarii officio fungeretur, atque Angliæ Rex non modo Cæsarem ad tam indignum obsequium (*) induceret, sed etiam ad

(*) *Hæc perperam in Cæsareæ dignitatis ignominiam a Belcario conficta esse, ceterorum auctorum silentio comprobatur, quæ si forte circumforaneus nunciorum propola in suis pagellis scripsisset, certe censoria virga perstricta, ac subducta fuissent. Rem longe aliter narrat Palatius, dum in vita Maximiliani Cæsaris fol.* 248 *hæc scribit:* Henricus VIII. Teruanam urbem obsidione cingit, ad quam Cæsar cum pulcherrimo equitatu profectus, suo nutu & imperio

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

ad conscribendos Germanos milites nominaret Commissarios, qui nonnisi ab Henrico dependerent. Idem quoque Rex sæpius repetito sermone objectabat pecuniarum summam, quam Cæsari eo fine numerari permisisset, ut integro trimestri necessaria ei suppeditarentur, ac præcipue singulis diebus centum aurei in mensæ ipsius sumptum solverentur.

§. CXI.

Sex armatorum millia ab Helvetiis Gallorum Regi denegata.

Totus Anglorum exercitus, additis Cæsareis copiis, facile quinquaginta armatorum millia recensebat. Sub idem tempus Ludovicus Galliarum Rex Trimollium ad Helvetios ablegavit, ut ex eorum Pagis sex ejusdem nationis millia conscribi peteret, facta pollicitatione, eos extra regni fines nunquam in aciem educendos fore. Ergo Trimollius Lucernam, ubi Helvetii sua agebant comitia, contendit, omnesque eloquentiæ suæ fontes exhausit, ut hanc nationem ad suppeditandas hasce militum suppetias induceret,

imperio bellum administrabat, quod belli sciens, & locorum gnarus esset. *Quæ autem causa ad tam indignam calumniam bilem moverit, patet ex §. CXIV.*

duceret, hancque ob rem in amicos, quos ibidem numerabat, dona profusa manu effudit: nihilominus Helvetii a Novarrensis prælii tempore Gallos adeo nihili faciebant, ut eis in omnibus repulsam darent, nec Trimollius omni, qua pollebat, auctoritate plus impetrare poterat, nisi ut Helvetii, priusquam illa sex armatorum millia conduci permitterent, eidem binas præscriberent conditiones: quarum prima erat, ut Franciæ Rex cunctis suis juribus in Ducatum Mediolanensem rite ac valide renunciaret. II. Cum summo Pontifice ea lege, quam Sanctitati suæ præscribere libuerit, in gratiam rediret. Incassum Trimollius ejusmodi leges nonnisi hostibus ad internecionem deletis imponi posse replicabat; sed surdas ubique pulsabat aures, utque verbis parcerent Helvetii, Trimollio album commonstrant, in quo viginti quinque suorum millia erant descripta, proxime per Burgundiam in Gallias irruptura, dum interea Germani per Campaniam, & Angli per Picardiam idem regnum infestis armis invaderent.

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. CXII.

Galli Teruanæ urbi suppetias veniunt.

Hac repulsa Ludovicus Galliarum Rex

Sæcul. XV. A. C. 1513.

ad tantas redigebatur anguſtias, ut ſuis nonniſi copiis Teruanæ urbi auxilium ferre poſſet. Equidem Crequyus de Ponte-Remigio vir nobilis huic civitati imperabat, ſed præſidiariorum numerus obſidentibus longe impar erat. Acceſſit tamen, comperta Teruanæ obſidione, Telignius Rutenenſis Provinciæ Seneſcallus, qui ad tuendos Picardiæ fines, ſi forte Carolus Archidux Cæſaris vexilla ſequeretur, expeditam militum manum ducebat. Hic ergo nullo ſuorum diſpendio, urbem ingrediebatur: Rex quoque in Picardia triginta circiter armatorum millia contraxit, ſublata majorem numerum colligendi facultate, eoquod Burgundiam, Belgiumque adverſus Helvetios, qui utramque Provinciam invadere minitabantur, tueri compelleretur. Interea obſeſſi invicto robore oppugnantium impetus ſuſtinebant, jamque integrum menſem obſidio tenebat; cum vero Regi nunciatum eſſet, quod urbs non modo bellici apparatus ſed etiam annonæ penuria ſenſim laboraret, proin ob famis violentiam civibus deditionis periculum immineret, protinus Amblanum contendit, ac Franciſco Halluino de Piennes Picardiæ Gubernatori negotium dedit, quatenus ipſe copiis præeſſet, nilque intentatum relinqueret, ut commeatum urbi inferret, ſollicite tamen prælii diſcrimen

Pont de-Remy

crimen declinaret. Id ægerrime ferebant Longevillæ Dux ac Palisius, qui non nisi inviti Piennesio morem gerebant, eoquod ille pauloante horum imperio subjectus, haud alio meritorum suffragio eorum Bellidux esset, quam quod in Picardia bellum gereretur. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. CXIII.

Annona, bellique apparatus urbi illatus.

Interea Piennesio tam commeatus, quam belli instrumenta large & hospitaliter ex Picardia advehebantur, injunctumque Fontrallio, ut octingentos equites duceret, eorum vero singuli equis suis pulveris pyrii saccum, mediamque porci sale aspersi partem superimponerent, urbemque ingressi, denuo prope Guinegatam ad exercitum redirent. Fontrallii ausibus secundus arrisit eventus, ejusque facinus longe audaciissimum hostis quidem obstupuit, brevi tamen severius castigavit.

§. CXIV.

Gallorum exercitus ab Anglis, Germanisque cæsus.

Vix enim Fontrallius ad exercitum revertebatur, cum Angli pugnam parare

Secul.XVI. A.C.1513.

rare viderentur. Galli solo hostium aspectu perculsi vario tumultu cuncta turbabant, ac terrore in castra effuso confestim quamplurimi, iique milites strenui extra prælii aleam ponebantur, adeo, ut Longevillæ Dux ac Palisius ægre exiguum cataphractorum agmen ad pugnam ducere valerent; unde vix prælio datum erat initium, cum jam Galli una omnes laxis equorum habenis præcipiti fuga dilaberentur, nulla eos colligendi spe relicta: præcipui tamen Belliduces potius mortem oppetere, quam adeo propudiosum suorum exemplum sequi mallebant. Horum e numero erant Longevilla, Bayardus eques, Fayetta, Bussy de Ambasia, præter nonnullos alios generis nobilitate magis conspicuos. Initum est hoc prælium prope Guinegatam die decima octava Augusti, & a nonnullis *Calcariorum* pugna dicitur, „ eoquod, „ inquit Mezerayus, Galli magis calcari„ bus ad fugam, quam armis ad pugnam „ uterentur. „ Accepta clade Rex imperii Piennesio commissi errorem deplorans, eidem Engolismi Comitem subrogabat, præcipiens, ne quicquam inconsultis Belliducibus militari experientia clarioribus aggrederetur, ac vitæ suæ, regnique saluti impensius consuleret.

Mem. du Bellai l. 1. Hist. du Chevali Bayard. c.57

Mezer. abreg.chron. t.4. p.198.

§. CXV.

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. CXV.

Capta Teruana, Tornacum ab Anglis obsessum.

Verum hæc cautela sera nimis erat; obsessi enim, peracto prælio, omnis auxilii spe destituti die vigesima secunda Augusti urbis deditionem fecerunt, quam Angliæ Rex, comitante eum Cæsare, die vigesima quarta ejusdem Mensis victor ingrediebatur, cumque inter eos de urbis imperio (*) contentio oriretur, Anglorum exercitus arcem, propugnacula, atque mœnia solo æquavit. Ceterum tanta erat hujus victoriæ amplitudo, ut æstate nondum adulta victoribus liber ad Parisiensem urbem aditus pateret, cumque illa hostium impetus sustinendo impar esset, Galliarum Rex victricibus Fœderatorum armis adeo terrebatur, ut mox comperto siniſtro prælii eventu, sine ulla omnino mora lectica vectus, cum podagræ doloribus premeretur, urbe excederet, ac fugæ suæ quietem nonnisi Blesæ indulgere valens, inde quantocius Ambasiam

(*) *Mirum sane, quod Cæsar, si nonnisi gregarius Regis Angli miles fuisset* (vide §. CX.) *jam de supremo urbis dominio cum suo Principe contendere ausus fuerit. Ita sibi raro fingendi libertas constat.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

basiam contenderet. Verum minus necessaria erat hæc securitatis sollicitudo; Cæsar enim Henrico Regi auctor erat, ut Tornacum obsideret, idque decretum fuit, quamvis hujus urbis expugnatio minus Angliæ Regi, quam Carolo Archiduci hoc pacto ditionem suam firmanti proficua videretur. Cunctis interea ad parandam obsidionem intentis, Henricus Margaritam Belgii Gubernatricem, tum Insulis agentem visum ibat, ibidemque biduo morabatur, additque Mariana, *Cæsar quoque ad eam urbem accessit, Anglum invisurus, deinde Carolus Austriacus Insulas mox inde concessit, de rebus magnis colloquio* adversus Gallos *instituto*; tandem vero Angliæ Rex ad exercitum suum, qui Tornacum movit, reversus est. Sub idem tempus Imperator ab Henrico discessit, quæ tamen fuerit offensionis caussa, ignoratur: Postea autem die decima quinta Septembris Anglorum exercitus Tornacum cingebat, urbemque post septem vel octo dierum oppugnationem, Henricus die vigesima quarta ejusdem mensis victor ingrediebatur, ac Episcopo fidei sacramentum exsolvere renuente, hujus Ecclesiæ administrationem Volseyo committebat. Ceterum deditionis legibus cautum erat civibus, ut juribus suis vivere permitterentur, datis duntaxat clientellæ nomine quotannis quatuor

Marian. l. 30 n. 94.

quatuor librarum Turonenſium millibus per continuos decem annos ſolvendis. Sæc. XVI. A.C. 1513.

§. CXVI.

Margaritæ & Caroli Archiducum ſalutatio Henrico VIII. reddita.

Altera poſt Henrici ingreſſum die, Archiduces Margarita, & Carolus ejus nepos Tornacum venerunt, Angliæ Regi partæ victoriæ gloriam gratulaturi. Henricus quindecim omnino diebus, quibus eorum præſentia fruebatur, nil eorum prætermiſit, quæ ad utriusque oblectamentum, ac moræ jucunditatem conferrent; agebantur enim ludricæ equitum pugnæ, haſtiludia, celebres choreæ, equeſtres ad annulum trajiciendum decurſiones, aliique omnis generis ludi. Vix Archiduciſſa ac Carolus Inſulas revertebantur, cum ecce! Henricus viciſſim eos officioſa ſalutatione honorat, ſumma lætitia exceptus, ubi omnium honorum ſignificationes cum ſumma animi teneritudine ex æquo certabant.

§. CXVII.

Novum fœdus Inſulis ſancitum.

Præterlapſis aliquot diebus iidem Principes die decima ſeptima Octobris fœdus

Sæcul. XVI A.C.1513.

dus utrinque firmarunt, in hanc sententiam, ut Henrico, quandocunque libuerit, in Regnum suum cum exercitu reverti integrum esset, Cæsar vero toto hyemis tempore in Hannonia, & Artheſia cum quatuor equitum, & sex peditum millibus subsisteret, eique ad alendas hasce copias ducenta aureorum millia diverso tempore solvenda suppeditarentur, ac demum Henricus exeunte Mense Majo anni sequentis victricia sua arma in Aquitanniam vel Normanniam, Cæsar vero in aliam quamdam Provinciam circumferrent; Margarita autem, & Carolus Archiduces, Angliæ Rex, unacum Catharina de Arragonia conjuge sua, ac Maria eorum Filia, priusquam decima quinta Maji dies illuceſceret, Caletum venirent, ubi Archidux cum Maria, Regia Henrici filia, solemni ritu nuptias celebraret. His ita firmatis Angliæ Rex die decima septima Octobris Insulis profectus, vigesima quarta ejusdem Mensis Richemundiam in Anglia ad Palatium suum pervenit, illusus a Papa, Cæsare, & Arragoniæ Rege, qui belli molem singulis quatuor communem in solius Angli humeros exonerabant, nullo ferme illius emolumento; cum Teruana solo æquata, & Tornacum rebus ejus minus opportunum esset, solusque Volseyus Episcopatum, ac pinguem S. Amandi Abbatiam aucupatus,

tus, hujus expeditionis fructum reportaret. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. CXVIII.

Helvetiorum irruptio in Burgundiam.

Adeo siniſtro hujus belli ſucceſſu Ludovici XII. res in peſſimo loco erant, mediocriter tamen ab adverſantis fortunæ invidia ſeſe laceſſitum exiſtimaſſet Rex, niſi ad malorum cumulum acceſſiſſet imminens totius Franciæ perdendæ periculum; Helvetii enim Gallis ex Mediolano depulſis Regnum Gallicum hoſtilibus armis invadebant, rati, quod illud tempore nunquam magis opportuno vaſtationibus exſcindendum foret. Ergo a Papa (*) ac Cæſare ſtimulati collectum viginti quinque, aut juxta alios Scriptores, nonniſi viginti armatorum millium exercitum in interiores Burgundici Comitatus ditiones effundunt, ipſo Cæſare Helvetiis promittente, quod & ipſe cum ſex equitum millibus in eandem Provinciam irrupturus eſſet, quamvis nonniſi Udalricus Wirtembergenſis Dux cum duobus equitum millibus acceſſiſſet. Hæ copiæ, cum jamjam ad ipſos Burgundici Ducatus fines penetrarent, in totam quoque

(*) *Vid. infra annotationem §. CXXVI.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

que Provinciam tantum terrorem extendebant, ut Galli iisdem, quibus jam toties ab Anglorum armis opprimebantur, malis denuo exponi pertimescerent, quocirca Rex Trimollium hujus Provinciæ Gubernatorem revocavit, ut sese rapido hostium torrenti objiceret, quamvis ad tuendam hanc regionem nonnisi Lancearii mille, peditumque sex millia præsto essent: Unde probe conscius erat, si exiguam hanc suorum manum in plures urbes partiretur, fore, ut ejusmodi præsidiis vi abstractis Helvetii, cum a tergo cuncta tuta haberent, nullo negotio Parisios usque victoriæ cursum protenderent. Hac ratione permotus, Divione sese inclusit, ac sub urbis hujus ruinis tumulum sibi seligere paratus, reliquam Burgundiæ partem hostium arbitrio reliquit.

§. CXIX.

Divio ab Helvetiis obsessa.

Belcar. l. 14. Igitur Helvetii Mense Septembri ad medium vergente Divionem cingunt, fossasque circum urbem obsidionales ad exactas artis militaris leges ducunt; cum vero mœnia pene diruta essent, urbs haud diuturnæ oppugnationi par esse videbatur, eo potissimum nomine, quod hostilium tormentorum vi jamjam magna muri

muri pars dejecta, cunctaque ad impressionem parata essent; opportuno tamen tempestatis beneficio factum, ut ineunte Octobri pluviæ accessum nimis lubricum redderent; quapropter irruptionis discrimen in aliam diem differre decretum. Ast ubi Helvetii intelligebant, quod Cæsar ulterioris moræ, qua Angliæ Rex jussa dare cunctabatur, pertæsus cum exiguo suorum comitatu recessisset, ac nonnisi ad interiora Germaniæ perveniens substitisset, hinc illi segni duntaxat brachio obsidionem urgebant, reliquum temporis spacium colloquiis cum Udalrico Duce habitis terentes. Trimollius interea comperto Cæsaris discessu, ejus absentiam in rem suam vertere satagebat, cumque per Divionis jacturam non modo Burgundiam, sed totam quoque Franciam extremo periculo exponi prospiceret, ut tantum malum averteret, muneris sui esse arbitrabatur: unde haud expectato Regis mandato, quod forte nimis tardum pertimescebat, consilium excogitavit, quo etiam feliciter hanc Provinciam ab exitio exemit. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. CXX.

Fœdus inscio Rege cum Helvetiis a Trimollio initum.

Ergo cum Helvetiis de concordia agit, sancitisque aliquibus articulis polli-

Sæcul. XVI. A.C. 1513. cetur, se illis, si ab obsidione cessarent, quadringenties aureorum millia numeraturum, cujus etiam summæ viginti millia quantocius exsolvit, residuæ vero partis sponsores oppidodivites dedit. Equidem Udalricus, ejusque Belliduces huic negotio vehementer obluctabantur, ast silere jussi sunt; quippe Helvetii illorum rationibus post Cæsaris discessum, quem fugæ loco habebant, minime cedebant, sed cum Trimollio inducias paciscebantur: Promissæ autem pecuniæ sponsores nominabantur Ludovicus Andegavensis, Mezierius, Franciscus de Rupifortio Franciæ Cancellarii frater, necnon quatuor Divionenses cives inter ceteros magis conspicui ad Helvetiorum arbitrium seligendi. Præterea Helvetii a Rege Ludovico postulabant, ut cunctis suis juribus in Mediolani & Genuæ Ducatus, necnon in Astæ Comitatum tam pro se, quam successoribus suis publico, eoque legitimo instrumento nuncium mitteret, atque eadem jura in Maximilianum Sfortiam transferret: Verum Trimollius cedendi facultate destitutus, postulatis acquiescere renuit.

§. CXXI.

Helvetii soluta Divionis obsidione recedentes.

Nihilominus vehementer hisce articulis Trimo-

Trimollius seſe oppoſuit, ita ut integra fide egiſſe, ab Helvetiis crederetur, poſtea tamen cuncta, quæ hi poſtulabant, quantum ad omnes apices conceſſit. Præterea Regis Domini ſui nomine pollicitus eſt, quod ipſe Piſanam Synodum reprobaturus, Lateranenſi autem Concilio adhæſurus eſſet. Aſt ambos hosce articulos, cum aliunde hæc res plurimum jamjam ad id deducta eſſet, promittendo, nullum ſubibat periculum. Ergo ad arbitrium, ac juxta leges ab Helveticis Belliducibus præſcriptas fœdus firmavit Trimollius. Eo facto, ac viginti aureorum millibus illico numeratis, Helvetii Divionis obſidionem ſolverunt, & expeditione ſua defuncti in patriam reverſi ſunt, ſecum vero abſtraxere Sponſores, qui tamen dextre fuga dilapſi ſunt, poſtquam nuntium acceperant, quod Galliarum Rex promiſſæ fidei adverſaretur. Sæcul. XVI. A.C. 1513. *Belcar. l. 14.*

§. CXXII.

Bellum Scotiam inter & Angliam.

Sub idem tempus Jacobus IV. Scotiæ Rex, qui inter Galliæ Fœderatos ſolus Ludovico conſtanter adhæſit, Angliam infeſtis armis invaſit, ut a Francia vires Anglicas nova expeditione averteret. Verum ab Anglorum exercitu & ipſe cæſus, die nona Septembris in prælii acie occi- *Buchan. hiſt. Scot. l. 13. Polyd. Virg. hiſt. Angl. lib. 27. Raynald. t. 20. an. 1513. n. 58.*

Seeul XVI. A.C.1513

occisus fuit. Haud magis speciosum Scotos ad bellum inducendi prætextum suo Senatui obtrudere poterat Jacobus, quam ut eidem exponeret, quod Galli avito fœdere Scotis uniti essent, proin ipse ad opem Franciæ ab Anglis bello pressæ ferendam, societatis legibus obstringeretur. Jam Henricus VIII. in Gallias irruperat, cum Jacobus copias suas contraheret, quin etiam die decima sexta Julii literas ad Angliæ Regem dederat, quibus justas, ut obtendebat ipse, querendi causas exposuit, bellumque nunciavit, nisi Henricus Gallis arma inferre desisteret. Equidem Henricus huic Epistolæ die duodecima Augusti respondit, Jacobus vero haud exspectato responso copias suas in aciem eduxit, atque etiam Norhamum occupavit. Attamen Surregiæ Comes, qui tum in Provincia Eboracensi agebat, recta in Scotos movit, & Jacobum, qui exercitum suum ad montis Tloudonis ima instruxerat, aggressus, hostem suum profligavit. Utroque exercitu inde recedente, Angli penes se victoriæ summam stetisse, nonnisi altera die cognoverant, postquam prælii aciem relictis omnibus belli tormentis, ipsis cessisse cernebant; ipsis tamen, ut haud diffitentur, hæc victoria quinque suorum millium dispendio stetit, Scotorum plusquam decem millibus desideratis. Præterea

Lesla hist. Scot. l. 8. Spon. ad an. 1513. n. 14. Paris de Grassis t. 4. p. 64.

terea Angli Jacobum Regem prælio occiſum eſſe referunt, & inter mortuos repertum ejus cadaver duobus ictibus perfoſſum, illudque ab eis in capſam plumbeam repoſitum ſepultura caruiſſe narrant, eoquod arma ſacrilega in Papam ferens anathemate perſtrictus fuiſſet: Scoti autem Scriptores contendunt, fuiſſe id corpus non Regis, ſed cujusdam Nobilis: Nunquam tamen Jacobus Rex ultra comparuit. In Regis locum filius ejus Jacobus V. ſesquiannum agens, in Regem coronatus eſt ſub tutela Margaritæ Matris ſuæ, quæ Soror erat Henrici Regis Angliæ; Hæc vero cum jam alteri viro nuberet, multos in Scotia tumultus excitabat. Sæcul. XVI. A C. 1513.

§. CXXIII.

Henrici VIII. preces pro obtinenda a Pontifice licentia corpus Scotiæ Regis ad Eccleſiam S. Pauli transferendi.

Paulo poſt idem Henricus Rex datis ad Papam literis ab eodem petiit, ut defuncti Regis corpus in ſacro loco terræ mandari, atque Londinum ad Eccleſiam S. Pauli transferri poſſet. Hanc in rem Leo diploma edidit, illudque Angliæ Regi transmiſit, ejusdemque preces hunc in modum expoſuit: „ Defunctus Sco-

Sæcul. XVI A. C. 1513.

„ tiæ Rex cum Henrico VII. pactum san-
„ ciebat, vi cujus ille promiſerat, quod
„ anathemate percelli, atque etiam per-
„ culſus haberi vellet, ſi initum fœdus
„ violaturus eſſet, cum vero inſuperha-
„ bita hac pollicitatione datam fidem
„ fregerit, pacemque perturbaverit, hinc
„ in perjurii pœnam Eboracenſis Cardi-
„ nalis atque Epiſcopus Julii II. Pontifi-
„ cis auctoritate munitus rite ac legiti-
„ me declaravit, quod Jacobus Rex re-
„ apſe excommunicationis pœnam incur-
„ riſſet, cujus tamen cenſuræ ſeveritate
„ te ille minime territus, in prælio oc-
„ cubuit, quin prius a vinculo, quo ir-
„ retitus erat, ſolutus fuiſſet. Nihilomi-
„ nus cum Regiam dignitatem ſemper
„ plurimi habeamus, & defunctum Sco-
„ tiæ Regem Henrico VIII. feliciter in
„ Anglia Regnanti ſanguine junctum fuiſ-
„ ſe noſcamus, hinc ad preces ejusdem
„ Regis, qui a Sede Apoſtolica demor-
„ tui Jacobi Regis corpus in locum ſa-
„ crum transferendi veniam petiit, præ-
„ primis ſerio perpendimus, nobis rela-
„ tum fuiſſe, idque ſat vero congruum
„ nobis videri, quod Jacobus Rex ante
„ obitum ſuum haud obſcura pœni-
„ tentiæ ſigna ediderit, quantum,
„ ſaltem in fatali eo, in quo tum
„ erat, ſtatu fieri poterat, hinc Angliæ
„ Regis precibus annuendum cenſemus.„

Expo-

Expoſita itaque hoc modo Regis petitione Pontifex ita proſequebatur: „ Hunc „ in finem Londinenſi, aut cuicunque „ alteri Epiſcopo, quem nominare Regi „ libuerit, facultatem concedimus, ut „ in veritatem hujus facti ea, qua par „ eſt, diligentia inquirere valeat, inſuper eidem defunctum Jacobum Regem „ a cenſura ſolvendi poteſtatem impertimur, dummodo prudenter credi poſſit, quod præfatus Rex ante obitum „ ſuum quædam pœnitentiæ ſigna edidérit: Decernimus tamen, ut hæc abſolutio non ad alium finem valida cenſeatur, quam ut defuncti cadaver in „ ſacratum tumulum reponi valeat. Inſuper præcipimus, atque Epiſcopo noſtram ad id concedimus poteſtatem, „ ut Henrico Regi quamdam imponat „ pœnitentiam, quam ipſe nomine defuncti Regis perſolvere teneatur. „

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. CXXIV.

Literæ Pontificis Angliæ Regi partam victoriam gratulantis.

Victoriam nuper relatam Henrico Regi Leo Pontifex gratulabatur aliis literis die undecima Octobris datis; *Nihilominus*, inquit Papa, *nobis permoleſtum fuit, tantum Chriſtiani ſanguinis effuſum fuiſſe, tum Chriſtianum Regem egregii ſane nomi-*

Bembo l. 4. epiſt. 79.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

nis ſororis tuæ Virum (Jacobum Regem intelligit) *Chriſtiani Regis ferro confoſſum cecidiſſe*, demum hortatur Henricum, ut arma ſua impoſterum in Turcas fidei Chriſtianæ hoſtes converteret. Haud æque præclarum Chriſtianæ pietatis ſpecimen edidit Cardinalis Eboracenſis; hic enim Romæ accepto hujus victoriæ nuncio ſacrum ſolemne in gratiarum actionem inſcio Papa celebrari juſſit, aſſiſtentibus etiam quinque Cardinalibus Anglicæ Nationi addictis. Rogabat Eboracenſis Paridem de Graſſis Piſauri Epiſcopum, ſacrorumque Rituum Magiſtrum, ut & ipſe ſolemnitatem hanc adiret, paraturus, quæ ſui muneris eſſent. Renuit tamen ille reſpondens: *Gratiæ non ſunt publice Deo agendæ, ubi ſanguinis Chriſtiani effuſio intervenit, quinimo exequiæ ſacræ pro animabus fidelium defunctorum celebrandæ ſunt: nunquam enim Romana Eccleſia ex ſacro ritu agit gratias Deo pro aliqua victoria niſi contra infideles reportata, exceptis Romanæ Eccleſiæ hoſtibus*, obduratis, ac excommunicatis: Rex autem Scotiæ his minime accenſendus eſt; licet enim adhæſerit Galliarum Regi Eccleſiæ hoſti, nunquam tamen in illum Julius II. Pontifex damnationis ſententiam pronuntiavit, qua tamen Joannes Navarræ Rex perculſus fuit. Vehementer quoque idem Paris obſtitit Maximiliani & Ferdinandi legatis necnon qui-

Paris de Graſſis in diariis apud Raynald. l.c. n. 59.

quibusdam Cardinalibus, qui pariter ob Venetorum cladem publicas gratulationes decernere ſtatuebant, *Respublica*, inquit Paris, *non fuit Romanæ Eccleſiæ hoſtis declarata:* Alii tamen ſacrum celebrabant, ſed non cum tanta ſolemnitate: Pontifex vero hac de re conſultus prohibuit, nequid ejusmodi deinceps a Cardinalibus fieret, quod non prius a Pontifice factum vidiſſent. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. CXXV.

Pax cum Cæſare, & Rege Catholico, & Ludovico Pontifici minus probata.

Ceterum Leonis Papæ conſiliis nil magis adverſabatur, quam pax, quæ Cæſarem inter & Regem Catholicum cum Ludovico Galliarum Rege agitabatur; Equidem haud ægre ferebat, Franciæ Regnum exteris armis graviter divexari, ut ſic Ludovicus nova irruptione Italiam turbare præpediretur: aliunde enim probe proſpexerat, hanc pacem nunquam firmatum iri, niſi ſaltem Ludovicus ſua in Mediolani Ducatum jura miſſa faceret, eaque in Ferdinandum Archiducem transferret; minime enim ignorabat, nuptias inter Renatam de Francia ſecundo genitam Ludovici Filiam, & Ferdinandum Archiducis Caroli fratrem

Sæcul. XVI. A.C. 1513

natu minorem conciliari, eoque vinculo inter ambos hosce Principes abs dubio amicitiæ fœdus conflandum, quod cum Ludovici juribus haud componi posset. Id unice adhucdum Pontificis animum erigebat, quod Ludovicus immota mente binas præscripsisset conditiones, quarum vi Renata tum nonnisi quatuor annos nata, donec viro matura esset, in Franciæ aula permaneret, & Ludovico integrum existeret Mediolani Ducatum recuperare, ac possidere, donec nuptiæ essent celebratæ: Minus tamen firmæ rationi innitebatur Pontificis fiducia; quippe Ludovicus, ne ab Angliæ Rege, atque Helvetiis opprimeretur, Cæsaris, Regisque Catholici favore summopere indigebat, quocirca quamvis ambas hasce conditiones exigere percuperet, nil tamen certius videbatur, quam quod dura necessitatis lege compulsus, ab eis tandem desisteret.

§. CXXVI.

Divionense Fœdus cum Helvetiis a Ludovico reprobatum.

Merito Helvetiorum vindictam metuebat Ludovicus, potissimum eo nomine, quod non modo pacta inter eos ac Trimollium Divione inita firmare renuisset, sed etiam per universam Europam

Memoires du Bellai liv. 1.

pam edito diplomate divulgaſſet, quod ipſe Burgundici Ducatus Gubernatori cum Helvetiorum exercitu fœdus ineundi facultatem minime conceſſiſſet, quinimo etſi forte conſenſiſſet, neutiquam tamen ſibi integrum fuiſſet, immotas Regni ſui Leges violare; cum enim jam decem omnino anni præterfluxiſſent, a quibus Mediolani Ducatus coronæ ſuæ adjunctus fuiſſet, nec ſe eum avellere poſſe ajebat: Præterea Sedis Apoſtolicæ nuncius Tiguri agens Helvetiis expoſuit, permagni ſua intereſſe, ut cum Galliarum Rege concordiam (*) denuo inirent; timendum enim, ne eorum pagi, ſi Regem ad Mediolanenſem Ducatum Auſtriacæ Domui cedendum armis compellerent, Auſtriæ Ducum ditionibus omni ex parte cincti, quorum plurimi olim Auſtriaco imperio ſubjecti erant, denuo eidem dominatui ſeſe ſubderent, ſi a Gallorum præſidio penitus deſtituti eſſent. Has ob cauſſas ſanioris ex hac natione partis ſententia eo abibat, ſedulo conſervandam eſſe Galliarum Regis gratiam, eidemque adhærendum: verum ceteri non modo ejusmodi conſilium rejiciebant, ſed Sæcul. XVI. A. C 1513.

(*) *Conſule ſupra* §. *CXVIII. ubi Helvetios*, ſtimulante ſummo Pontifice, *Burgundiam invaſiſſe, perperam narrabatur.* Vide etiam §. CXXVII.

Sæcul. XVI. A C. 1513.

sed etiam hos velut rebelles, ac patriæ proditores habebant, atque illos injuriis afficientes, eorum domos diruebant. Haud parum etiam illorum saluti timebatur, qui in datæ fidei pignus pro Francia apud Helvetios obsides manebant, quos inter duo erant Nobiles, ac quatuor Divionenses Cives. Plurimorum Helvetiorum opinio erat, Nobiles capite plectendos, cives vero suspendio necandos. Ludovicus hanc sævitiam indignatus, tempori tamen tum servire compulsus, ad redimendam obsidum vitam pollicitus est, se quadringentesies illa aureorum millia a Trimollio promissa numeraturum, atque insuper Helveticæ nationi ducenta nummum aureorum millia numeratæ pecuniæ, ac trecenta alia millia diversis solutionibus daturum, ac demum cum eis pro Mediolanensi Ducatu triennales inducias initurum.

§. CXXVII.

Obsidum mors ab Helvetiis decreta.

Verum hujus pollicitationis amplitudo Helvetiorum animos adeo non mitigabat, ut etiam in Obsides mortis sententiam pronunciarent, eisdem significantes, quod nil ipsis reliquum esset, quam ut sese ad supplicium disponerent; cum vero Trimollii fautores omnem, qua polle-

pollebant, auctoritatem impenderent, ut feralis sententiæ executio differretur, illi hujus moræ opportunitate tam dextre utebantur, ut obsides per caminum illius cubiculi, in quo clausi hærebant, fuga sibi consulerent. Helvetii horum fuga tantopere concitabantur, ut rursum omnia præpararent, quæ ad Burgundiam cum exercitu quinquaginta armatorum millibus valido depopulandam necessaria censebant. Verum summus Pontifex illorum furorem placare summopere conabatur, hancque in rem Bibienam Cardinalem, Virum inter ceteros rebus agendis maxime idoneum ad eos ablegabat, quin etiam Carpio Comiti, suo apud Galliarum Regem Legato, negotium dabat, ut Ludovicum ad concordiam cum Helvetiis ineundam induceret. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. CXXVIII.

Sessio VIII. Concilii Lateranensis, cui Ludovicus ejurato Pisano coetu adhæret.

Interea die decima septima Decembris Sessio octava Concilii Lateranensis celebratur, cui ipse summus Pontifex præerat, comitantibus eum viginti tribus Cardinalibus; intererat enim Gurcensis quoque Episcopus jam tum Cardinalis, unacum duobus illis, quos Leo nuper suæ

Conc. Labb. t. 14. p. 173. & 177. Spond. ad an. 1513. n. 17. Raynald. ib. n. 89. 90. & 98.

Sæcul. XVI A.C. 1513.

suæ dignitati restituit. Re divina ritu minus solemni per Archiepiscopum Dyrrachiensem peracta, Joannes Baptista de Gargiis Ecclesiasticus miles Ordinis S. Joannis Hierosolymitani sermonem habuit. Absolutis ceteris de more solemnibus Claudius Seyssellus, Massilienſis Episcopus, & Ludovicus Forbinus de Soleriis, Regis Galliarum Legati mandatum exhibebant, quo Ludovicus Rex eorum Dominus Pisanum coetum nonnisi conciliabulum nominat, illud rejicit, ac Lateranensi Synodo adhæret. Perlectæ (*) fuerunt hæ literæ in eadem Sessione a Thoma Phædra, quibus sua nomina apposuerunt Cardinalis Sanseverinas, Episcopus Massilienſis, & Dominus de Soleriis, hocque mandatum Corbeiæ die vigesima sexta Octobris hoc anno ratum habebatur per publicas ipsius Regis literas, quarum summa hæc est: *Multi Regi Galliarum firmiter & pluribus coloratisque rationibus persuadebant, se Pisani Concilii congregandi legitimam potestatem habere, ideo illud continuare Rex passus fuit, non quidem ut sanctæ Sedi Apostolicæ, quod absit, maculam inferret, sed prædictis consiliis inductus. Cum vero postmodum*

(*) *Integræ recitantur in responsione Patris Coeffeteau ad mysterium iniquitatis. pag. 881. & seq.*

modum Julio Pontifice vita functo, & Leone X. in ejus locum ad summi Apostolatus apicem assumpto, intellexerit, prætensum Pisanum Concilium tanquam minus legitimum, necnon omnia in eo gesta damnasse, & improbasse, fueritque per suam Sanctitatem tam per literas, quam alias diversimode paterne admonitus, ut a dicto prætenso Concilio recederet, & Lateranensi tanquam vero, indubitato, unico, & Oecumenico Concilio adhæreret, ipse Rex considerans, quanti sit in his & ceteris rebus omnibus summi Pontificis auctoritas, quam præsertim vitæ munditia, atque innocentia commendat, quæ sunt in præfato Domino nostro Pontifice perspicua; animadvertens insuper, quod per mortem præfati Julii, omnis odii & suspicionis materia est extincta, & quod nonnulli ex Cardinalibus prænominatis, necnon Imperator, qui prætensum Concilium Pisanum indixerant, jam illi renunciarint, & dicto Lateranensi inhæserint: Hinc est, quod nos præfati Ludovici Francorum Regis Procuratores ejusdem Regis nomine & mandato cum ea, qua decet, reverentia atque humilitate a prætenso Pisano Concilio penitus discedimus, illudque abjuramus, ac pure, & simpliciter Sacrosancto Lateranensi Concilio tanquam vero unico & legitimo adhæremus. Insuper promittimus, quod Rex Christianissimus nullum deinceps favorem huic Concilio quoquo pacto præstabit, quinimo quos-

Sæcul. XVI. A. C. 1513.

Sæcul. XVI A.C.1513.

quoscunque Lugduni vel alibi sub nomine hujus Concilii persistentes infra unum mensem proxime futurum abire faciet, & pertinaciter resistentes de facto ejiciet, & expellet, ac pro schismaticis habebit. Iidem addebant: *Christianissimum Regem facturum, quod sex Prælati & quatuor Doctores ex honoratioribus ex numero eorum, qui prætenso Concilio Pisano intervenerunt, destinarentur ad Papam, qui veniam & absolutionem a sua Sanctitate humiliter postulabunt, & Concilio Lateranensi tanquam vero & unico, tam suo quam aliorum adhærentium prædictorum nomine adhærebunt.*

Perlectis hisce literis, Marinus Caracciolus Protonotarius Apostolicus, & Mediolanensis Ducis in Synodo Orator, Papam supplex monuit, ne permitteret, ut Galliarum Rex in suis edictis atque mandatis sese Mediolanensem Ducem nominaret, cum is hunc Ducatum tantum usurpasset, Maximilianus vero Sfortia eundem nonnisi sacræ Sedis auxilio recuperasset; proin se ejusmodi usurpationi obluctari ajebat: Cui tamen Massilienſis Episcopus reposuit, hæc dubia alio loco ac tempore esse decernenda. Summus vero Pontifex respondit: *Omnia dicta transirent sine præjudicio.* Cunctis ita acquiescentibus demum Brandeburgensis, ac Montferratensis Marchionum

Collect. Conc. Labb. p. 183.

num mandata perlegebantur, quibus ambo se Lateranensi Synodo adhærere, palam profitebantur. Sæcul. XVI. A. C. 1513.

§. CXXIX.

Libellus supplex contra Aquensem Senatum Synodo porrectus.

Denique etiam quidam Synodi Procurator summo Pontifici libellum supplicem porrexit refertum gravioribus expostulationibus adversus Provinciæ Parlamentum, quod Literas Papæ auctoritate tam ex gratia, quam ex justitiæ debito decretas, saltem nisi illæ ex licentia ejusdem Senatus promulgarentur, exequi non concederet, necnon in Clericos, & Beneficia auctoritatem, quæ tamen ipsi minime competeret, sibi arrogaret; ejusmodi ausus dicuntur in hoc libello, *Profecto nihil aliud esse, nisi in sanctissimam Sedem, superbiam Sathanæ imitando, cervicem erigere.* Præterea Senatores in crimen vocantur, quod insciis locorum Ordinariis Ecclesias visitent, numerum in illis deservientium pro suo arbitrio minuant, fructus pro confecta Ecclesiarum reparatione detineant, causas spirituales audiant, partesque, etiamsi Episcopali ac Sacerdotali (*) præfulgeant dignitate *Paris de Grassis in Diacon. n. 5. apud Raynald. hoc an. n. 91.*

(*) *Libellus supplex, ut exstat in actis, habet: Cardinalatus.*

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

nitate, citent, & ne ad Sedem Apostolicam recursum habeant, prohibeant. Præter hæc plura alia ejusmodi accusationum capita in Senatum Aquensem conjiciebantur: Culpa tamen, quæ Romanæ Curiæ ceteris gravior accidit, erat, quod hi Senatores *damnatam Pragmaticam Sanctionem in eadem Provincia impudenter introducere, & observari faciant in Sedis Apostoliæ notorium contemptum.* Huic libello summus Pontifex respondit, ac approbante sacrosancta Synodo, priusquam anathema promulgaret, in hujus Parlamenti membra in libello designata comminationem decrevit, præcipiens, ut indictis censuris omnibus Ecclesiasticis, semetipsos infra trimestre spacium in Synodo sisterent.

Labbe Coll. Concil. t. 14. pag. 186.

Erant autem ex Parlamenti membris in hoc decreto nominati Bellomontius Præses, Petrus de Brandis, & Touffaint de Coriolis Consiliarii. Hos summus Pontifex, cum ejusdem juribus acrius adversarentur, velut ceteris magis seditiosos notabat, qui tamen hac agendi ratione unice Ecclesiæ Gallicanæ libertates tueri, ac *annexi* jus defendere conabantur. *Annexum* vocabant illud jus, vi cujus nulla Pontificis Bulla, Breve, rescriptum, mandatum Apostolicum pro conferendis Beneficiis, Jubilæis, Indulgen-

gentiis, dispensationibus in votis, aut ætate, denique nullæ omnino Literæ a Romana Curia, aut Avenionensi Legatione expeditæ in toto jurisdictionis suæ districtu absque Ecclesiæ Gallicanæ permissu seu approbatione, sive solito *Pareatis* ad effectum deduci possent. Hoc jus antiquitatis suæ epocham ab ipso Francicæ Monarchiæ exordio repetit, ac pluries a Galliarum Regibus confirmatum fuit, præcipue in Provincia firmiter stabilitum; ibi enim Status anno millesimo quadringentesimo octogesimo primo congregati, necnon supremus Senatus, antequam ibidem Parlamentum institueretur, anno sequenti decreverunt, nullas literas, quæ ab extera etiam spirituali jurisdictione emanarent, in hac Provincia in usum pertrahi posse, absque *annexo* hujus Curiæ superioris, quæ tum erat supremum tribunal, indicta pœna privationis bonorum temporalium. Hoc statutum fuit Cleri Procuratoribus denunciatum, & a Ludovico XI. Rege, cum adhucdum Provincia illius Regno esset unita, approbatum, atque regis Ludovici XII. & Francisci I. diplomate confirmatum.

Secul. XVI. A. C. 1513.

Vide Maussat Consil. Parlamen. Aquens. in suo libello, cui titulus: Recueil des titres & pieces touchant l'annexe, dont on a toujours usé en Provence.

Cum vero suprema Curiæ Romanæ auctoritas præfato jure haud parum labefactaretur, summi Pontifices nil intentatum relinquebant, ut ei usurpatæ ju-

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

risdictionis labem aspergerent, ac penitus, si possent, supprimerent, hinc etiam Julius Papa hujus juris possessionem Aquensi Senatui adimere moliebatur, occasionem nactus ex Arelatensi Præpositura, ad quam duo æmuli adspirabant, ex quibus unum, qui erat Archiepiscopi Nepos, nominabat Rex, alterum vero nomine Fatium de Santoriis Pontifex, cui erat a cubiculis, vi cujusdam specialis reservationis designabat. Hunc ultimum cum Parlamentum acceptare recusaret, summus Pontifex ejusmodi repulsam adeo molestе ferebat, ut Ludovico de Roche-Chouart, Pro-Legato Avenionensi præciperet, quatenus Bullam Pontificiam Parlamenti judicio submitti præpediret, totoque studio jus *annexi* penitus aboleri adlaboraret. Hæc lis conciliatore Melchiore de Seguirano cum Vice-legato composita est, absque tamen Parlamenti Aquensis præjudicio, quod in possessione juris permansit, addita solum ea clausula, ut *circa Beneficia annexum concederet partibus non vocatis, duntaxat ad capiendam possessionem, & absque præjudicio novæ probationis in possessorio;* Verum Franciscus Estaingius Avenionensis Pro-Legatus Roche-Couartil Successor huic concordiæ nuper initæ accedere renuebat, illumque ex Romanæ Curiæ jussu reclamasse conjicimus; unde illius

Recueil &c. ut supra p. 4. & 5.

illius pertinacia denuo litem ſuſcitabat, eo faciliori negotio, quod Ludovicus XII. aperto odio Julium Papam inſequeretur, atque hic, ut viciſſim indignationem ſuam vehementius effunderet, nil inauſum relinqueret. Quapropter Rex Provinciæ Parlamento in mandatis dabat, ut omnibus viribus impediret, ne Vice-Legatus ſua poteſtate in Provincia uteretur. Data eſt hæc Epiſtola Bleſi die vigeſima tertia Junii anno ſupra milleſimum quingenteſimo decimo. Sæcul. XVI. A.C. 1513.

Cum vero Leo X. Julii II. Succeſſor Gallos in Gratiam recepiſſet, Avenionenſi Legationi Cardinalem Claromontium Cardinalis de Ambaſia Nepotem præfecit, deditque literas ad Parlamentum, quibus Legato poteſtatis ſuæ *annexum* concedi poſtulavit. Attamen cum Magiſtratus contraria a Rege recepiſſent mandata, nec ea adhucdum eſſent revocata, reſpondebant illi, quod Papæ voto haud annuere poſſent, donec de Regis voluntate certiores fierent. Leo horum repulſa commotus, Mario de Peruſchis Concilii Lateranenſis Promotori præcepit, ut de Aquenſis Parlamenti audacia conquereretur, eoquod mandatorum Apoſtolicorum executioni obſiſteret. Paruit Promotor, exhibuitque prolixum libellum, in quo hi Magiſtratus atris depin-

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

guntur coloribus: Igitur requirente Promotore, atque ex ſententia ipſius Concilii ſummus Pontifex decretum, cujus ſupra meminimus, promulgavit. Cuidam Scriptori, qui non ita pridem hoc de argumento ſcripſit, in mentem venit, acſi huic decreto integer annus anterior fuiſſet adſcriptus; eoquod Breve Apoſtolicum, quo Papa Claromontii Cardinalis poteſtati *annexum* concedi petiit, datum eſſet die vigeſima quinta Septembris Anno milleſimo quingenteſimo decimo quarto, cum vero Papa literas, quibus cenſuras comminabatur, nonniſi poſt Parlamenti repulſam edidiſſet, annus Chriſti milleſimus quingenteſimus decimus tertius, diesque decimus nonus Decembris huic decreto appoſitus convenire haud videtur.

Mauſſac l. cit. p. 7. & 8.

Ceterum Papa, cum poſt Marinianenſe prælium relicto Cæſare Gallorum partibus accederet, cum Solerio hæc pacta inibat, vi quorum Parlamentum Sanctitati ſuæ publice deprecaretur, & a Cenſuris abſolvi efflagitaret, cunctisque, quæ in Papæ decreto, ut vocant, *monitorio* continentur, ſeſe ſubmitteret. Viciſſim Papa ſpondebat, ſe quosdam promiſſurum articulos, quibus jus *annexi* confirmatum eſſet, atque ex Pontificis conſenſu impoſterum ut antea Parlamentum hoc

hoc jure potiretur. Ergo Solerius Parla- Sæcul. XVI.
menti nomine a censuris solvi rogavit, A.C 1513.
atque in privato confessu Anno Christi millesimo quingentesimo decimo quinto mense Novembri absolutionem recepit.

§. CXXX.

Synodi Decretum de natura Animæ.

Post hæc illis, quibus nullum suffragii jus erat, e loco Concilii abire jussis, Episcopi mitris ac Pontificio habitu ornati retro post Cardinales Sedes suas occupabant: demum vero præsente summo Pontifice Joannes Gnesnensis Archiepiscopus Regis Poloniæ Orator conscenso suggestu clara voce decretum perlegit, a Papa approbante Synodo conditum contra quosdam Philosophos, qui asserebant, quod anima rationalis sit mortalis, ac unica detur in cunctis hominibus: idipsum tamen pugnat contra expressa Christi Domini verba in Evangelio S. Matthæi cap. 10. v. 28. dicentis: *Animam autem non possunt occidere*, necnon contra ejusdem S. Evangelistæ ibid. v. 39. & S. Joannis cap. 12. v. 25. verba, asserentium, *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; hinc jam in Concilio Viennensi sub Clemente V. definitum continetur: *Animam intellectivam non solum vere, per se, & essentialiter humani*

Labb. l. c. p. 187. & seq. Raynald. l. c. n. 92. Spond. ann. 1513. n. 19. & 20.

Sæcul. XVI. A C. 1513

mani corporis formam existere, sed etiam immortalem, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicatam. Omnem ergo, subjungit Pontifex: *Assertionem veritati fidei contrariam, omnino falsam esse decernimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus, omnesque hujusmodi erroris assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses seminantes, per omnia ut detestabiles & abominabiles hæreticos & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos, & puniendos fore decernimus. Insuper omnibus & singulis Philosophis in Universitatibus & alibi publice legentibus præcipiendo mandamus, ut, cum Philosophorum Principia, in quibus a recta fide deviare noscuntur, legerint, quale hoc est de animæ mortalitate, aut unitate, & mundi æternitate, ac alia hujusmodi, teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ manifestam facere, ac omni studio hujusmodi Philosophorum argumenta pro viribus excludere, ac resolvere.*

§. CXXXI.

Præcepta pro Studiis in Universitatibus.

Denique ut Pontifex omnem errandi occasionem præriperet, statuit, *ne quisquam de cetero in sacris Ordinibus constitutus in studiis generalibus, vel alibi publice*

Raynald. ad ann. 1513. n. 93.

lice audiendo, Philosophiæ aut Poesis studiis ultra quinquennium post Grammaticam ac Dialecticam sine aliquo studio Theologico, aut juris Pontificii incumbat, ut in his sanctis & utilibus professionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde infectas Philosophiæ, ac Poesis radices purgare, ac sanare valeant.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

§. CXXXII.

Pomponatii sententia de immortalitate animæ.

Ceterum horum Philosophorum errores, quos Leo X. in sua Constitutione damnabat, ex putido fonte Petri Pomponatii hausti fuere. Is Anno salutis millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo die decima sexta Septembris Mantuæ natus, postmodum Pauli Jovii in Philosophia Præceptor, eandem cum magna nominis sui laude Patavii tradidit: Cum vero Veneti in Fœderatos Principes bellum moverent, Bononiam sese recipere coactus, librum de immortalitate animæ in lucem edidit, in quo non modo ex sententia Aristotelis hominum animas post mortem interituras docebat, sed etiam probare conabatur, nullo rationis naturalis argumento demonstrari posse, eam esse immortalem, hancque doctrinam nonnisi sacris paginis ac Ec-

Paul. Jov. in elog. doct. c. 71. p. 164. Spond. ad ann. 1513. n. 20. Lucas Gauricus Schem. tract. 4. Martin Delrio disquis. magic. l. 1. c. 3. Theoph. Raynald. de bonis & malis libris. n. 43.

Sæcul. XVI. A.C. 1513.

clesiæ decisionibus inniti. Hoc libro latius divulgato sibi non paucos Adversarios accivit, quos inter Contarinus calamum suum in eum acuebat, ac nonnulli Religiosi hunc librum velut impietate plenum publice dilacerabant: adversus eos ergo se tuebatur Pomponatius, ipsumque Bembum Cardinalem causſæ suæ judicem constituebat. Hic in ejus libro, quod offenderet, haud reperiens, eundem sacri Palatii Magistro discutiendum tradidit, qui & ipse nil fidei Christianæ adversum ibidem contineri censuit, ab aliquibus tamen Pomponatius tanquam Atheus habebatur, alii vero ejus defensionem in se suscipiebant. Referunt etiam nonnulli, firmo tamen documento destituti, librum hunc de immortalitate animæ igni traditum fuisse, quod tamen sine ratione dictum videtur, eoquod secunda illius editio Inquisitorum permissu in lucem prodiisset.

§. CXXXIII.

Bullæ Pontificis in hac Sessione promulgatæ.

Labb. Conc. p. 189. & seq. Raynald. hoc an. n. 95.

Præterea in hac VIII. Sessione plures Pontificis Bullæ fuerunt promulgatæ, quarum prima ad Principes Christianos directa, eos ad pacem & unionem adhortatur, ut sic arma sua adversus Infideles verterent, cum hi graviora indies Chri-

Christianæ Reipublicæ damna inferrent: Præterea statuit, ut hæc Constitutio ad omnes Principes transmitteretur. Altera Bulla in Bohemorum favorem edita est; cum enim eorum hæresis indies altiores radices ageret, Papa eos ad Synodum venire rogabat: ut vero tuto accedere possent, hac Constitutione publicas securitatis literas eisdem concedebat, hujusque negotii curam Thomæ Cardinali, Strigoniensi Archiepiscopo & Apostolico hujus regni Legato demandabat. Denique Joannes Franciscus Taurinensis Episcopus tertiam recitavit Bullam de reformandis Curiæ Romanæ officialibus, contra quos Cardinales ad Papam graves deferebant querelas, eoquod pro expediendis concessi beneficii literis, aliisque cautis nimia expensarum onera imponerent: ut ergo ejusmodi abusus tollerentur, Papa hac Constitutione in transgressores anathema dixit, declarans: *Eos a nullo, nisi per Romanum Pontificem, excepto mortis articulo, absolvi posse, ita ut etiam ab officio, in quo deliquerint, prima vice ad semestre tempus sint eo ipso suspensi, si autem secundo erraverint, eodem officio, perpetuo careant.* Sæcul. XVI. A.C. 1513. *Labb. cit. p.* 191.

Denique statutum, ut omnes hæ Constitutiones in acie Campi Floræ affigerentur, quo facto Sessio nona ad annum Domini millesimum quingentesimum decimum quartum, ac nonam Aprilis diem indi-

Sæcul XVI A.C. 1513.

indicta est, quæ tamen urgentibus quibusdam rationibus ad duodecimam Aprilis, demum ad quintam Maji prorogata fuit, qua etiam die celebranda firmiter decernebatur.

§. CXXXIV.

Roberti de Guibe Cardinalis obitus.

Hoc anno Cardinalis Robertus de Guibe Romæ mortalitatem exuit, nunquam ultra in Ludovici Galliarum Regis gratiam reversus. Is erat Materna ex linea Nepos Petri Landasii, qui Britanniæ Duci in paucis carus, Nannete laqueo vitam finivit. Robertus Trecorensis, Nannetensis, ac Rhedonensis Ecclesiæ Antistes erat, & defuncto Francisco II. Britanniæ Duce, Annam Reginam Caroli VIII. conjugem comitabatur, atque a Ludovico XII. demum Romam legatus decernebatur, ut Gallorum res procuraret; verum cum Julius II. eum ad suas partes pertraheret, illumque Anno Domini millesimo quingentesimo sexto Purpuratorum collegio adscriberet, Ludovicus eundem omnibus Beneficiorum, quæ in Gallis possidebat, reditibus spoliavit.

INDEX

INDEX
TOMI XXXII.
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ
CONTINUATÆ.

A.

Accoltius, Florentinus in Cardinalem nominatur 215.
Achmetes a Selimo fratre suo occiditur 465.
Adornius Antonius Genuensi imperio exuitur 519.
Ægidius de Viterbio FF. Augustinianorum Generalis orationem pro solemni initio Concilii Lateranensis habet 397.
Agniadellanum prælium Venetos inter & Gallos 40.
Ægypti Sultanus Lusitanos invadit 20. ejus classis profligatur 21.
Albæ Dux Hispani exercitus Imperator Navarram invadit 450. Pampelonam obsidet, capitque 451. totam ferme Navarram occupat 453.

Albertus

Albertus Carpienſis Comes a Ferrarienſi Duce caſtigatur 228.

Albretus Joannes Navarræ Rex: illius Regnum a Ferdinando Rege Catholico invaditur 445. etiam ab Anglis divexatur 446. tranſitum Hiſpanis concedere rogatur 449. ab Hiſpanis hoſtiliter invaditur 450. Pampellona eidem eripitur 451. in Franciam fugere compellitur 453. tota pene Navarra ſpoliatur 453. an a Julio II. Papa fuerit excommunicatus? 454. a Gallis adjuvatur 458. horum ſuppetiis auctus Navarram recuperat 458. 460. a Pampellonenſi urbe Petrum Navarrum propulſat 461. denuo Regnum ſuum amittit. 462.

Albuquercius Almeidæ Proregis Succeſſor in Indiis 92. Goam nomine Luſitani Regis occupat 187.

Alidoſius Franciſcus Cardinalis, Papienſis Epiſcopus Bononienſis Archiepiſcopatus poſſeſſionem accipit 219. a Bononienſibus auffugere compellitur 222. de amiſſa Bononienſi urbe Urbinatis Ducem accuſat 223. ab eodem in platea occiditur 224.

Almeida Indiarum Pro-Regis Filius, Luſitanæ claſſis Præfectus Mauros profligat 21. ab eisdem trucidatur 23. ejus Pater glorioſam Filii mortem deplorari non patitur 23. idem Maurorum claſſem poſt Filii mortem diſſipat 90. eidem in Pro-Regis India-

Indiarum dignitate succedit Albuquercius 92. ejus obitus 187.
Alphonsus Manriquez Ferdinando Regi rebellis 17.
Alvianus, seu Livianus Bartholomæus Veneti exercitus Dux 502. ejusdem victoriæ in Mediolanensi Ducatu 503. cum suis copiis sese recipit 520. Veronam obsidet, sed obsidionem solvit 521. Patavii se includit, & Cardonam ad urbis obsidionem solvendam cogit 523. ab Hispanis cæditur 541.
Ambasianus Cardinalis nomine Ludovici XII. Galliarum Regis ad Cameracensem conventum ablegatur 6. nomine Pontificis, eo tamen inscio, subdole huic fœderi subscribit 12. hanc agendi rationem improbat Pontifex 13. accedit Cæsarem, eumque ad colloquium cum Galliarum Rege sollicitat 56. ejusdem indoles, & obitus 137.
Ambasianus Franciæ Mareschallus a Papa excommunicatus. Vide, *Calvimontius*.
Angli: anceps pugna inter eos & Gallos 544. Terouanam urbem obsident 547. Gallos profligant 553. Terouanam occupant, & Tornacum contendunt 555.
Anima, deciditur, quod sit forma corporis 583. de ejus immortalitate 585.
Annexorum jus a Provinciæ Senatu in odium Pontificis ad invenitur 578.
Antonius Ferrerius Cardinalis moritur 24.

Appellatio

Appellatio Venetorum ad futurum Concilium 36. huic ausui Papa obsistit 37. Cardinalium rebellium appellatio contra Pontificis citationem 247.

Arcilla Africæ urbs a Maurorum obsidione liberatur 16.

Argentinus in Cardinalem electus 215. moritur 298.

Arsenius Episcopus Monambasiensis a Græco Patriarcha Constantinopolitano excommunicatur 104.

Augustana comitia a Cæsare convocata pro obtinendis subsidiis 119. Ibidem Helianus Franciæ Orator contra Venetos perorat 120.

Augustinus Doctor Sectam Fratrum Bohemorum confutat 98.

B.

Badensis conventus in caussa Helveticorum Pagorum 115.

Badoeres a Papa rogatur, ut Venetos a Cameracensi fœdere averteret 13.

Balionus Paulus Veneti exercitus Dux 114. 520. ab Hispanis profligatur 541.

Bajazethes II. Turcarum Imperator moritur 465. a Selimo ejus Filio veneno necatus 465. Selimus Bajazethis successor. *ibid.*

Bayardus Eques Papam capere tentat. pag. 180.

Bendinellus Saulius natione Genuenſis in Cardinalem nominatur 215.
Bentivolii Calvimontium Mareſcallum ſollicitant, ut Bononiam ex inſidiis caperet, & Papam in captivitatem abſtraheret 169. in Bononiæ poſſeſſionem inducuntur 219.
Bohemi Fratres fruſtra Sectam ſuam vindicare moliuntur 97. a Ladislao Rege reſponſum minus propitium accipiunt 98. ab Auguſtino Doctore confutantur 98. contra eundem calamos acuunt. *ibid.* eorum errores refutantur 99. Papa eis ſecuritatis literas confert, ut ad Lateranenſe Concilium venire poſſent 587.
Borgia Petrus Cardinalis, ejus obitus 295.
Borgia Franciſcus Cardinalis moritur 295.
Bononia a Trivultio capta 218. 219. Bononienſes Pontificis ſtatuam diffringunt 221. Urbs a Fœderatis obſidetur 316. a Gallis liberatur 316. incaſſum cingitur 321.
Brixia a Venetis capta 323. rurſum a Gaſtone Fuxo Nemoſii Duce occupata 326. 327
Bugia a Petro Navarro expugnata 185.
Bulla Julii II. Papæ pro Synodo Romana 231. item alia contra Cardinales Piſani Conciliabuli Auctores 237.
Burgundia ab Helvetiis invaſa 559.

C.

Cajetanus Thomas de Vio, librum edit de auctoritate Pontificis & Concilii 377. ad Piſanos Cardinales hic liber tranſmittitur

titur 377. hac ſuper re Galliarum Rex epiſtolam ad Pariſienſem Univerſitatem ſcripſiſſe dicitur 379. Analyſis præfati libri 380.

Cameracenſe Fœdus, vide *Fœdus.*

Caraciolus Marinus titulum Mediolanenſis Ducis a Galliarum Rege uſurpari non patitur 576.

Caraffa Cardinalis, ejus obitus 294.

Cardinales quinque Pontifici rebelles Mediolanum ſecedunt 168. alii a Julio II. Papa creantur 214. Piſani Cardinales literas ad Papam, necnon ad Cardinales Romanos mittunt 238. a Pontificis citatione appellant 247. a Papa excommunicantur 261. conclave pro electione Leonis X. ingrediuntur 481. rebelles in Papæ gratiam recipiuntur 532. novi creantur 534.

Cardona Raymundus Pro-Rex Neapolitanus, Fœderatorum copiis præficitur 267. ad reprimendos Neapolitanos in Italiam venire jubetur 389. Pratum urbem occupat 424. cum Florentinis fœdus init 425. Medicæis favet 426. Parmam & Placentiam Mediolanenſium Duci reſtituit 480. Patavium obſidet, ſed obſidionem ſolvit, prius in Longobardiam movet 522. 523.

Carolus Archidux Auſtriæ, agitur de illius deſponſatione cum filia Henrici VII. Angliæ Regis 92. Inſulas venit 556. Henricum Angliæ Regem inviſit 557.

Carpienſis Princeps, de eo Ferrariæ Dux vindictam ſumit 228.
Carvajallus Cardinalis, Hiſpaniæ Legatus a Papa caſtigatur 18. Lugduno profectus mortuo Julio II. Romam ad conclave pergit 489. captus Piſas abducitur 490. inde vero ad Civitatem veterem defertur. *ibid.* prælegitur illius retractatio coram Patribus Concilii Lateranenſis 527. iidem huic Cardinali veniam concedi renuunt 531. eundem in gratiam recipiunt. pag. 532.
Catanenſis Epiſcopus, ejus cauſſa juſſu Papæ diſcutitur 17.
Cheriferi, initium hujus Imperii in Africa 284.
Ciamontius Franciæ Mareſcallus Venetos profligat, eosque ad ſolvendam Veronenſem obſidionem compellit 148. a Papa Julio II. excommunicatur 167. Bononienſium ſuaſu Papam capere molitur 169. Bononiam occupare tentat. *ibid.* Pontificem divexat, atque ad concordiam petendam compellit 173. hujus pacis articuli 175. fruſtra Mediolanenſi urbi ſuccurrere meditatur 196, Corregii moritur 199. Trivultius eidem in exercitus Gallici imperio ſuccedit 201.
Cibo Innocentius, patria Genuenſis creatur Cardinalis 535.
Cinthius Papæ innocentiam coram Galliarum Rege tuetur 528.

Ciocchi de Montibus natione Italus renuntiatur Cardinalis 214.

Clerus Franciæ Turonii congregatur 158. Articuli ibidem in odium Papæ proponuntur 159. Propterea a Pontifice anathemate percellitur 167. decreta ibidem condita ab Oecumenica Synodo irrita declarantur 441.

Colonienſes Theologi Reuchlino adverſantur 289.

Columna Joannes Cardinalis, illius vita & obitus 25.

Comitia Auguſtana a Cæſare pro obtinendis ſubſidiis indicuntur 119. ibidem Franciæ Orator contra Venetos perorat 120. Turonii celebrantur comitia contra Papæ auctoritatem 159. illorum Auctores excommunicantur 161. eorum decreta prorſus nulla declarantur 441.

Concilium Lateranenſe a Julio II. Papa adornatur 393. ad illud Toletanus & Hiſpalenſis Archiepiſcopi invitantur 395. eidem Synodo initium datur 396. pro illius initio ſolemni elegans oratio habetur 397. Seſſio I. 400. Miniſtri hujus Concilii nominantur 401. Seſſio II. 403. Seſſio III. 440. Seſſio IV. 443. Seſſio V. 476. nulla ibidem declaratur ſummi Pontificis electio, ſi eſt ſimoniaca 477. Seſſio VI. a Leone X. differtur ad vigeſimam ſeptimam Julii diem 495. præfixa die celebratur 496. Seſſio VII. 526.

Ibidem

Ibidem Cardinalium rebellium palinodia prælegitur 527. Seſſio VIII. in ea Galliarum Rex Piſanum Conciliabulum deteſtatur, & adhæret Lateranenſi 547. contra Parlamentum Provinciale querelæ deferuntur 577. decretum edit de natura animæ 583. ſtatuta pro ſtudiis in Univerſitatibus 584. varia decreta in hac Seſſione conduntur 584. 586.

Conciliabulum Piſanum II. a tribus ſeditioſis Cardinalibus contra Julium II. convocatur 227. Piſana urbs pro loco hujus conventus ſeligitur 228. huic cœtui Papa obluctatur 231. eidem aliam Oecumenicam Synodum legitimam opponit. *ibid.* ſeditioſi Cardinales ſua dignitate privantur 237. iidem apud Cardinales Romanos ſuam ſeditionem excuſare moliuntur 238. hanc in rem apologiam conſcribunt 242. quosdam convocati conciliabuli prætextus proferunt 244. contra Synodum a legitimo Pontifice indictam provocant 247. ſuo conciliabulo initium faciunt 250. Seſſionem I. celebrant 253. quædam decreta condere præſumunt 254. Seſſio II. 257. illius decreta 258. Seſſio III. 260. hujus conventus membra a ſummo Pontifice anathemate feriuntur 262. Florentini hoc conciliabulum diſſipare conantur 273. agitur de illo Mediolanum transferendo 274. Cæſar ſuis Prælatis inhibet, ne huic cœtui interſint

275. Mediolanum transfertur. pag. 277. Helvetii in hunc Ducatum irrumpunt, hanc Synagogam everſuri 278. Seſſio IV. 300. hi rebelles Papam citare præſumunt 301. Seſſio V. 306. ejus decreta 307. Seſſio VII. 364. Seſſio VIII. 366. in Pontificem ſuſpenſionis ſententiam pronuntiant 367. rebelles ſuum Conciliabulum a Principibus acceptari efflagitant, ſed repulſam ferunt 371. exitus hujus conventus 372. illum Ludovicus duntaxat ad terrorem Pontifici incutiendum acceptat 373. ab ipſo Rege improbatur 547.

Conclave pro electione Leonis X. 481.

Conclaviſtæ quædam privilegia ſibi confirmari poſtulant 482. 485.

Concordia urbs a Trivultio capta. 218.

Confæderati, vide *Fædus*.

Conſtantinopolis horrendo terræ motu concutitur 103.

Copis Cardinalis moritur 102.

Coſta Cardinalis, ejus obitus 27.

Crema Venetis reddita 431. ab Hiſpanis occupata 543.

D.

Divionenſis urbs ab Helvetiis obſeſſa 560. obſidione liberata 562.

Dorceſtriæ Marchio Anglici exercitus Dux Aquitanniam invadit 452. De Hiſpaniæ Rege queritur 454. in Angliam re infecta redit 457.

Duella

Duella per Conſtitutionem Julii II. Papæ prohibentur 150.

E.

Emanuel Luſitaniæ Rex bellum Mauris infert 14.

F.

Ferraria obſidione liberatur 66. a Papa & Venetis incaſſum obſidetur 157. 158. 177.
Ferrariæ Dux Cameracenſi Fœderi accedere rogatur 9. Papa ab eo quædam Eccleſiæ jura vindicare aggreditur 129. Dux ſe defendit contra Papam 131. Papa eidem bellum & anathema comminatur 132. ejusdem Ducatum invadit 145. recedente Pontificis exercitu Dux amiſſas urbes recuperat 146. Metropolis a Papa cingitur 157. Venetorum exercitum recedere compellit 158. Papa rurſum Ferrariam obſidere parat 177. Dux plures urbes recuperat, & Carpienſem Comitem caſtigat 223. 228. agitur de ejus reconciliatione cum ſummo Pontifice 415. Columnenſium ſuaſu Romam venit 417. cum iisdem urbe excedit 419. Ferrariam venit 420. mortuo Pontifice urbes ſibi ereptas recuperat 480.
Ferdinandus Arragoniæ Rex Cameracenſi fœderi accedit 4. Proceres adverſus eum queruntur 17. horum cauſſa a Papa Commiſſariis deputatur 18. Rex conjurationem in ſe conflatam diſſipat 19. Apuliæ

urbes occupat 47. litem habet cum Cæsare de administrando Castellæ Regno 72. Neapolitani Regni investituram a Papa accipit 153. summo Pontifici fidelis persistit 182. 184. Bugiam, & Tunetanum Regnum occupat 185. 187. juramentum de rite administrandis Regnis præstat 190. Papam inducit, ut Cæsari Mutinam redderet 199. Cæsarem a Gallorum studiis avertere conatur 208. pacem inter Papam & Franciæ Regem conciliare nititur 216. fœdus init cum Papa & Venetis contra Gallos 264. hoc fœdus ad dissipandum Pisanum Conciliabulum initur 266. Navarræ Regnum ambit 445. suppetias ab ipso Angliæ Rege hunc in finem accipit 466. artibus utitur ad occupandum hoc Regnum 448. pro obtinendo transitu quosdam Deputatos ad Navarræ Regem ablegat 449. Navarram cum exercitu ingreditur 450. Pampellonam obsidet, capitque 461. Navarræ Regem fugere compellit 453. totam ferme Navarram occupat *ibid.* eidem Angliæ Bellidux adversatur 457. Galliarum Rex Navarrenses adjuvat 458. Papæ consilium de Hispanis ex Italia pellendis subodorat 469. cum Ludovico Galliarum Rege fœdus inire statuit 471. Parmam & Placentiam Pontifici restituit 509.

Ferdinandus Friderici filius Neapolitani Regni spe a Gallis dejectus 459. ad perpetuos carceres detruditur 460.

Fercrius Antonius Cardinalis, ejus vita & obitus 24.
Fliſci Genuam Gallis tradunt 504.
Florentia, Medicæos Papa in hujus Ducatu poſſeſſionem rurſus inducere tentat 423. obſiſtunt Florentini. *ibid.*
Florentini Cameracenſi fœderi nomen dant 10. eos Papa bello invadere parat 270. id diſſuadet Petruccius 271. Piſanum Conciliabulum diſſipare moliuntur 273. ad Gallorum partes accedere rogantur 282. ſuos Legatos ad Regem & Fœderatos decernunt 283. fœdus cum Gallis innovare renuunt 335. a Papa plectuntur. 420. Medicæorum imperio Florentiam reſtitui recuſant 423. eapropter a Papa illis bellum indicitur 423. cum Neapolis Pro-Rege fœdus ineunt 425.
Florida Inſula detegitur 466.
Fœdus diverſorum Principum adverſus Venetos 4. Fœdus Cameracenſe 5. ejusdem articuli 7. huic fœderi Duces Sabaudus & Mantuanus accedere rogantur 9. etiam Florentini accedunt 10. firmatur fœdus 11. Papa nomen dare cunctatur 13. Veneti huic fœderi obluctantur 31. fœdus Papam inter & Franciæ Regem 69. fœdus Regis Catholici & Venetorum adverſus Gallos pro diſſipando Piſano Conciliabulo 265. fœderatis copiis Prorex Neapolitanus præficitur 267. ſuum exercitum Fœderati in aciem educunt 314. Bononiam obſident

316. soluta obsidione recedunt 322. a Fuxo invaduntur 336. prælium declinant 338. Ravennam recuperant 404. varias victorias de Gallis reportant 410. cum Angliæ Rege fœdus ineunt 544. Mechlinense fœdus. *ibid.* novum fœdus contra Gallos Insulis sancitum 557.

Forbinus nomine Galliarum Regis Concilio Lateranensi adhæret 530. detestatur Conciliabulum Pisanum 547.

Fregosii Genuensi imperio restituuntur 519.

Fuxus Gasto Bononiam obsidione liberat 316. prælium parat contra Venetos 326. eos cædit 327. Fœderatos ex Regis jussu invadit 336. Ravennam obsidet 340. irruptionem tentat 341. Fœderatos ad pugnam provocat 342. prælium cum iisdem committit 346. profligatur 347. in prælio occiditur 348.

G.

Gabriel de Gabrielibus Cardinalis moritur 297

Galli Venetos Agnadellæ profligant 42. Mutinam capere frustra tentant 197. a Fœderatis bello invaduntur 264. ab Hispanis cladem accipiunt 347. in Ravennatenses desæviunt 353. a suis Fœderatis derelinquuntur 361. eorum crudelitas pœna talionis castigatur 405. Mediolanensem Ducatum amittunt 411. auffugiunt. *ibid.* Pedemontium sese recipiunt 412. Venetis Cremam restituunt 431. ab Hispanis

ſpanis cæſi ignominioſe in Franciam redire coguntur 558. fœdus cum Venetis ineunt 492. illius articuli 493. Mediololanum occupant 505. ab Helvetiis cæduntur 513. inglorius eorum in Franciam reditus 518. Genua expelluntur 519. Mediolano propulſantur 520. ab Anglis ingenti clade proſtrantur 553.

Garzia a Mauris profligatur 188.

Genuenſes a Papa bello invaduntur 150. Papam & Venetos repellunt 252. eorum urbs ſeditionis ope Gallis redditur 504. Gallos urbe expellunt 519. Fregoſios reſtituunt. *ibid.*

S. Georgii Cardinalis, ejus vita & obitus 101.

Goa in Indiis per Albuquercium capta 187.

Guffierus, colloquitur cum Papa 513.

Guibe Cardinalis a Papa ad Trivultium miſſus de pace agit 225. ejus vita & obitus 588.

Gurcenſis Epiſcopus, vide *Langius*.

H.

Helianus Ludovicus Franciæ Legatus in comitiis Auguſtanis vehementer contra Venetos declamat 120. quam vim ejus oratio habuerit? 122. 126.

Helvetii ad Gallorum partes deſerendas a Papa ſollicitantur 115. in Mediolani Ducatum irrumpunt 146. re infecta revertuntur 147. Mediolanum invadunt, Conciliabulum Piſanum diſſipaturi 278. ad ſua redeunt 280. eos a Papæ obſequio Galliarum

rum Rex abstrahere incassum molitur 334. octodecim millia contra Gallos in Italiam irrumpunt 406. unacum Venetis Mediolanensem Ducatum invadunt 407. Gallos cædunt 413. strenue Sedem Apostolicam tuentur 432. Pontifici opem ferre promittunt 468. a Gallo incassum ad ineundum fœdus sollicitantur 472. a Papa pro conscribendis copiis pecunias accepisse dicuntur 510. Gallos profligant 513. Gallis suppetias ferre renuunt 550. in Burgundiam irrumpunt 559. Divionem obsident 560. cum Trimollio fœdus ineunt 561. Divionensem obsidionem solvunt, ac sese recipiunt 562. violata fide obsides Gallos trucidare meditantur 572. Burgundiam rursum invadere moliuntur, sed a Papa placantur 573.

Henricus VII. suam filiam Carolo Archiduci desponsare peroptat 92. morti proximus 93. moritur 94. ejus elogium 96. Henricus VIII. ejus filius defuncti successor 97.

Henricus VIII. Patri suo succedit 97. a Gallorum partibus secedere sollicitatur 117. fœderi adversus Gallos inito accedere rogatur 269. accedit 270. Gallis palam adversatur 329. Papa & Ferdinandus Rex illum contra Gallos concitant 331. Gallis adversatur 499. cum fœderatis pacisci tur 544. Gallos ingenti clade prosternit 553. Terouanam occupat 555. Tornacum obsidet 555. bellum contra Scotos gerit 563.

pro

pro occiso Rege sepeliendo in loco sacro Papam rogat 565. annuit Pontifex 566. eidem etiam victoriam gratulatur 567.
Hispani cunctas Apuliæ terras occupant 47. Bugiam & Tunetum expugnant 185. 187. a Mauris cæduntur 188. Gallos profligant 347. 458. Navarram occupant 453. 462. Venetos cædunt 539. 541. progressus Hipani exercitus post partam hanc victoriam 542.
Hochstratus Jacobus Reuchlino adversatur 290.
Howartus Angliæ classis Præfectus trucidatur 545.

I.

Jacobus IV. Scotiæ Rex Pisanum Conciliabulum rejicit 371. bellum cum Anglis gerit 563. Henricus VIII. pro ejus sepultura in loco sacro apud Papam deprecatur 565.
Infantadiensis Dux, rebellionis caput contra Ferdinandum Regem motæ 19.
Inquisitio, seditio ob eam a Neapolitanis suscitata 190.
Interdictum, ei Julius II. Papa Franciæ Regnum subjicit 375. Galli contra illud reclamant 376.
Joannes Antonius Cardinalis moritur 101.
Isualia Cardinalis, ejus obitus 297.
Julius II. Pontifex Venetos aggreditur 1. urbes ab eis ereptas recuperare molitur 2. Galliarum Regem ad ineundum fœdus contra

tra Venetos ſollicitat. 3. huic fœderi accedere cunctatur 13. cauſſam Procerum Ferdinando rebellium Comiſſariis delegat 18. Carvajallum Hiſpaniæ Legatum caſtigat 19. Sixtum Ruvereum Cardinalem creat 29. Venetos anathemate percellit 34. Venetorum appellationem declarat irritam 37. ejus exercitus totam Romandiolam occupat 45. Veneti ejus clementiam exorant 52. atque ab eo exaudiuntur 53. Patavium obſidet 61. fœdus init cum Galliarum Rege 69. diſſenſio inter utrumque ſublata 70. conſtitutionem edit contra duellantes 105. Venetos in gratiam recipit 108. obſiſtit Gallus 109. eos Papa a cenſuris liberat 111. Helvetios ad deferendas Gallorum partes ſollicitat 115. Hiſpaniæ Regem ac Cæſarem a Gallis avertere conatur 118. priſtina Sedis Apoſtolicæ jura contra Ferrariæ Ducem ſuſcitat 128. Duci anathema bellumque minitatur 133. Cæſar & Gallus contra Papam armorum ſocietatem ineunt 134. Pontificis conſtantia 135. defuncti Cardinalis Ambaſiani pecunias ſibi vendicaſſe, falſo accuſatur 141. copias ſuas adverſus Ferrariæ Ducem educit 145. Genuenſes irrito conatu invadit 150. re infecta recedere compellitur 152. Neapolitani Regni inveſtituram Ferdinando concedit 153. obluctatur Gallus 155. Ferrariam obſidere Papa decernit 157. cum Cæſaris Legato fœdus init 164. Clerum Gallicanum Pontificis auctoritati

ctoritati derogantem censuris perstringit 167. eidem a Gallorum Maresçallo insidiæ struuntur 169. Venetorum atque Arragonum Legatos ob dilata auxilia objurgat 172. pacem cum Ciamontio Gallo inire compellitur 173. pacis articuli 175. Ferrariam obsidere meditatur 177. Mirandulam cingit 180. a Bayardo Gallo ejus libertati insidiæ ponuntur 180. Mirandulanæ obsidioni ipsus assistit 193. vitæ periculum incurrit 194. 195. Mirandulam expugnat 196. in morbum incidit 197. Mutinam Cæsari restituit 199. cum Episcopo Gurcensi colloquitur 205. 207. 209. eum maximi habet 207. Genuenses clam invadere molitur 213. octo Cardinales creat 214. Cardinalis Papiensis necem vehementer dolet 224. falso de nece ejus jussu Cardinali illata accusatur 225. Robertum Cardinalem ad Trivultium pro concilianda pace decernit 223. rebelles Cardinales adversus eum Pisis Conciliabulum convocant 227. Papa convocationis nuntio terretur 231. aliam Synodum Romæ celebrandam indicit 231. calumnias ab hisce Cardinalibus objectas diluit 232. 233. Bullam edit contra tres Cardinales Pisani Conciliabuli Auctores 237. illos excommunicat 262. in gravem morbum incidit 263. cum Ferdinando & Venetis adversus Gallos fœdus init 264. promulgatur hoc fœdus 265. ejus articuli 266. belli initium a Florentiæ expugnatione duci censet

set 270. id dissuadet Petrucius 271. ob Ravennatensem pugnam timore perculsus 354. sed a Medicæo Cardinale animo erectus 355. Galliarum Regnum interdicto subjicit 375. pacis sancitæ pacta honesto obtentu eludit 391. anathema in Regem vibrare meditatur 391. sed ob Cardinalium preces id differt 391. Concilium Lateranense adornat 393. Toletanum & Hispalensem Episcopos ad illud invitat 395. huic Concilio initium facit 396. Ferrariæ Ducem in gratiam recipit 416. Ducem custodiæ dare meditatur 419. Florentinos plectit 420. Medicæis Florentiæ imperium restitui conatur 423. Florentinis bellum nuntiat 423. Gallos Genua pellere nititur 429. Bononiam revertitur 414. de Hispanorum cunctatione Papa conqueritur 431. rationes profert, ob quas Mutinam aliasque urbes retinendi jus habet 432. relictis Venetis cum Cæsare fœdus paciscitur 434. contra Venetos armorum societatem cum Cæsare init 438. an Papa in Navarræ Regem anathematis sententiam tulerit? 454. Bellum sacrum decernere, atque Hispanos ex Italia pellere meditatur 467. Helvetios ad suas partes pertrahit 468. Pisanis Cardinalibus veniam concedit 478. a propinquorum affectu alienus 479. moritur. *ibid.*

Justinianus Venetorum Legatus, ejus oratio ad Cæsarem 49.

L.

Ladislaus Bohemiæ Rex Picardos hæreticos repellit 97.
Langius Matthæus Gurcensis Episcopus a Cæsare in Franciam ablegatur 163. cum Ludovico Rege agit 164. Mantuano Conventui assistit 205. a Pontifice summo in honore habetur 206. 207. liberius coram Papa loquitur 207. Venetorum Legatum objurgat *ibid.* cum Cardinalibus, & Germaniæ Proceribus colloquium habet 208. pacem conciliat 212. ira commotus Bononia excedit 213. plena auctoritate a Cæsare instructus Romam venit 432. apud eum Papa de Hispanorum cunctatione queritur 433. quarumdam urbium recuperationi ipsus suffragatur 453. pacem conciliat Cæsarem inter & Venetos 436. Sfortiam in jure Mediolanensis Ducatus confirmat 442. Patavium obsideri suadet 524. Cardinalis creatur 535. Venetos Cæsari conciliare nititur 537.
Lateranense Concilium, vide *Concilium.*
Leo X. antea dictus Julianus Medicæus communi omnium suffragio in Papam eligitur 486. ejus elogium 487. nomen Leonis X. assumit 488. coronatur. *ibid.* suum Patruelem Florentiæ Archiepiscopum creat 489. a Julio Medicæo Patruele suo de adventu rebellium Cardinalium certior redditur 490. illos comprehendi jubet *ibid.* dubius hæ-

ret, cui parti ſua ſtudia addiceret 491. Conſtitutione edita Seſſionem VI. Concilii Lateranenſis prorogat 494. Gallos a Mediolanenſi Ducatu arcere nititur 506. Gallis adverſatur 507. Helvetiis pecunias pro conſcribendo milite miſiſſe accuſatur 510. ſed ſuam innocentiam vindicat 527. Cæſari favet 524. ridiculus timor Conciliabuli Piſani exploditur 525. rebelles Cardinales in gratiam recipit 532. Cardinales creat 534. Venetos Cæſari reconciliare nititur 536. ad preces Henrici VIII. corpus Jacobi Regis Scotiæ occiſi in loco ſacro ſepeliri concedit 565. publicas feſtivitates ob victoriam contra Chriſtianos relatam fieri prohibet 567. paci Gallos inter & Cæſarem obſtitit 567. Parlamento Provinciali anathema dicitur 578. decretum condit circa naturam Animæ 583. item aliud de ſtudendi ratione in univerſitatibus 584. Principes ad Pacem hortatur Picardis ſecuritatis literas concedit 584. Miniſtros Curiæ Romanæ emendari cupit 585.

Livianus, vide *Alvianus*.

Ludovicus XII. Galliarum Rex a Papa ad fœdus contra Venetos ſollicitatur 3. annuit Rex, ejusque Senatus 3. 4. cum dedecore nominis ſui Florentinis favet 10. bellum contra Venetos parat 33. Venetos profligat 42. ob relatam victoriam Sacellum B. Virgini conſtrui jubet 44. omnes Mediolani urbes occupat 45. in Gallias revertitur 59. fœdus

dus init cum Papa 69. dissensio inter utrumque sublata 70. arbitrum agit inter Cæsarem & Castellæ Regem 74. ei Maximilianus opem contra Gallos spondet 106. reconciliationi Papæ cum Venetis obsistit 108. Pontifici adversatur 134. Vicentiam occupat 136. fœdus novum cum Cæsare init 142. Papam ad revocandum diploma Ferdinando in Neapolis Regnum concessum compellere molitur 155. quosdam articulos contra Papam discutiendos proponit 160. cum Gurcensi Episcopo pacta init 165. incassum Mutinam occupare molitur 197. contra Hispaniæ Legatum queritur 217. Papa, Rex Angliæ, Cæsar, multique alii Gallis adversantur 329. 331. 332. Cæsar a Rege immodica postulat 333. Helvetios a Papæ obsequio abstrahere incassum conatur 334. Florentini cum Gallis fœdus innovare renuunt 335. Fœderatos invadi jubet 336. ad pacem a Papa obtinendam Conciliabuli Pisani eversionem præter alios articulos offert 358. Pisanum Conciliabulum ad terrendum Pontificem acceptat 373. ejus Regnum a Papa interdicto subjicitur 375. huic interdicto Rex obluctatur 376. Cajetani librum de auctoritate Pontificis Universitati Parisiensi confutandum committit 379. Pontifex Regem anathemate percellere minatur 391. copias suas ob Anglicum bellum ex Italia revocare compellitur 392. Navarræ Regi suppetias fert 458. in Fran-

ciam redire compellitur ab Hiſpanis cæſus 462. cum Hiſpanis fœdus inire molitur 471. diſſenſionem inter Principes Fœderatos ſuſcitare nititur 472. Helvetios & Angliæ Regem incaſſum ad ſuas partes pertrahere ſtudet 473. fruſtra Cæſarem ſibi devincire conatur 473. ægre fœdus a Venetis extorquet 475. cum Venetis fœdus init 492. belli expenſas ſuppeditare promittit 494. ipſus Mediolanenſem Ducatum armis recuperare ſtatuit 498. ſententiam mutat, ac eo Trivultium & Trimollium mittit 500. ob pecunias Helvetiis ſuppeditatas contra Papam queritur 528. Oratores ad Lateranenſe Concilium mittit 529. Papam ob favorem Piſano Conciliabulo præſtitum deprecatur 530. incaſſum Helvetios ad ſuppeditandas copias ſollicitat 561. fœdus a Trimollio cum Helvetiis inito ratum non habet 569. agit de pace cum Cæſare ineunda 573. per Pontificis ſollicitudinem ab Helvetiorum invaſione in Burgundiam liberatur 573. Piſanum Conciliabulum deteſtatur, & Lateranenſi adhæret 573.

Ludovicus Helianus Franciæ Legatus in comitiis Auguſtanis contra Venetos vehementer declamat 120.

Luſitani bellum Mauris inferunt 14. Mauros ab urbe Arcillana propellunt 16. ab Ægypti Sultano vexantur 20. ejus claſſem diſſipant 21. Luſitanæ claſſis Præfectus trucidatur

datur 23. Maurorum classem dispergunt 90. Goam occupant 187.

M.

Malvezzius Veneti exercitus Dux 114.
Mantuanus Conventus a Cæsare indictus dissolvitur 212.
Mantuanus Marchio a Venetis capitur 68. Veneti exercitus Dux eligitur, sed imperium non acceptat 114. pacis conciliatorem agit Papam inter & Ferrariæ Ducem 415.
Margarita Austriæ Archiducissa ac Belgii Gubernatrix nomine Maximiliani Cæsaris Cameracensi conventui interest 12. ab Henrico VIII. Angliæ Rege invisitur 556. viciſſim Regem Insulis officiosa salutatione honorat *ibid.* novum fœdus ibidem concludit contra Gallos 557.
Mauri a Lusitanis bello premuntur 14. fugantur 16. ab Hispanis Orani profligantur 82. 85. eorum classis a Lusitanis dissipatur 90. Hispanos cædunt 188.
Maximilianus I. Imperator fœdus contra Venetos pacisscitur 4. cum exercitu in Italiam venit 48. a Venetis exoratus repulsam eisdem dat 51. colloquium cum Gallis habere renuit 56. Patavium obsidet 60. obsidionem solvere cogitur 63. litem habet cum Ferdinando Rege circa administrationem Regni Castellani 72. Galliarum Rex hujus litis arbiter 74. opem Gallo spondet adversus Venetos 106. a Gallis secedere sollicitatur

tatur 118. Comitia Anguſtæ indicit 119. Venetis obſiſtit 126. Pontifici adverſatur 134. Vicentiam occupat 136. fœdus novum cum Gallo init 142. annilis fabula de Cæſare Papatum ambiente 165. ad Hiſpaniæ Regem Legatum mittit, 182. Mutinam a Papa recipit 199. a Gallorum partibus abſtrahitur 303. 304. Mantuæ conventum agit 204. 205. fœderi adverſus Gallos inito accedere ſollicitatur 269. ſuis Prælatis inhibet, ne Piſanum Conciliabulum accedant 275. Gallis adverſatur, & quare? 332. immodica a Galliarum Rege poſtulat 333. inducias cum Venetis paciſcitur 339. ſuas copias a Gallorum exercitu revocat 405. concordiam cum Venetis inire conatur 436. a Venetorum Fœdere recedit 437. contra Venetos pacta cum Pontifice init 438. incaſſum a Gallo ad ineundum fœdus ſollicitatur 473. eidem articulos fœderis præſcribit. *ibid.* fabula de Cæſare Anglorum ſtipendia merente exploditur 549. Terouanam occupat 554. Tornacum obſidet 555.

Medicæus Cardinalis de Hiſpanorum cunctatione queritur 319. eum acrius increpat Neapolis Prorex 320. Papam timore perculſum conſolatur 355. ad Pontificem ablegatur 357.

Medicæi Principes, eis Papa Florentiæ imperium reſtitui adlaborat 422. obſiſtunt Florentini 423. Medicæi ſibi Cardonam & Hiſpaniæ Miniſtros devinciunt 426. Florentiam regreſſi urbem occupant 427. *Me-*

Medicæus Rhodiorum Commendator Florentinus Archiepiſcopus creatus 489.
Medicæus Julianus Cardinalis vide *Leo X.*
Medicæus Julius creatur Cardinalis 534.
Mediolanum a Galliarum Rege occupatur 45. Helvetii in Ducatum irrumpunt 146. eo transfertur Piſanum Conciliabulum 277. ad illud diſſipandum Helvetii irruunt 278. illud Galliarum Rex recuperare ſtatuit 498. 500.
Mechlinenſe fœdus, ejus articuli 544.
Mirandula a Papa & Venetis obſeſſa 180. a Pontifice capta 196. urbem victor Pontifex ingreditur 197.
Mirocemus claſſi Ægypti Sultani præeſt 21.
Montis Selici urbs a Fœderatis expugnatur 143.
Moronus Hieronymus nomine Mediolanenſis Ducis cum Papa agit 509.
Mutina fruſtra a Gallis obſidetur 197. Cæſari reſtituitur 199.

N.

Navarræ Regnum a Ferdinando Rege Catholico infeſtatur 445. quibus mediis illud occupare ſit molitus 446. 447. ejus copiæ in hoc Regnum ingrediuntur, & Navarræ Rex in Franciam fugere compellitur 453. an Rex a Papa fuerit excommunicatus 454. vide *Albretus* & *Ferdinandus*.
Neapolis, hujus Regni inaugurationis diploma a ſummo Pontifice Ferdinando conceditur

153. ibidem propter Inquisitionem seditio conflatur 190.
Nemorsii Dux, vide *Fuxus*.
Navarra a Trimolio invaditur 512. obsidio interrumpitur 513.

O.

Oranum a Ximenio Cardinale Mauris ereptum 75. 76. 77. 79. 81. 83. 86. pro statu tranquillitate Ximenius sollicite providet 86. Ecclesias construit, necnon Monasteria, & Nosocomia fundat 87. quidam Franciscanus cum eo de hujus urbis Episcopatu contendit 88. vide *Ximenius*.

P.

Pacius Raphael Florentinus Archiepiscopus moritur 489. eidem in Archiepscopatu Medicæus succedit 489.
Pacis Augustæ Episcopus Hispaniæ Regi rebellis 17. Papa in eum inquiri jubet. *ibid.*
Palicius per fugam suam multos a Gallorum partibus avellit 361. Galli Mediolano expulsi ad eum Papiam veniunt 411.
Pampellona ab Hispanis obsessa captaque 451. 463.
Papiensis Cardinalis, vide *Alidosius*.
Parma & Placentia contra Papam seditionem movent 480. utraque urbs Mediolanensi Ducatui adjungitur 481.
Pascalis Sacerdos ex Ordine S. Dominici, vitæ sanctimonia clarus obit 440.

Pata-

Patavium a Venetis occupatur 57. a Cæsare obsidetur 60. obsessi strenue sese defendunt 62. solvitur obsidio 63.
Petrucius Pandolphus Senensis Reipublicæ Rector Florentiæ expugnationem summo Pontifici dissuadet 271.
Petrus Navarrus Oranum occupandi curam in se suscipit 76. de seditione mota in suspicionem trahitur 79. Mauros profligat 81. 83. 84. Bugiam expugnat 185. Pampellonam obsidet, capitque 461.
Pfeffenkornius Secta Judæus existit caussa contentionum Reuchlinum inter & Theologos Colonienses 246. scribit librum, cui titulus: *Speculum Manuale* 247.
Pisani Florentinorum arbitrio relinquuntur ob culpam Hispaniæ, & Galliarum Regum 10. 11.
Pisanum Concilium, vide *Conciliabulum.*
Poloni Tartaros profligant 464.
Pomponacius ejus sententia de immortalitate animæ 585.
Poncherus Episcopus Parisiensis Venetis favet 4. Mantuano Conventui assistit 205. Fœderis articulos a Cæsare præscriptos omnino rejiciendos censet 474. Normanniam contra Anglos tueri Galliarum Regi suadet 500.
Pragmatica Sanctio, Præsules Galli comparere jubentur pro adducendis rationibus, ob quas eam minime abrogandam contendunt 477. 497.

Pratum a Cardonna occupatum 424.
Provinciale Parlamentum Pontificis auctoritati derogat 577.
Puccius Laurentius natione Florentinus creatur Cardinalis 534.

R.

Ravenna, hanc urbem Gasto Fuxus incassum obsidet 340. prælium Ravennatense 346. Galli ab Hispanis cæduntur 347. Gallici exercitus Bellidux trucidatur 348. urbs a Gallis capitur ac spoliatur 352. a Fœderatis recuperatur 405. Ravennatenses Cives de Gallorum crudelitate vindictam sumunt 405.
Reuchlinus Joannes, ejus vita & contentio cum Theologis Colonienſibus circa Judæorum libros 246. ab iisdem Theologis propter Rabbinorum libros objurgatur 289. a Parisiensi Facultate damnatur 290. 292. a citatione appellat 291. hæc dissensio componitur 293.
Robertus Cardinalis pro pace cum Gallis concilianda ablegatur 205.
Rocandolphus Cæsarei exercitus Dux Venetos profligat 504. Veronam strenue tuetur 521.
Romandiola a Pontificis exercitu recuperatur 45.
Roma, vide *Concilium Lateranense*.
Ruvereus Franciottus Cardinalis moritur 26.
Ruvereus Sixtus Gara Cardinalis creatur 29.

Sabau-

S.

Sabaudiæ Dux Cameracensi Fœderi accedere rogatur. 9.

Sanseverinas Cardinalis Pontificis rebellis 168. a Julio Papa excommunicatur 262. Romam pro conclavi contendit 489. Liburni comprehensus Pisas conducitur 490. in Civitate veteri captus detinetur. *ibid.* ejus palinodia in Synodo Lateranensi prælegitur 527. ejus reconciliationi obsistunt nonnulli Cardinales 531. tandem in Papæ gratiam recipitur 532.

Scheiner Matthæus Sedensis Episcopus Helvetios ad Papæ partes pertrahit 115. ejus indoles 116. Cardinalis creatur 215.

Scotia bello ab Anglis premitur 563. anceps pugna 564. occiditur Rex. *ibid.* Angliæ Rex pro corpore Regis sepeliendo in loco sacro deprecatur 565. & obtinet 566.

Selimus Bajazethem II. Patrem suum veneno necat 465. Fratrem suum Achmetem occidi jubet. *ibid.* in Imperio Turcarum Bajazethi succedit 466.

Sesselius Claudius nomine Regis Lateranensi Concilio adhæret 530. detestatur Pisanum Conciliabulum 574.

Sfortia Maximilianus in Mediolanensis Ducatus imperium reponitur 422. a Genuensi Episcopo in Ducatus possessionem immittitur 442. Legatum ad Papam mittit pro conscribendis Helvetiorum copiis 509. Ducatum recuperat 520.

Sigis-

Sigismundus I. Poloniæ Rex Tartaros ingenti clade prosternit 464.
Surentinus Episcopus absente Cardona Neapolitani Regni administrationem in se suscipit 389.

T.

Tarlatus Bernardus natione Florentinus creatur Cardinalis 535.
Tartari a Polonis ingenti clade prostrantur 464.
Tarvisani sese Cæsari submittere renuunt 55.
Terouana ab Anglis obsidetur 522. Galli suppetias ferunt, & obsidentes cædunt 524. urbs occupatur 524.
Terræ motus Constantinopolitanam urbem horrende concutit 103.
Toletanæ Ecclesiæ reditus ex Oranensi urbe augentur 89. Archiepiscopus a Papa ad Lateranense Concilium invitatur 395. vide *Ximenius*.
Trimollius Joannes Cardinalis moritur 26.
Trimollius Marescallus Mediolanensem Ducatum recuperare molitur 498. Mediolanum venit 500. Novarram invadit 512. obsidionem interrumpit, atque Helvetiis occurrit 513. profligatur 515. cum suo exercitu in Gallias fugere compellitur 518. Helvetii eidem copias suppeditare renuunt 550. cum iisdem fœdus init, eosque a Divionensi obsidione desistere cogit 560. Rex hoc fœdus reprobat 561.
Trivium a Venetis occupatur 39.

Trivultius Cardinalis, ejus vita & mors 26.
Trivultius Gallici exercitus Dux creatur 201. Venetos profligat 201. exercitum suum in aciem educit 216. Concordiam expugnat & Bononiam versus procedit 218. Bononiam capit, & Bentivolios restituit 219.
Turonium, ibidem comitia Cleri Gallicani celebrantur adversus summi Pontificis auctoritatem 159. Decretorum ibidem conditorum Auctores a Papa anathemate percelluntur 167. hæc eadem decreta prorsus irrita declarantur 441.

V.

Veneti, adversus eos Papa, Cæsar, Galliarum Rex, & Arragoniæ Reges fœdus ineunt. 2. 4. Cameracensi fœderi obluctantur 31. copias conscribunt 32. a Galliarum Rege bello invaduntur 33. a Papa excommunicantur 34. ab hac censura ad futurum Concilium appellant 36. huic provocationi obluctatur Papa 37. Trivium occupant 39. Agniadellæ manus conferunt cum Gallis 40. profligantur 42. Romandiola expelluntur 48. offensos Principes placare satagunt 48. eorum Orator Cæsaris clementiam exorat 49. a censuris absolvi petunt 52. hancque gratiam obtinent 53. Patavium occupant 57. suas ditiones recuperant 58. Patavium strenue defendunt, ejusque obsidionem solvere Cæsarem compellunt 62. 63. Veronam recuperant 65. Ferrariam obsidione libera-

liberare coguntur 66. eorum classis destruitur 67. Mantuæ Marchionem capiunt 68. Livianum libertati restituere moliuntur 68. in Pontificis gratiam ringente Gallo recipiuntur 108. 109. a Papa censuris liberantur 111. exercitum conscribunt 113. a Gallorum legato durius in Comitiis Augustanis habentur 120. Veronam recuperare incassum moliuntur 127. Vicentiam amittunt 136. Veronam obsident 148. Genua recedere compelluntur 152. a Ferrarienſi obsidione recedere coguntur 158. Mirandulam obsident 180. a Trivultio cæduntur 201. eorum causſa deciditur 212. fœdus contra Gallos ineunt 264. Brixiam occupant 323. profligantur a Gallis 325. 327. Brixiam denuo amittunt 327. cum Cæsare inducias paciscuntur 339. Mediolanum ingrediuntur 407. Cremam recuperant 431. pacem cum Cæsare ineunt 436. Papa ab eorum fœdere recedit 437. Idem cum Cæsare contra eos fœdus pangit 438. Veneti cum Gallis de fœdere agunt 475. Vicentiam recuperant. *ibid.* cum Gallis fœdus ineunt 492. fœderis articuli 493. adversa forte utuntur 521. 523. contra Papam queruntur de ope eorum hostibus lata 524. de eorum reconciliatione cum Cæsare Papa agit 536. concordiæ conditiones rejiciunt 538. ab Hispanis omni ferme eorum ditione exuuntur 539. ab iisdem cæduntur 541. 542.

Verona

Verona a Venetis incaſſum obſeſſa 127. 148. 521.

Vicentia a Germanis & Gallis obſeſſa, captaque 136.

Univerſitas Pariſienſis librum Cajetani de auctoritate Pontificis diſcutere a Rege jubetur 380. decretum contra hunc librum edere non audet 380. Reuchlinum condemnat 292.

Urbinatis Dux coram Papa a Cardinale Papienſi de amiſſa Bononia accuſatur 223. hunc eundem Cardinalem in publica platea occidit 224. vide *Alidoſius*.

X.

Ximenius Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus Oranum occupandi conſilium capit 75. ad illius expugnationem proprios ſumptus offert 76. hujus expeditionis curam Petro Navarro demandat 76. claſſem & exercitum huic urbi admovet 77. ſeditionem ſuorum militum ſedat 79. cum ſuo exercitu exſcenſionem facit 79. cum Mauris prælium init 81. Mauros profligat 83. Oranum expugnat 84. 85. partam urbem ingreditur 86. in Hiſpaniam revertitur 87. ejus moderatio & humilitas in proſperis 88. illius contentio cum quodam Franciſcano Oranenſem Epiſcopatum ambiente 88. ejus trans-

transactio cum eodem 90. Pontifici pro extirpando Pisano Conciliabulo omnem opem offert 360.

Z.

Zesam Maurus sponte sua obsequia Lusitanis offert 15. detegitur ejus perfidia. *Ibid.*

ERRATA *sic corrige:*

Pag. 44.	procul ad	-	procul ab,
142.	*petare*	-	petere.
276.	Acceserant	-	Accesserant,
328.	Aufultus	-	Assultus
338.	mæniis	-	mænibus

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA
TOM. XXXII.

Th
5178